

Nec obstat, quod postea in decreto additur; *Ac proinde Regulares cuiusvis Oodinis, in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiusmodi, quas, vel hactenus obtinuerunt, vel in futurum obtinebunt, nec posse quemquam absoluere ab eisdem casibus in Bulla Cœnæ, aut Ordinario loci referuatis*: quia cum de iisdem priuilegiis & confirmationibus sermo sit; vt ostendit particula, *Eiusmodi, seu Huiusmodi*, quæ relatiua est præcedentium cum omnibus suis qualitatibus, vt docent Glossa cap. *Abbas. de elect. in 6. Rebuffus l. 1. ff. de verbor. signific. Nauarr. cap. Si quando. remed. 6. num. 5. de rescript. Rota Romana apud Farinac. decis. 373. num. 6. tomo 1. p. 2. hinc fit, quod si nec priuilegia, nec confirmationes illæ abrogatæ sunt per Tridentinum, nec per hoc decretum Urbani abrogantur. Constat autem, quod præfata priuilegia Regularibus circa absolutionem referuatorum, concessa, non sint abrogata per Tridentinum, cum potius sint, aut per illud, aut post illud per Pontifices cõcessa: vt constat ex habitis q. 76.*

*Tertiò* probò. Quia sicut lex non obligat ante sufficientem & authenticam promulgationem, ita nec reuocatio priuilegij, cum sit quædam lex, vt docent Suarez de legib. cap. 40. Salas disp. 17. sect. 1. n. 8. Bonac. de priuileg. disp. 1. q. 3. puncto 8. num. 20. & alij Doctores: Sed hæc reuocatio priuilegiorum, quæ Prælati Regularibus, quoad absolutionem à referuatis, à iure communi, vel ab homine, sunt concessa, non est dictis Prælati sufficienter intimata, aut promulgata: ergo illis non obligat: ergo, adhuc extante hoc decreto Urbani, fas erit Regularibus Prælati, suis priuilegiis de absolutione à referuatis agentibus, vti. Consequentia sunt notæ. Maior etiam est certa apud citatos Doctores, necnon apud Sotum lib. 1. de Inst. q. 2. art. 4. Henriquez lib. 7. c. 20. n. 1. ibi: Priuilegium non amittit vim ante certificationem reuocationis, seu suspensionis: quare si ante tempus reuocetur Bulla, & ignorans reuocationem elegit Confessarium à quo absolutus est à peccatis, etiam referuatis, valet absolutio ex præsumpta intentione Papæ: ne aliàs reuocatio, & lex irritatoria afferat periculum illaqueandi animas ignorantium. & apud Medinam 2. 2. q. 21. art. 4. Hinojosam in Directorio decisionum Regul. verb. *Confirmatio gratia. fol. 124. Ludou. à Cruce disp. 1. in Cruc. cap. 1. dub. 13. num. 1. & alios DD. Minor* verò apertè etiam probatur ex doctrina Azorij tom. 1. lib. 5. cap. 22. q. 7. Bonac. loc. cit. n. 24. Salas disp. 20. sect. 18. n. 126. & Antonij de Quintanaduenas in Sum. Theol. moral. tract. 3. singul. 15. n. 4. & aliorum. Quia, vt reuocatio priuilegij, concessi ciuitati, Communitati, Collegio, aut Religioni, alicui, obliget, dedet notificari ipsi ciuitati, communitati, vel Religioni, aut Prælati illius: at sic est, quod hæc priuilegiorum reuocatio, minimè est Regularibus facta, seu intimata, vt affirmât omnes Religiosi, ac Prælati: ergo illis nõ obligat.

*Quartò*. Quia, si fidem Bassæo adhibeamus, hanc nostram responsionem approbavit, seu tolerauit Sacra Congregat. Cardinalium, etiam post præfatum Urb. VIII. decretum: ergo & à nobis meritò tolerari debet. Antecedens est Bassæi, qui, post à se relatum (vt vidimus) de verbo ad verbum decretum Urbani: totam nostram sententiam, & doctrinam, vt probabilem latè his verbis; *verbo hæresis, sub n. 18. defendit.*

*Quintò*. Prælati Regulares possunt absoluere subditos suos ab hæresi occulta, ex priuilegio Pij V. Quia si probabile est, authoritatem Episcoporum reuocatam non esse, per Bullam Cœnæ; sine dubio, inquiunt Suarez de Relig. tomo 4. tract. 9. lib. 2. cap. 20. & Corolianus noster de casib. referu. p. 1. sect. 1. a. 23. & Diana cit. resol. 6. Superiores Regulares, ex dicto priuilegio Pij V. apud Rodriguez, tomo 1. qq. Regul. questione 61. articulo 9. possunt hæresim occultam absoluere: quia extensio Pij V. generalis est, quoad om-

nes facultates. Imo in partibus vltimontanis, in quibus non viget S. Inquisitionis Officium, ex nouo decreto Regularibus concessio à S. D. N. Paulo V. possunt dicti Prælati cognoscere causas ad Inquisitionis Officium pertinentes: ita tamen, quod postea quæcunque per ipsos acta fuerint, indicentur S. Inquisitionis Officio. Ex qua concessione constat, Prælatos posse absoluere subditos, etiam in foro externo ab hæresi, & per consequens à reliquis casibus Bullæ Cœnæ, vt rectè docet noster Croulers ad c. 7. Reg. S. Franc. sect. 12. fol. 588. & 602.

*Sextò*. Posito probabile esse, priuilegiis Mendicantium non derogari, per annuam Bullæ Cœnæ publicationem, vt docent Rodriguez, Suarez, Diana, & alij ab ipso citati, possunt Religiosi mendicantes approbati secundum formam Iuris, absoluere sacculares à casibus Bullæ Cœnæ, & etiam ab hæresi, modò sint occulti. Et hæc posterior pars probatur *Primò* ex concessione Urbani IV. apud Rodriguez tomo 1. qq. reg. q. 61. articulo 3. *Compend. priuileg. Mendic. 5. absolutio quoad sacculares. 1. num. 18.* in qua concedit Fratibus Carmelitis, vt de licentia Prælatorum Ecclesiæ, idest, prout declarauit Sixtus IV. modò sint Confessores secundum formam Iuris præsentati, possint audire confessiones omnium Christi fidelium, causa deuotionis ad eos recurrentium, nisi talia commisissent, propter quæ esset Sedes Apostolica meritò consulenda. Sed pro hæresi, nisi illius sit, qui in hæresim coram Iudice competenti abiuratum relapsus est, non est meritò consulenda Sedes Apostolica: quia Sixtus IV. prout habetur in lib. *Monument. Odinum, concessione 345.* declarauit, dumtaxat esse ad Sedem Apostolicam meritò destinandos, Hæreticos relapsos, Schismaticos, & qui literas Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent: ergo ab hæresi occulta possunt præfati absoluere.

Probatur *secundò*, ex concessione Sixti IV. facta Fratibus Ordinis Minorum, vt habetur in compendio prædicto n. 20. eiusdem tituli: quæ dictis concedit facultatem Confessiones audiendi, & ab omnibus casibus excommunicationis, suspensionis, interdicti, ac super quacunque irregularitate, Ordinatio, tam à iure, quàm ab homine referuatis, toties, quoties opus fuerit, absoluendi, dispensandi, ac vota quæcunque permutandi & relaxandi, & penitentiam salutarem iniungendi, sicut potest Diocesanus. Sed hæresis saltem occulta, seu in iudicium nondum deducta, tam iure antiquo, quàm nouo Tridentini, referuatur Ordinariis: ergo sicut hi possunt ab illa absoluere, ita & Confessarij supradicti, & consequenter à reliquis Bullæ Cœnæ casibus. Et confirmatur. Quia quando hi casus sunt occulti, iam non sunt Summo Pontifici referuati, sed iure ordinario, & non speciali competunt Episcopis, & annexi sunt dignitati Episcopali, vt patet ex Trident. sess. 24. c. 6.

Vnde dicendum est per Trid. decretum, casus hos occultos, iam non esse Papales, sed Episcopales, vt docent Sanch. lib. 4. moral. c. 54. n. 27. Diana part. 1. tr. 11. resol. 28. & p. 3. tr. 2. resol. 13. §. *Nota quartò*. Imo ipsemet Diana part. 4. tr. 4. resol. 239. volens conciliare facultatem Tridentini Episcopis concessam, cum Bulla Cœnæ postea promulgata, sic docet: Rectè dici potest, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt; & ideo non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est. Hæc ille. Vnde prædicta sententia anno 1629. 18. Iulij in Consistorio sacre Congreg. Illust. Cardin. visa, tolerata est. Et tanquam probabilis à multis huius Academia Duacensis sacre Theologiæ Doctores admittit. Huc vsque Bassæus. Qui benè, & omnia à nobis in superioribus quæstionibus

quæstionibus tradita, in summam verbis relatis, redegit.

Tenet etiam hanc nostram sententiam, post latum Urbani decretum Stephanus Bauny *tract. 4. de pœnit. quest. 32.* vbi latè id probat, & *tom. 2. de Censur. tr. 2. disp. 3. de absolvente. quest. 26.* vbi, ne sequatur aliam sententiam, hæc illum mouent. *Primum*, quod auctoritati Prælatorum regularium noceat. *Secundum*, quod eorum subditos priuet necessario ad salutem remedio, absolutione, scilicet, criminis, in quod ex iis labi possunt plurimi. Nam de Episcopis, aut Inquisitoribus S. Fidei dicitur, ad quos ire, & ab iis impetrare solutionem nexus sui, Regulares possunt, et si asseratur verissimè, quantis est id tamen peruium molestiis? quantis, & quam certis expositum animæ, salutisque periculis? quæ subire, consultò ac scienter, cum Dei nobis gratiam eripiunt, culpa est, eaque contra ius naturæ lethifera; sed hoc discrimen spontè ij eligunt, qui egressi è claustro, Episcopum de absolutione suorum criminum sollicitatum eunt: vel enim, id scientè faciunt Prælato, ac probante, vel inuito, ac ignorante; si secundum, peccant; cum eo retinente domo egredi, aut ignorante committere se itineri, inobedienciæ sit scelus. Si primum, et si contra Regulam, aut obedientiam non delinquant, culpa tamen non sunt omnino vacui, quod Religioni, tali factò, scandalum ingenerent, bonum eius nomen, famamque violent. Nam, quid facilius, quàm plebi, natura sua suspicaci, eam tum opinionem imprimi, esse ab eo graue quidpiam admissum, de quo eum ab Episcopo absolui sit necesse. Quæ fama, nominisque dedecora vt vitentur, Regulares præpositos oportuit ea potestate præditos esse, quæ subditis sibi gentibus, reconciliandis cum Deo, & Ecclesia est necessaria. Hæc Bauny, vt probet Prælatos Regulares posse subditos suos ab hæresi occulta, & consequenter ab aliis casibus occultis Papæ, adhuc in Bulla Cœnæ, referuatis, absoluerè licitè valeant.

Tenant deinde adhuc post præfatum Urbani decretum, Croulers in *Regula Sancti Francisci loc. cit. & Sectione 28. fol. 77 r.* vbi probat posse Confessarios Regulares absoluerè etiam sæculares à casibus Bullæ Cœnæ, & ab hæresi, ex præcitatis priuilegiis Urb. IV. & Sixti IV. (loquendo de omnibus casibus Pontifici referuatis, excepta hæresi) Leander de Murcia *in c. 7. Reg. S. Franc. cap. 21. n. 12.* his verbis: Pero no ostante las dichas razones, la primera sentencia es la mas verdadera, hablando de todos los casos de la Bulla de la Cena (excepto la heregia y los demas casos, que como diximos arriba en el cap. precedente, en el numero 12. se comprehenden debaxo della, cuja absolucion pertenece à los Señores Inquisidores, como lo declaro la sacra Congregacion à 17. de Noniembre 1628.) y assi podran muy bien absoluer los Prelados Regulares de todos ellos à sus subditos. Sic Leander. Sed malè in hoc quod dicit, sacram Congregationem specialiter in suo decreto absolutionem ab hæresi Regularibus prohibuisse. Quia vt visum est, æqualiter, & sine exceptione vlla loquitur. Tenet etiam totam nostram resolutionem Vincentius Candidus, Magister nunc sacri Apost. Palatij (qui sua opera, decem post annos, postquam decretum Urbani prodidit, in lucem edidit) *tom. 1. disquis. 22. articulo 47. in fine. & art. 49. & 50.* Et nouissimè Quintanaduenas in *Summa Theologia moral. tractatu 3. singul. 14. 15. & 16.* Quia quamuis hic, solùm loquatur de facultate, quam Regulares habent absoluerè à casibus referuatis Episcopis; tamen idem sentire debet de facultate absoluerè à referuatis Papæ; cum de omnibus æquè prohibitio facta sit in dictò Urbani decreto, vt legenti constabit.

R. P. Leand. de Censuris.

Constat igitur ex dictis, valdè probabile esse quod nec per decretum Urbani reuocata sint priuilegia Regularibus, quoad absolutionem à referuatis Papæ concessa, & consequenter, si aliud aliquid non obstet, posse Prælatos Regulares virtute illorum absoluerè ab omnibus peccatis, casibusque occultis Papæ referuatis. An autem id per aliud priuilegium Inquisitioni concessum, sit illis, quantum ad absolutionem ab hæresi etiam occulta, prohibitum, statim dicemus: sit ergo

### QVÆSTIO LXXIX.

*An præfata Regularium Prælatorum priuilegia, sint, saltem quoad absolutionem ab hæresi, reuocata, seu suspensa, per aliquod priuilegium sanctæ Inquisitionis Hispaniensis Tribunalis concessum?*

**A**ffirmat, esse reuocata dicta Regularium priuilegia, per priuilegium concessum sanctæ Inquisitionis Tribunali Hispaniensi, & ideo, quamuis extra ditionem Hispaniensis Inquisitionis, possint Regulares perfrui, & vti suis priuilegiis, adhuc quoad absolutionem ab occulta, hæresi, non tamen in Hispania. Affirmat, inquam, doctus Petrus Hurtado de Mendoza *de fide volum. 2. disp. 84. sect. 2. §. 45.* his verbis: Absolutè probo hanc Patris Thomæ (Sanchez *intellige*) sententiam: quia existimo, in ea familia (*Dominicana, videlicet*) id priuilegium non esse in vsu, quoad spectat ad absolutionem ab hæresi. Quod confirmo ex Patre Suarez *tom. 4. disp. 30. sect. 2. n. 7.* asserente esse in praxi, Religiosos absolui ab hæresi occulta ab Episcopo. Rationemque colligo ex ipso ibidem: quia à suis Prælatibus non possunt absolui. Nec sententiam oppositam censeo probabilem, nec in conscientia tutam. Quia cum Societas eo priuilegio esset à Romana Sede donata; illi tandem cessum est à Præposito generali Claudio Aqua viua, pro Hispaniensibus Prouinciis, ita flagitante Inquisitione, quod ea non petiisset, si Dominicani eo priuilegio gauderent; quod non vsu, aliisque de causis est abrogatum, vel nunquam concessum. Vt autem clarius constet, hac de re aduerto, Societati concessam esse facultatem, vt Socij absolui possint à relapsu in hæresim à Prælatibus, quibus committeretur à Præposito generali: vt constat ex Compendio priuileg. §. 7. etiam in Hispania: at verò, flagitante sic Philippo II. Præpositus generalis, id confirmante Clemente octauo, se eo priuilegio abdicauit pro Regionibus, in quibus more Hispaniensi floruit Inquisitio, vt constat ex Congregatione §. generali, *Canone 21.* monente Socios, priuilegium perinde non valere, ac si nunquam fuisset concessum. At verò extra eas Prouincias, eo priuilegio fruitur Societas, vt constat ex compendio §. 8. ob priuilegium Minorum de Obseruantia ultramontanorum. Imo extra Hispaniensis Inquisitionis ditionem, potest Præpositus generalis per se, vel per alium, absoluerè quoscumque ab hæresi in foro conscientie, non verò in Hispania, vt constat ex Compendio §. 3. referente concessiones Iulij III. & Gregorij XIII. In Hispania ergo nulla Religio eo priuilegio gaudet. Huc vsque Petrus Hurtado.

Sed, quidquid sit de substantia responsionis huius Patris, de quo statim nonnulla, quæ incidenter in illa continentur, falsa videntur omnino; vt ex à nobis nuper traditis, facilè constare potest. Nam *Primò*, falsum est, quod Familia Dominicana, non gaudeat priuilegio, quod spectet ad absolutionem ab hæresi occulta, eo quod, vel nunquam sit illi concessum; vel non vsu, aliisque de causis, sit abrogatum.

Nam, quod sit huic illustrissimæ Familiæ concessum à Clemente IV. Urbano IV. Sixto IV. Iulio II. & à Pio V. manifestè conuincitur ex habitis *quest. 73. 75. & 76.* Quod verò tale priuilegium, non sit per non vsum, aut per aliam causam, in tali familia abrogatum, conuincitur ex grauissimis eiusdem familiæ Patribus, id firmiter asserentibus; Quibus certò certius in re ad familiam suam pertinente, credendum est. Sunt autem Hinojosa, Candidus, Petrus Ledesma, Bannes, & alij. Quibus subscribere ex aliis familiis omnes.

*Secundò*, falsum dicit, in eo quod ait, sententiam oppositam, nec esse probabilem, nec in conscientia tutam; eo quod, priuilegium concessum societati, vt absolui possint socij, etiam in Hispania, à suis Prælati, ab hæresi occulta, & à relapsu in hæresim, Generalis se eo priuilegio abdicauit, pro Hispania; & ideo tale priuilegium in illa perinde non valere, ac si nunquam fuisset concessum. Quia contra hanc rationem, ob quam hic author dicit, oppositam sententiam, nec esse probabilem, nec tutam, stat *Primò*, quod Regulares, non solum ob priuilegium societati concessum, possunt absolui à suis Prælati, ab hæresi occulta; sed ob plura alia; vt constat ex dictis *q. 73. 75. & 76.* *Secundò*: quia non obstat quid, ad hoc quod cæteræ Religiones gaudeant, & fruantur priuilegio concessio societati, quoad absolutionem ab hæresi, quod ab illo se abdicauerit P. Generalis eiusdem Societatis, dummodo Prælati aliarum Religionum, qui tali priuilegio per communicationem gaudent, idem non fecerint, vt constat ex his, quæ tradunt communiter Doctores de hac materia tractantes, præcipuè Suarez *de legibus, libro 8. capite 15. à numero 5. & cap. 16. à numero 11.* Mandos *de priuileg. ad instar. questione 6.* Rodriguez *tomo 7. questionum Regul. questione 55. articulo 19.* Azeuedo *consil. 36.* Barbosa *tractatu de clausulis vsu frequentiorib. claus. 5. numero 8. & 9.* Miranda *tomo 2. Directorij, questione 45. articulo 8. & 9.* Non ergo ratio Petri Hurtadi est sufficiens, aut efficax, vt propter illam cogamur asserere oppositam sententiam esse probabilem, & in conscientia non tutam.

Nihilominus tamen respondeo dicendum, esse mihi certum, talia priuilegia Regularibus, quoad absolutionem ab hæresi occulta, concessa, esse suspensa, & abrogata per aliquod priuilegium generale condonatum sanctissimo Tribunali Inquisitionis Hispaniæ, & ideo in Hispania nullo modo posse absolui Regulares à suis Prælati ab hæresi occulta, nisi facultate obtenta à Dominis Inquisitoribus; & in eorum absentia ab Episcopo, nisi hic, specialiter id facere, sit prohibitus.

Ratio est. Quia tanquam certum credendum est, quod sanctissimum Tribunal Inquisitionis Hispaniæ, habeat hoc priuilegium à Sede Apostolica obtentum, vt testantur ipsimet Domini Inquisitores, apud Luyfium citatum *supra questione 45.* loquendo de facultate Episcoporum. Et quod illud sit non solum à Pontificè obtentum; sed etiam intimatum Prælati Regularium, videtur etiam colligi, ex eo quod hi, nullo modo ab hæresi occulta audeant suos subditos absolueri; quod certè possent, si illud quod adstruimus non esset verum, vt ex dictis constat. Maneat ergo firmatum, quod in Hispania minimè possint Regulares Prælati absolueri, nec suos subditos, ab hæresi occulta, nisi obtenta facultate à Dominis Inquisitoribus, & in eorum defectu à Dominis Episcopis, modò ad hoc faciendum non sint prohibiti.

\* \* \*

## QVÆSTIO LXXIX.

*An Regulares possint nunc absolueri sæculares, à casibus Episcopo reseruatis?*

**N**egant apud Quintanaduenas, *ubi infra*, Miranda *in Man. tom. 2. q. 46. art. 9.* & Sorbus *verb. casus reseruatis fol. 106.* Quia existimant hanc potestatem ablatam esse Regularibus per Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 16.* Sed certè Miranda id non docet *loc. cit.* quia ibi solum agit de communicatione priuilegiorum; benè tamen *quest. 35. art. 19.* vbi, licet neget posse nunc Regulares absolueri sæculares à casibus reseruatis Episcopis virtute suorum priuilegiorum, non tamen hoc docet, quia eorum priuilegia sint abrogata per Concilium Tridentinum; sed per quoddam Clementis VIII. decretum.

Negant etiam alij, existimantes Regulares minimè iam posse absolueri sæculares à casibus Episcopis reseruatis; quia eorum de hac re priuilegia, reuocata fuerunt olim, pro tota Italia, per decretum sacre Congregationis editum auctoritate & mandato Clementis VIII. *die 9. Ianuarij 1609.* vt referunt Bellarm. *in Trident. sess. 14. cap. 7.* Molfesius *tract. 7. capite 18.* Sorbus *loc. cit.* Bassæus *verb. casus reseruatis. num. 38. vers. Ex quibus priuilegijs.* & Quaranta *verb. casus reseruatis.* Quod postea idem decretum confirmauit, & innouauit, eadem sacra Cõgregatio mandato Pauli V. *die 7. Ianuarij 1617.* vt ex Lugo, Ludouico à Cruce, Villalobos, & alijs refert Quintanaduenas, *in Sum. Theolog. moral. tractatu 3. singulare 14.* Et tandem hoc idem nouissimè decreuit ex mandato Urbani VIII. *die 17. Nouemb. 1628.* Cuius decreti tenorem habes *supra quest. 78.* Et ideo post hoc Urbani decretum, hanc sententiam omnino esse tenendam, affirmant Comitulus *in Respons. lib. 1. quest. 25.* Diana *1. p. tract. 5. resolut. 6. & 3. p. tract. 2. resol. 122. & p. 6. tract. 6. resol. 54.* & alibi. Barbosa *in Summa Apostolicarum decisionum. verbo, Absolueri num. 7. & verb. casus reseruatus num. 9. & 10. & verb. Regularis quoad Confessiones. num. 17. & 21.* & penes ipsum, Lezana *in Summa qq. Regul. tom. 1. cap. 19. n. 17.* Ioan. Maria Nouar. *in Lucerna Regular. verb. Absolutio num. 1.* Sellius *in Selectis Canon. cap. 18. num. 6. & cap. 31. num. 36.* Peirinus *de priuileg. Regular. ad Constit. 1. Iulij II. n. 63. & tom. 3. in addit. ad Constit. Sixti IV. cap. 2. n. 38.* Sic etiam Bassæus *loc. cit.* Vbi post relatum, de verbo ad verbum, decretum Urb. VIII. derogantis priuilegijs Regularium quoad absolutionem à casibus Ordinario reseruatis, ita concludit: Vnde hodie hoc decretum à priuilegiatis seruandum est, vbi authenticè publicatum, & vsu receptum est. Sic ille, & Trullench *lib. 1. in Cruc. §. 9. dub. 3. n. 11.* dicens, quod prædicto decreto Urbani VIII. extante, nullo modo sustineri possit opposita sententia. Teneant etiam & alij omnes ferè, qui post dictum decretum scripsere. Legantur de hac re etiam Suarez *tom. 4. de pœnit. disp. 30. sect. 2.* Sancius *in selectis disputatione 48.* & alij penes ipsos.

Sed adhuc probabilissimè respondeo posse, nunc etiam, prædictos Regulares absolueri sæculares à casibus Episcopis reseruatis. Ratio est. Quia Regulares habent quamplura priuilegia ad absoluendum à casibus Episcopo reseruatis: at hæc, nec per Concilium Tridentinum, nec per decreta relata Clementis, Pauli, & Urbani, Pontificum, sunt reuocata: ergo liberè & licitè poterunt Regulares absolueri ab omnibus casibus Episcopo reseruatis. Consequentia est manifesta. Maior etiam. Quia Regularibus fuere concessa huiusmodi priuilegia tam ante Concilium Tridentinum à Sixto IV. Urbano IV. Eugenio IV. Iulio II. & Paulo III. vt referunt Rodrig. *tomo 1. q. 61. articulo 3.* Miranda *tomo 1. questione 46. articulo 3.*

& ex illis Quintanaduenas, ubi infra; quàm post Concilium dictum, à Pio V. anno 1567. & à Clemente VIII anno 1582. & ab aliis, vt refert Quintanaduenas in Sum. Theol. moral. tract. 3. singulare 16. & 17. Minor verò, in qua est tota difficultas.

Probat *primò*. Quia huiusmodi concessa ante Tridentinum, nec reuocantur per Tridentinum, nec per decreta Pontificum adducta: ergo adhuc virtute illorum, possunt Regulares absoluere sæculares ab omnibus referuatis, vel per Constitutionem Synodalem, vel per consuetudinem specialem, vel per beneplacitum Episcopi. Quod dicta priuilegia non reuocentur per Tridentinum, constat: quia si alicubi, maximè, vt omnes DD. supponunt, *sess. 14. capite 6.* vbi statuitur, *quod extra mortis articulum, Sacerdotes cum nihil possint in casibus referuatis, id vnum pœnitentem persuadere nitantur, vt ad superiores & legitimos Iudices pro beneficio absolutionis accedant.* Sed in hoc cap. non reuocantur Regularium priuilegia; cum solum statuat Concilium a non habente iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, in referuata, non posse hæc absolui, vt constat ex iis eiusdem capituli verba: Verissimum esse, Synodus hæc confirmat; nullius momenti absolutionem eam esse debere, quem Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habeat iurisdictionem: ergo cum Regulares iam haberent delegatam in referuata Episcopis, vt omnes concedunt, & constat ex eorum priuilegiis, planè sequitur per hoc Concilij testimonium priuilegia absoluendi à referuatis Episcopo, non auferri ab illis, & ita docent expressè Henriquez lib. 6. c. 6. §. 5. in corpore, & in marg. lit. P. & Q. & penes ipsum, Medina, Corduba, Petr. Soto, & alij Rodriguez tom. 1. q. 61. art. 1. & 3. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 30. sect. 2. n. 16. Ludou. à Cruce disp. 1. in Cruc. c. 3. dub. 5. Ludou. de Beja parte 2. casu 21. Quintanaduenas tractatu 3. cit. singul. 14.

Rursum, quod neque per decreta Clementis VIII. Pauli V. & Urbani VIII. reuocentur regularium priuilegia, quoad absolutionem à referuatis Episcopo; probatur. *Primò*. Quia (vt supra est habitum) vt reuocatio legis, aut priuilegiorum obliget, debet sufficienter intimari & publicari: sed hæc, non est sufficienter intimata, cum nec in Diœcesibus sit promulgata, nec Prælati Religionum notificata, vt habet Quintanaduenas loc. cit. singul. 15. ergo non obligat Regulares.

*Secundò*. Quia priuilegium absoluendi à casibus Episcopo referuatis, quo gaudent Regulares, est insertum in corpore iuris communis; vt probant ex Clem. Dudum. & Extrau. Inter cunctas. Panorm. Felin. Bonifac. Ioan. de Ligniano, S. Anton. Angel. Tabiena & Armilla, quos citat, & sequitur Rodriguez tomo 1. q. 61. art. 2. ergo nec per Concilium, neque per huiusmodi Pontificum decreta, abrogatur; patet, quia nec in Concilio, neque in dictis Decretis, fit expressa abrogatio iuris communis: ac sic est, quod in generali derogatione priuilegiorum, non comprehenditur priuilegium insertum in corpore iuris communis, si non fiat huius specifica derogatio, vt docent Gregor. Lopez, Bartol. Baldus, Felin. Perez, Menochius, & Sanchez, quos refert, & sequitur Quintanaduenas loc. cit. ergo. Vnde constat, quod dato, quod per dicta Concilij, & Pontificum decreta, reuocaretur potestas absoluendi à casibus Episcopo referuatis concessa Regularibus, ex vi priuilegiorum; non reuocaretur concessa ex vi iuris communis. Quia vt bene Barbosa in *sess. 14. Trid. cap. 7.* in id, cum nil possint in casibus referuatis (ait) multi sapientissimi Doctores indistinctè tenent, Concilium in præfenti, non intendere derogare antiquo Regularum priuilegio, quod iuri communi insertum habent ratione fauoris, sicut

R. P. Leand. de Censuris.

& ius commune, & posse Regulares absoluere à referuatis Episcopo casibus, etiam post Trident. Sic Barbosa. Vnde nostram sententiam nouissimè post decretum Urbani, tenent Bauny tract. 4. de pœnit. q. 33. & penes illum Rodriguez & Suarez loc. cit. & Layman lib. 5. tract. 6. cap. 10. n. 18. Quintanaduenas tract. 3. cit. singul. 15. 16. & 17. vbi latè, & bene id defendit, & exponit decreta Pontificum, quæ contrarij nobis obijciunt. Candidus de Censur. disquis. 22. art. 51.

*Tertiò* tandem. Quia Regulares habent, vigore suorum priuilegiorum, facultatem absoluendi à casibus Pontifici referuatis, vt supra est habitum: ergo & consequenter à referuatis Episcopo: patet, quia Pontifex concedens facultatem Regularibus absoluendi omnibus casibus, à quibus ipse potest absoluere; consequenter concedit facultatem absoluendi à casibus Episcopo referuatis, cum ab his sine dubio ipse Pontifex possit absoluere: ergo.

§. III.

De facultate absoluendi à casibus referuatis, & Censuris, virtute Bullæ Cruciatæ, & Iubilei.

QVÆSTIO LXXX.

An virtute Bullæ Cruciatæ, possit quis absolui ab omnibus casibus, & excommunicationibus Episcopis referuatis; totiesque, & quoties indigerit?

Respondeo tanquam certum apud omnes: Possè. Quia id constat ex contextu Bullæ; ibi: à reliquis peccatis, & Censuris non referuatis Sedi Apostolicæ, possit Confessarius absoluere toties, quoties audierit eorum Confessiones: ergo. Sic Trullench. lib. 1. in Cruc. §. 7. cap. 2. dub. 2. n. 4. his verbis: A casibus, & Censuris Episcopis, vel aliis Prælati inferioribus Papa referuatis, virtute Bullæ absolui potest toties quoties pœnitens bene dispositus intra publicationis annum accesserit. Ratio est: quia ita manifestè habetur in Bulla ibi: Aliorum verò Sedi Apostolicæ non referuatorum, & referuatorum toties, quoties confitebuntur, &c. Quod procedit etiam si peccata sint commissa ante, vel post Bullæ susceptionem, & siue fuerint commissa ex illius confidentia, etiam positua. Sic ille. Et antea Henriquez lib. 7. cap. 13. n. 3. Medina lib. 1. Sum. c. 11. §. 7. Corduba casu 144. Rodrig. §. 9. in Bull. n. 62. Aulonius in Summa Diana verb. Bulla Cruciatæ quoad referuata. Villalob. tract. 27. clausula 9. Machado lib. 1. parte 3. tract. 1. docum. 5. n. 2. & tract. 8. docum. 3. n. 1. & document. 5. numero 2. Lodouic. à Cruce disputatione 1. in Cruc. capite 4. dub. 1. Acoستا super Bullam, questione 50. Franciscus Bardi in Summaria explicatione Bulla, §. 15. & alij.

QVÆSTIO LXXXI.

An virtute Bullæ Cruciatæ, possit quis absolui bis, nempe semel in vita, & iterum in articulo mortis, ab excommunicatione referuata Papa, etiam in Bulla Cæna?

Negant Garcias de benef. tom. 2. part. 11. c. 10. n. 130. & Bleda in opusc. defens. fid. in causa Morisc. c. 31. Sed respondeo tanquam certum: Possè. Quia sic habetur in Bulla, his verbis: Et ab eo (nempe, Confessario virtute Bullæ electo) quorumcumque peccatorum,

peccatorum, & censurarum (etiam Sedi Apostolica, & in Bulla Cœne Domini reseruatorum) plenariam Indulgentiam & remissionem, semel in vita, & semel in mortis articulo: aliorum verò Sedi Apostolica non reseruatorum ac reseruatorum, toties, quoties confitebuntur, absolutionem & remissionem mediante salutari pœnitentia, secundum culparum exigentiam, obtinere, &c. Sic textus. Et ex illo omnes fere DD. præcipue citati. Inter quos, Diana 1. p. tract. 11. resol. 96. & parte 4. tract. 4. resol. 18. Ludouic. à Cruce diff. 1. in Cruc. c. 20. dub. 4. n. 8. Qui benè contra authores primæ opinionis, probat, huic clausulæ Bullæ Cruciatæ, nullo modo derogari per Bullam Cœnæ. Trullench. lib. 1. in Bullam. §. 1. dub. 23 numero 2. & alij

### QVÆSTIO VIII.

*An vigore huius Bullæ, possit pœnitens absolui ab unoquoque casu, Pontifici reseruato, quousque absoluator ab omnibus, ab unoquoque tamen semel, intra publicationis annum?*

**N**egant communiter Doctores, existimantes, non posse pœnitentem absolui virtute Bullæ à casibus Pontifici reseruatis, nisi semel in vita: ac proinde, si quis absoluator ab vno casu reseruato, & postea incidat in alium casum, etiam specie diuertum, non poterit absolui à tali casu vi eiusdem Bullæ, sed oportet secundam Bullam accipere, iuxta indultum Gregorij XIII. anno 1563. quinta May. vt virtute illius, iterum semel à tali casu absolueretur. Fundamentum eorum est; quia posse semel in vita absolui à reseruatis Papæ, planè significat, semel recipere absolutionem, per vnum Sacramentum, non per plura: nam aliàs si ab vno hodie, & ab alio sequenti die quis absoluator, iam non semel tantum, sed bis absolueretur à reseruatis, vel à reseruato, quod nullo pacto Bulla concedit. Ita Villalobos tomo 1. tract. 27. clausula 9. §. 2. n. 5. per hæc verba: Acerca de la segunda parte de la clausula, en que se concede, que les puedan absoluer vna vez en la vida, y otro en el articulo de la muerte, &c. Se ha de aduertir, que no es sentido que de cada caso le puedan absoluer vna vez en la vida, y otra en la muerte, que dessa manera pudiera auer muchas absoluciones en el año, y en la muerte; auiendo diferentes casos: sino que solo le puedan absoluer vna vez en la vida de quales quier peccados y censuras lo qual consta de las palabras de la Bulla, como aduertie el P. F. Manuel in Bulla §. 9. n. 35. Sic ille. Et Petrus Ledesma in Sum. tom. 1. tract. de pœnit. cap. 13. concl. 2. dub. 1. pag. mihi 264. Moure in examin. Theolog. moral. parte 3. cap. 9. §. 9. n. 1. Diana 1. parte tract. 11. resol. 18. Trullench in Bullam lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 3. n. 2. dicens, contrarium nullo modo defendi posse. Ludouicus à Cruce in Bullam diff. 1. cap. 3. dub. 13. Francisc. Bardi in Bullam loc. cit. & tract. 6. cap. 1. sect. 1. Machado lib. 1. parte 3. tractatu 1. docum. 5. & tract. 8. docum. 4. n. 2.

Sed probabiliter certè respondeo: Posse pœnitentem vigore priuilegij Bullæ, quod obtinuit, absolui à Confessario ab ipso electo ab unoquoque casu Pontifici reseruato, donec absoluator ab omnibus: dummodo ab unoquoque in specie semel tantum in vita, intra publicationis annum absoluator, vi eiusdem Bullæ. Itaque, si quis incidat in peccatum simoniæ, commissum in adeptione beneficij ecclesiastici (quod est reseruatum Summo Pontifici) & ab illò vi Bullæ cruciatæ absoluator; si postea incidat in alium, specie diuersum casum, Pontifici reseruatum, v. g. in peccatum exactionis tributorum à personis ecclesiasticis, tunc optimè poterit dictus Simoniacus absolui virtute eiusdè Bullæ ab isto casu Papali, specie diuerso à primo, & sic à cæteris peccatis specie diuersis, semel

tantum in vita, nunquam tamen bis ab eodem in specie peccato, v. g. simoniæ.

Probo primò. Quia priuilegium illud, per quod concedit Pontifex potestatem circa absolutionem à casibus sibi reseruatis, cum sit fauor Principis, sine alicuius præiudicio, & opus liberalitatis & clementiæ, est latè interpretandum, & ad casus similes expressis exponendum, vt, contra Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 2. n. 7. putant, Henriquez lib. 6. cap. 16. num. 3. & cap. 30. in 4. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 6. cap. 16. num. 3. Raphael de la Torre in 2. 2. tom. 2. g. 88. art. 12. disp. vlt. n. 2. Villalob. tract. 27. in tit. n. 7. Trullench in proem. in Bullam dub. 8. n. 4. Diana 1. p. tract. 11. resol. 98. Quintanaduènas in Sum. Theolog. moral. tract. 8. singul. 5. numero 11. Franciscus Bardi in Bull. Cruc. tract. 6. c. 1. sect. 1. n. 8. & alij communiter: ergo si illa verba & limitatio Bullæ, nempe, de semel à reseruatis Pontifici absoluedo, intelligi possunt modo à nobis explicato, talis sensus, vt potè fauorabilior, est amplectendus. Quod verò sic intelligi, absque eo, quod inconueniens aliquod inde sequatur, possint, consideranti constat.

Huic argumento respondet Bardi loc. cit. numero 8. negando, quod prædicta verba Bullæ intelligi possint in sensu à nobis explanato, eo quod talis sensus planè repugnet cum ipsismet verbis, quæ in Bulla continentur, videlicet: *Quorumcumque peccatorum, & censurarum Sedi Apostolica reseruatorum, & reseruatorum remissionem semel in vita obtinere possint.* Cum in his verbis Pontifex clarè limitet genus peccati reseruati, non autem speciem tantum, vt nos exponimus. Et ideo quamuis potestas absoluedi à casibus reseruatis, sit fauorabilis, & latè exponenda, non tamen à deo, vt expositio & ampliatio sit vltra sensum, quem ipsa verba habere possunt.

Sed certè ego non video, qua ratione sit incompatibilis nostra explanatio, cum verbis illis Bullæ: *quorumcumque peccatorum & censurarum Sedi Apostolica reseruatorum remissionem semel in vita obtinere possint;* Sed potius compatibilis, vt genuina, vt constat. Quia absoluedo Confessarius pœnitentem, non bis, vel semel, à quocumque peccato reseruato, specie ab alio diuerso, etiam si id faciat per iteratas absolutiones, planè verificatur, quod pœnitens semel obtineat, quorumcumque peccatorum reseruatorum absolutionem, & remissionem; cum non bis, sed semel dumtaxat, ab vno in specie peccato reseruato, remissionem obtineat. Compatibilis ergo est nostra Bullæ explanatio, cum verbis eiusdem.

Secundò probo nostram responsionem. Nam pœnitens, si esset irretitus omnibus peccatis Pontifici reseruatis, posset simul, & per vnicam absolutionem, absolui ab omnibus virtute clausulæ dictæ Bullæ; vt concedunt omnes Doctores oppositæ partis, præcipue Ledesma & Trullench: ergo similiter poterit absolui ab eisdem, modo explicato, per plures, & iteratas absolutiones; patet consequentia, cum per hoc, nil ampliatur concessio; nil amplius priuilegium extendatur ex parte rerum concessarum, vt constat.

Huic argumento respondet Ledesma loc. cit. Que aunque es verdad, que de vna vez le puede absoluet de todos los casos reseruados, que da licencia la Bulla; pero no da licencia para absoluer masque vna vez, sino es que la misma Bulla se buelua à tomar otra vez.

Sed hæc responsio, non euacuat vim nostri argumenti à paritate confecti. Nam per illum couincimur ad asserendum, Bullam Cruciatam non negare facultatem pœnitenti, vt virtute illius possit iterum, atque iterum absolui à diuersis in specie reseruatis, donec ab omnibus absoluator, semel tamen ab unoquoque; quapropter dicta verba Bullæ, modò à nobis exposito; necessariò debent intelligi, vt amplius ex mox dicendis constabit.

Tertiò.

*Tertio.* Quia si non esset nostra explicatio vera, planè sequeretur, quod is, qui in plura incidisset Papæ reservata, maiori frueretur priuilegio, & fauore, quam alius, qui in pauciora; quod videtur alienum à iustitia distributiua, & à ratione. Sequela clare probatur. Quia si quis committeret omnia peccata Papæ reservata, & pœnitentia ductus, ab omnibus absolueretur, vi Bullæ Cruciatæ; per vnicum Sacramentum, maiori esset condecoratus priuilegio, quam alius, qui semel in vnicum incidisset reservatum, & postquam vigore Bullæ fuisset per confessionem ab eo solutus, statim in aliud vnicum, alterius speciei, reservatum incideret, si ab hoc per nouam Confessionem absolui, vi eiusdem Bullæ, nequiret: si quidem ille ab omnibus reservatis Papæ absolutus foret vi Bullæ, hic verò, posset ab vnicò tantum, quod non solum menti Pontificis, eiusque pietati opugnare videtur, verum etiam rationi, vt constat.

*Quarto.* Nam ex opposita sententia, aliud graue incommodum, & damnum eueniret sapius. Quia si quis sciret, quod semel absolutus à reservato, etiam vnicò, non posset iterum ab alio distincto in specie, saltem, vi eiusdem Bullæ, absolui, minimè vellet ad Confessionem, statim ac in reservatum incideret, accedere; sed consultò expectaret ad hoc, vt si fortè ob fragilitatem carnis, in alia reservata incideret, ab omnibus simul posset per vnicum Sacramentum absolui ne alias adstringeretur, vel ad sumendam secundam Bullam, vel ad aliud inquirendum remedium: at hoc est maximum inconueniens, vtpotè redundans in præiudicium animarum, eas ad salutem spiritalem inquirendam retardans: ergo piè credendum est non esse mentem Pontificis illam, quam contrarij explicant; sed illam quam nos.

Nec obstat contra hanc nostram expositionem, quod objicit Trullench: videlicet, quod si ratione vnus Bullæ posset quis absolui semel à singulis reservatis, non erat cur Gregorius XIII. concederet, vt possit quis secundam Bullam accipere, vt iterum posset semel absolui à reservatis Papæ. Quia huic Ægidij coniecturæ facile fit satis dicendo, quod nouum illud Gregorij indultum, non ideo est superuacaneum, quia re vera effectum habebit, quando quis incidat in eundem specie casum, à quo secunda vice, non posset vi primæ Bullæ absolui, & ideo indultum de sumenda secunda Bulla, videretur maximè fauere fidelibus. Ita respondet Bardi *loc. cit. n. 5.* Qui tamen, quia nullum inuenit auctorem, qui nostram defendat sententiam, oppositam cum communi amplectitur. Tenent tamen aliqui, quos tacito nomine refert Ludouicus à Cruce, quod illi certè sufficere posset.

### QVÆSTIO LXXXIII.

*An virtute Bullarum præteritarum, possit quis etiam absolui semel, à casibus Papalibus; si Bullis illis, in ordine ad hunc effectum, non sit vsus?*

**N**Egat Bardi in Bullam tract. 6. cap. 1. sect. 2. n. 11. dicens, contrariam opinionem esse improbabilem & contra praxim. Cuius ratio est: quia elapso anno publicationis, omnino perijt vigor Bullæ illius anni, vt colligitur ex ipsamet Bulla, in cuius initio dicitur, *illos frui posse priuilegijs Bullæ, qui intra annum à die publicationis, &c.* ergo non transacto anno. Citat Bardi pro se Ægidium Trullench *lib. 1. in Bullam §. 9. dub. 2. à n. 2.* & Emmanuelem Rodriguez *in §. 12. n. 2.* Quibus addi possunt Ludouic. à Cruce *in Bullam disp. 1. c. 9. dub. 3. n. 2.*

Sed nihilominus, licèt hæc negatiua sententia sit

mihî probabilior, tamen non iudico sententiam oppositam improbabilem. Nam illam absolutè tuetur sapientissimus, nec satis laudatus vnquam, Nauarr. *lib. 5. consil. tit. de priuileg. consil. 17. per totum*, hisce verbis: *Suscipientes Bullam Cruciatam in isto presenti anno, an gaudeant indulgentiis & gratiis per Bullam Cruciatam in præterito anno concessis?* Respondeo, quod poterit frui priori Bulla, quoad illas clausulas, quæ non sunt sublata per Bullam posteriorem. Tum quia gratia semel facta, durat donec reuocetur, vel suspendatur *cap. Si super gratia. de offic. delegat. libro 6.* Tum, quia si suspendatur, sublata suspensione, remanet tam efficax, quam erat ante suspensionem, argum. *cap. Pastoralis. de caus. possess. & propr. & perposita in casu, per posteriorem Bullam acceptam tollitur suspensio priorum Bullarum.* Sic meus Nauarrus, cuius autoritas, etiam si illi non esset vlla ratio adiuncta, aut textus, sufficeret satis, si non ad reddendam hanc partem æquè probabilem, ad minus ferè vt consideranti constat.

Accedit etiam, quod Trullench clarè indicat hanc affirmatiuam partem esse adhuc in praxi tutam, his verbis: *Quid ergo faciet qui semel in vita absolutus fuit à Papæ reservatis, si intra annum aliud ipsi reservatum committat?* Respondeo, accipiat secundam Bullam. Quod si etiam ratione secundæ Bullæ absolutus fuerit iterum à reservatis semel in vita intra annum, iam non poterit ratione primæ, nec secundæ Bullæ amplius à Papæ reservatis absolui. Quid ergo erit remedij? Respondeo primò, posse vti Bullis præteritis, si fortè quoad absolutionem reservatorum illis vsus non fuerit, vt quidam existimant. Sic Trullench *lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 3. n. 3.* vbi clarè indicat hanc partem esse probabilem, & in praxi tutam. Quamuis oppositam, vt veriorè solum, defendat loco, in principio huius quæst. adducto, vbi *n. 4.* tantum dicit doctrinam Nauarri, non esse adedè veram. Maneat ergo contra Franciscum Bardi hæc sententia probabilis, & in praxi tuta; licet probabilior mihî sit contraria. Quod satis etiam indicat Mach. *lib. 1. parte 3. tract. 8. docum. 4. n. 2. &c.* ni fallor, tenet Henriquez *lib. 7. c. 21. in Glossa lit. B.* quatenus docet, Bullam Cruciatam nouam non reualidare Bullas pristinas cruciatas, si quis eas accepit ante annum 1571. in quo Pius V. omnino cassauit Bullas præteritas. Sic ille. Nunc ego; Ergo reualidat omnes pristinas Bullas cruciatas, si quis eas accepit post illum annum 71. quia Gregorius XII. secutus, amplissimè denuò concessit, vt notat idem Henriquez: ergo illis poterit pœnitens vti, vt vi earum absoluaatur à reservatis, modo dicto, si quoad absolutionem à reservatis, illis non vsus fuerit.

### QVÆSTIO LXXXIV.

*An Confessarius possit absoluerè pœnitentem habentem Bullam Cruciatam, à casibus Pontifici reservatis, non solum semel, sed toties, quoties, dummodo sint occulti?*

**N**Egant communiter Doctores. Primò Quia Pontifex solum concedit Confessariis, vt virtute Bullæ possint semel absoluerè pœnitentem à casibus Pontificis, nec ponit hanc limitationem, nempe, quando sunt publici: ergo nec ab aliquo est ponenda.

Secundò. Quia ex opposita sententia clarè sequitur, quod possit Confessarius absoluerè pœnitentem virtute Bullæ ab hæresi occulta, at id expressè prohibetur in Bulla: ergo. Sequela probatur: Nam secundum principia oppositæ sententiæ, hæresis crimen occultum, non esset Papale, sed Episcopale: at sic est, quod virtute Bullæ potest Confessarius absoluerè quemquam, illam habentem, ab omnibus casibus

sibus Episcopi referuatis toties, quoties: ergo consequenter ab hæresi occulta, quod tamen à nemine conceditur. Ita Henricus lib. 6. cap. 14. n. 7. nec pœnitens per vnâ Bullam ab his absolui potest, nisi semel Rodrig. in Bullam §. 9. n. 118. aliàs 135. Bannes in 2. 2. q. 64. art. ult. in fine. Vega in Summ. verb. Absolutio. casu 39. Riccius in addit. ad §. 9. Bullæ. n. 36. Ludou. à Cruce disp. 1. in Bullam, c. 3. dub. 13. n. 3. dicens, oppositam sententiam esse parum probabilem, & Franciscus Bardi parte 2. in Bull. Cruc. tract. 6. cap. 1. sect. 10. n. 87. Citat etiam Diana pro hac parte Villalob. tom. 1. tract. 27. claus. 9. §. 2. n. 5. Ledesmam tomo 1. Sum. tract. de pœnit. cap. 13. concl. 2. dub. 1. & Fernandez in exam. Theol. moral. parte 3. cap. 9. §. 2. n. 5. Sed certè, hi Doctores non loquuntur de casu nostræ quæstionis, sed de casu discussio sup. q. 83. Citari tamen potest pro opinione ista, Machado lib. 1. p. 3. tract. 8. docum. 4. n. 3. quia licet non id afferat clarè, quia vix solet, ait tamen hanc sententiam esse communiorem.

Sed certè æquè saltem probabiliter respondeo affirmatiuè. Primo. Quia Confessarius potest absoluere pœnitentem virtute eiusdem Bullæ, toties, quoties occurrerit, ab omnibus casibus Episcopis referuatis, vt habitum est sup. q. 81. at sic est, quod casus Papales quando sunt occulti, facti sunt Episcopales à Trid. sess. 24. cap. 6. vt etiam est habitum supra: ergo poterit Confessarius toties, quoties, pœnitentem habentem Bullam ab illis absolueret.

Secundo. Quia referuatio casuum, vt potè odiosa, est limitanda atque restringenda, quando verba talem limitationem patiuntur: sed sic est, quod dum Pontifex in Bulla concedit facultatem absoluendi à casibus sibi referuatis, semel in vita, commodè satis limitari & exponi potest de casibus, qui publici sunt, & sunt soli Pontifici referuati: non autem de illis qui sunt occulti, & qui per legem vniuersalem omnibus Episcopis subduntur, de quibus non possumus absolute & simpliciter asserere, soli Pontifici esse referuatos: ergo talis referuatio sic est restringenda & limitanda, & idè iuxta hanc limitationem dicendum, posse Confessarium vi dictæ Bullæ toties, quoties, ab illis casibus absolueret. Sic sentiunt doctissimus Sanchez lib. 4. Sum. cap. 54. n. 27. & Trullench in Bullam lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 6. n. 5. dicentes hanc esse probabiliorè sententiam. Diana 1. p. tract. 11. resol. 28. & parte 3. tract. 2. resol. 13. vers. Nota quarto. & ibidem in addit. resol. 17. (non 12. vt citatum inuenies apud Trullench & Franciscum Bardi.) Vbi ait, hanc sententiam esse probabilissimam & tutam in praxi, vt sentiunt multi vici docti Societatis Iesus, & iuxta Religionis de hac re ab illo consulti. Et esse quidem hanc sententiam probabilem, & non indignam Thomæ Sanchez, vt putat Ludou. à Cruce, optimè probat Bardi loc. cit. Et, vt talem illam sequuntur Croufers ad cap. 7. Reg. S. Franc. sect. 28. fol. 771. & 772. & Marullus tom. 1. disp. 1. cap. 2. diff. 11. n. 154. quos (vltra Sanchez & Dianam citatos) affert, ac sequitur Bassæus verb. casus referuatus. num. 39. his verbis: Porro, probabile est, illum, qui ex priuilegio, aut Bulla potest absoluere à casibus Episcopo referuatis, posse etiam à referuatis Pontifici, modo sint occulti, & hoc non semel tantum, sed toties, quoties. Sic contra communem docent Sanchez, & post illum noster Croufers: quorum sententiam celebrem & notandam asserit Diana. Quia quando hi casus sunt occulti, iam non sunt casus Pontifici Summo referuati, sed iure ordinario, & non speciali competunt Episcopis, & annexi sunt dignitati Episcopali, vt patet ex Trid. sess. 24. cap. 6. Nec dici potest in concessione hac personæ industriâ electâ; aliàs isti casus ita essent personales, vt eos Episcopus delegare non posset. Deinde, etsi casus Papales non desinant esse tales, eo quod

Pontifex illos semel, aut iterum concedat Episcopo, imò etsi semper eos concedat Episcopo speciali; at desinant esse tales per generalem constitutionem concedentem eos in perpetuum cuiuscumque Episcopo. Vnde dicendum est, per Tridentini decretum casus hos occultos, iam non esse Papales, sed Episcopales. Huc vsque Bassæus, Oliuerius, Maruchellus tract. de casib. referuat. disp. 1. q. 4. diff. 6. n. 13. Ioannes de Soria in Epilogo Summarum parte 2. tr. 1. sect. 2. dub. 9. §. circa electionem. vbi ita ait: Confessarius per Bullam Cruciatæ potest absoluere à casibus Summo Pontifici referuatis, non semel, sed toties, quoties: dummodò sint occulti, quia iam non sunt referuati Pontifici, sed iure ordinario competunt Episcopis. Nam restrictio illa Bullæ semel in vita, & semel in articulo mortis, intelligitur quoad casus publicos. Sic Soria.

Ad primum, in contrarium dicendum est: quod quamuis Pontifex, dum ait, semel in vita posse pœnitentem absolui à casibus sibi referuatis, non declarauerit id intelligi de casibus publicis; nihilominus implicite id expressit, dum postea concedit, posse toties, quoties absolui per Bullam à casibus & censuris Sedi Apostolicæ non referuatis, inter quos sunt, vt vidimus, casus Papales occulti. Pro responsione autem secundi, fit

#### QVÆSTIO LXXXV.

An virtute Bullæ Cruciatæ, in qua conceditur facultas absoluendi à contentis in Bulla Cœnæ, excepta hæresi, possit adhuc Confessarius, hæreticum occultum, pœnitentem, & emendatum absoluere?

NEGant communiter Doctores. Inter quos Trullench lib. 1. in Bullam §. 7. c. 2. dub. 7. num. 7. id vt certum per hæc verba supponit: Suppono 4. iuxta tenorem præsentis Bullæ, nullo modo virtute illius posse fieri absolutionem ab hæresi interna & externa simul, quamuis occultissima sit. Nam etsi in Bulla Latina concedatur facultas semel in vita, & iterum in articulo mortis absoluendi à referuatis, etiam in Cœna Domini, & ibi hæresis non excipitur, vt habetur in Bulla Latina à Greg. XIII. concessa: in Bulla tamen Hispana, cui fides adhibenda est, expressè affirmatur hæresis absolutionem non contineri in præsentis Bullæ generali concessione. Ibi: *Excepto el crimen de la heresia*. Quibus verbis, expressè excipitur ab illa generali facultate hæresis crimen. Quæ additio facta est à Commissario Cruciatæ de licentia Gregorij XIII. concessa in quodam motu proprio qui incipit: *Officij nostri partes*. anno 1576. die 22. Septembris, & habetur pag. 405. tomo 2. Bullarj in meis. Huc vsque Trullench.

Huic adiungo Antonium de Quintanaduenas in tr. de Iubil. duarum hebdomad. cap. 25. n. 1. Aragonum 2. 2. q. 31. art. 3. & Henriquez lib. 6. cap. 16. n. 2. vbi referunt, quod duo Prædicatores, qui Córdubæ, & Murcia, temerè prædicarunt ad populum, per Bullam absolui posse ab omni casu Cœnæ & hæresi, coacti sunt publicè retractari per Censores Fidei. Dianam etiam part. 5. tract. 12. resol. 35. & part. 8. tract. 7. resol. 67. Quia, inquit, cum Pontifex in Bulla absolute excipiat hæresim, tollit Confessariis facultatem circa hæreticos, siue publici sint, siue occulti, & contrarium asserere, est in luce meridiana velle cæcutire.

Cum his, & à fortiori, sentiunt omnes illi Doctores, qui putant, non posse Confessarios absoluere pœnitentem ab hæresi occulta, quando, illa non excepta, conceduntur in Iubileis, aut Bullis, casus Bullæ Cœnæ: quia si adhuc in dicto casu, absoluere ab occulta

culta hæresi, nequeunt, à fortiori nequibunt absolueri, quando in Iubileo aut Bulla crimen hæresis excipitur, vt fit in Bulla Cruciatæ. Sunt autem hi Doctores Couarr. Simancas, Perez, Medina, Angles, Caiet. Nauarr. Palac. Mandos. Iojas, Rodrig. Gutierrez, Azor, Auila, Sanchez, Suarez, Vasquez, & alij plures citati *supra quæst.* 39. pro secunda sententia. Pro resolutione tamen huius difficillimæ quæstionis.

Respondeo *Primò*, certum est quod Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ, nec hæreticum nominatim denunciatum, nec publicum adhuc non denunciatum absolueri possit. *Primò*. Quia de his hæreticis admittitur, intelligi debet exceptio illa Bullæ, *Excepto el crimen de la heresia*, vt omnes concedunt.

*Secundò*. Quia hæresis saltem publica, non solum Summo Pontifici, verum etiam, est priuatiuè reseruata Tribunali sanctæ Inquisitionis, in illis Regnis, in quibus reperitur istud sanctum Tribunal, per varias Constitutiones Summorum Pontificum, quæ à nobis nunc vt certæ supponuntur, cum Henriquez *libro* 6. *capite* 16. *numero* 2. & Francisco Bardi *de Bulla Cruc. tractatu* 6. *capite* 2. *sección* 3. *numero* 25. & 29. ergo à tali hæresi nequit Confessarius virtute Bullæ Cruc. absolueri.

Respondeo *Secundò*. Probabile est, & satis, quod absolute, & simpliciter loquendo, possit Confessarius, ex vi Bullæ Cruciatæ, absolueri hæreticum occultum pœnitentem & emendatum.

*Primò*. Quia odia sunt restringenda: ergo cum hæc exceptio Bullæ, nempe, *Excepto el crimen de la heresia*, sit odiosa, restringi debet ad hæreticos publicos; seu denunciatos; ita vt intentio Papæ sit per talem exceptionem, velle excludere à beneficio absolutionis solum hæreticos notorios & publicos, atque nominatim denunciatos: non verò hæreticos occultos: hos ergo licitè poterit Confessarius absolueri, vt Bullæ.

*Secundò*, & sit confirmatio primi. Quia probabile satis est, & quod per Bullam Cœnæ solum prohibeatur absolutio hæresis, & aliorum criminum in ea contentorum quando publica sunt; vt fatetur Diana *parte* 4. *tract.* 4. *resol.* 239. ex Granada *in* 2. 2. *controu.* 1. *tractatu* 15. *disputatione* 14. *sección* 2. à *numero* 8. & ex aliis Bassæus *verb. hæresis. numero* 18. & Soria, citati *supra quæst.* 77. & 84. & consequenter quod concessio illa Bullæ, *semel in vita, & semel in morte*, intelligatur etiam quoad casus publicos, vt habitum est, *quæst.* 84. ergo etiam erit satis probabile, quod illa exceptio *Excepto el crimen de la heresia*, intelligi debet de crimine hæresis publicæ; à quo solus Papa, vel sanctæ Inquisitionis Tribunal, potest absolueri: patet, quia contrariorum eadem est ratio & sensus, ergo & quod virtute Bullæ possit hæresis occulta absolui, erit probabile.

*Tertiò*. Quia Confessarius potest vi Bullæ Cruciatæ absolueri pœnitentem toties, quoties à reseruatis Episcopo, vt cum communi diximus *sup.* q. 80. Sed sic est, quod crimen hæresis, & aliorum casuum reseruatorum Pontifici, etiam in Bulla Cœnæ, quando sunt occulta, non sunt casus Papales, sed Episcopales, vt cum pluribus firmauimus q. 84. ergo clarè sequitur quod si Bulla Cruciatæ concedit, Confessario facultatem absolueri pœnitentem toties, quoties à reseruatis Episcopo, consequenter concedat facultatem ad eundem absolueri à casibus Papalibus occultis, ac proinde ab hæresi occulta, siquidem tunc non sunt casus Papales, sed Episcopales. Maneat ergo probabile, quod loquendo ex vi Bullæ, possit liberè Confessarius absolueri hæreticum occultum pœnitentem. (An autem hæc Confessarij facultas sit coarctata à Pontificibus, pro Regnis in quibus sanctum Inquisitionis Tribunal reperitur, dicemus *quæst. sequenti.*)

Hanc nostram responsionem sustinent Mazuchellus *tract. de casib. referu. disp.* 11. *quæst.* 4. *diff.* 6. *n.* 13. *vers.* Et ad hoc videtur. & Bossius *tract. de Iubil. secc.* 1. *casu* 9. *n.* 3. loquendo de facultate concessa in Iubileo absolueri à contentis in Bulla Cœnæ, excepta hæresi. Et esse probabilem clarè affirmat Bardi *tract.* 6. *de Bulla Cruc. cap.* 2. *sección* 1. vbi innuit sic debere sentire omnes, qui sentiunt per Bullam Cœnæ non esse reuocatum facultatem, quam Episcopi habuerunt ex vi Concilij Tridentini absolueri suos subditos à casibus Pontificiis, cum sunt occulti, quos quidem retulimus *supra quæst.* 45. & 46.

Nec obstant fundamenta contrariorum. Nam ad *Primum* quod est Aegidij Trullench, dicendum est ex dictis, illam exceptionem *Excepto el crimen de la heresia*, intelligendam esse de peccato hæresis publicæ.

*Ad secundum* dicendum est quod illi Prædicatores meritò à Dominis Inquisitoribus coacti sunt publice retractari. *Primò*, quia affirmarunt posse absolui per Bullam Cruciatam hæresim in Regnis, in quibus reperitur sanctæ Inquisitionis Tribunal, cum hoc crimen illi sit reseruatum, vt diximus, & dicemus amplius statim. *Secundò*. Quia fortè dicti Prædicatores id affirmarunt loquendo de hæresi, non solum occulta, sed etiam notoria ac publica.

### Q V Æ S T I O LXXXVI.

*An etiam in Regnis, in quibus sanctum Inquisitionis Tribunal reperitur, possit Confessarius absolueri pœnitentem habentem Bullam Cruciatam, à crimine hæresis externa occulta?*

**A**ffirmatiua pars suaderi potest. *Primò*. Quia simpliciter, & absolute loquendo, ex vi Bullæ Cruciatæ potest Confessarius absolueri pœnitentem ab hæresi occulta, vt quæst. antecedenti est habitum: ergo quamuis sanctæ Inquisitionis Tribunal obtinerit à Pontificibus indulta quamplura & priuilegia, vt nullus præter ipsam, in regnis in quibus reperitur, possit adhuc virtute Bullæ Cruciatæ absolueri quem ab hæresi externa occulta, adhuc inquam poterit Confessarius virtute dictæ Bullæ à tali crimine absolueri. Consequentiam probo sic. Nam, vel priuilegia à Tribunali, ad id obtenta, fuere ante concessionem Bullæ Cruciatæ, qua nunc pœnitens gaudet, aut post concessionem talis Bullæ. Si fuere ante concessionem Bullæ, clarè videntur abrogari per clausulas contrarias, quæ in illa continentur, & ideo non obstantibus priuilegiis obtentis à Tribunali, poterit Confessarius absolueri hæreticum occultum, virtute Bullæ. Si verò fuerunt obtenta post concessionem Bullæ Cruciatæ, idem etiam videtur dicendum: quia Commissarius ex indulto Apostolico habet potestatem suspendendi & reuocandi, quæ sunt Bullæ contraria, quamuis inuoluant clausulam tali suspensioni oppositam, vt testatos esse viros doctissimos ab ipsomet Commissario consultos, refert Ludouicus à Cruce *in Bullam, disputatione* 1. *capite* 4. *dub.* 6. *n.* 9. ergo.

*Secundò*, suadetur hæc pars à simili. Quia probabile est, quod per Bullam Cruciatam potest quis absolui ab excommunicatione lata à Sixto V. contrahentes, procurantes, vel consulentes abortum, etiam si talem excommunicationem sibi soli reseruauerit, cum clausula, vt neque vi Cruciatæ præfati absolui valeant: ergo similiter erit probabile, quod etiam si sanctum Inquisitionis Tribunal obtinerit à Sede Apostolica aliquod priuilegium, seu indultum, per quod dicto Tribunali reseruet hæresis externæ occultæ absolutionem, cum clausula, vt neque vi Bullæ Cruciatæ ab alio, quàm à Tribunali præfato absolui queat, possit nihilominus pœnitens, non ob-

stanti



stanti tali clausula, absolui per Cruciatam subsequen-  
tem, à crimine hæresis externæ occultæ. Consequen-  
tia videtur à paritate legitima. Antecedens verò  
docent Henriquez libro 6. capite 10. numero 2. iuncta  
Glossa litera K. & libro 10. capite 35. litera F. Ludou.  
à Cruce dub. 6. cit. à numero 7. Trullench in Bullam  
libro 1. §. 7. capite 2. dub. 8. numero 5. dicens illud esse  
certum. Bardi in eandem expositionem Bullæ tractatu 6.  
capite 1. sectione 14. Diana p. 5. tractatu 9. resolut. 40.

Et licet verum sit, quod nunc, vt aduertunt Hen-  
riquez & Trullench, quoad excommunicationem ex  
abortu, nulla iam sit difficultas, eo quod reseruatio  
fuerit ablata per Gregorium XIV. anno 1591. tamen  
prædicti authores loquuntur etiam pro tempore quo  
talis reseruatio manebat, & vniuersè, de omni alio  
casu, in quo Pontifex per aliquem motum proprium  
reseruet sibi aliquem casum, cum clausula, vt neque  
vi Bullæ Cruciatæ ab alio remitti valeat, in quo af-  
firmant, adhuc absolui posse per subsequentes Bullas  
Cruciatas.

Tertiò. Quia Pontifex, qui sancto Tribunali reser-  
uauit absolutionem ab hæresi etiam occulta, cum  
clausula statuente, vt neque per Bullam Cruciatæ,  
crimen istud remittatur, nullo modo potuit coar-  
ctare, aut restringere potestatem Pontificum sibi suc-  
cedentium: ergo cum Pontifices in eadem dignitate  
succeedentes, irritent ex vna parte Bullæ con-  
traria, vel talem potestatem Commissario generali  
Bullæ concedant, & ex alia, vt vidimus, absque vlla  
limitatione concedant, vt virtute Cruciatæ possint  
pœnitentes eam sumentes absolui toties, quo-  
ties ab omnibus peccatis & censuris Episcopis reser-  
uatis, & inter hæc enumerentur casus Papales dum-  
modo sint occulti, hinc planè sequitur, quod per  
hanc nouam Bullam possit pœnitens à crimine dicto  
absolui.

His tamen non obstantibus, oppositum omnino  
asserendum cenfeo. Respondeo ergo quod in praxi  
nullo modo possit Confessarius absoluere pœnitentem  
sumentem Bullam Cruciatam à crimine hæresis  
externæ occultæ in Regnis in quibus sanctum Tribu-  
nal Inquisitionis reperitur.

Ratio est. Quia ita tenet vsus, & praxis fundata  
in decretis & declarationibus Pontificum, vt docet  
Henriquez libro 6. capite 16. numero 2. his verbis: A  
casu hæresis exterioris per clausulam generalem Bullæ  
Cruciatæ, aut plenissimi Iubilei, nisi aliter in ipso  
expressè declaratur Confessarius absoluere non po-  
test. Quia Urbanus IV. Paulus IV. Pius V. & Gre-  
gorius XIII. Pontifices ita expresserunt per Bullam  
cum consilio Cardinalium amplissimè Censoribus  
Fidei concessam: ergo à fortiori in nostro casu tenet  
prædicta Bulla & Concessio: ergo illa extante ne-  
quibit Confessarius vi Cruciatæ Bullæ absoluere pœ-  
nitentem ab hæresi occulta.

Si dicas hoc habuisse vim, regnantibus prædictis  
Pontificibus, qui indultum præfatum Tribunali  
sancto, cum clausula irritante Bullam Cruciatam in-  
dulerunt: minimè verò modo, quando successores  
eorum Pontifices, nouè Bullam Cruciatam conce-  
dunt; cum enim per illam absolute, & sine limita-  
tione vlla facultatem Confessario dent ad absoluendum  
ab omnibus casibus Papalibus occultis, vtpotè  
reseruatis Episcopis, iuxta nuper dicta, hinc est,  
quod non obstantibus contrariis quibuscumque, li-  
cètè possit Confessarius absoluere pœnitentem ab  
hæresi occulta, vtpotè à casu Episcopo reseruato.  
Patet consequentia, quia clausulæ; quas noua Cru-  
ciata inuoluit efficaces omnino sunt ad derogandum  
omnibus indultis contrariis illam saltem anteceden-  
tibus.

Respondeo, quod quamuis hoc argumentum valdè

vrgeat, casu, quo in indultis Tribunali concessis, non  
apponerentur speculatissimæ clausulæ irritantes suf-  
ficienter subsequentes Cruciatas Bullas, ( vt non fue-  
runt oppositæ à Sixto V. in suo motu proprio dato  
contra procurantes aborsum, & ideo probabiliter  
affirmarunt authores in secundo argumento partis  
contrariæ adducti, posse per subsequentes Bullas à  
Censura sibi reseruata vi illarum absolui; ) quia ta-  
men credendum omnino est contrarium, nempe  
quod in Indultis & priuilegiis Tribunali sancto con-  
cessis oppositæ sint à Pontificibus, à quibus emanarunt,  
clausulæ specialissimæ derogantes (quoad ab-  
solutionem ab hæresi exteriori etiam occulta) om-  
nibus clausulis Bullæ Cruciatæ, subsequentis adhuc,  
declarando videlicet, suam intentionem esse, in  
clausulis Bullarum succedentium velle, vt non com-  
prehendatur, casus hæresis adhuc occultæ sibi reser-  
uatus, hinc est, quod nisi in noua Bulla, non appo-  
nantur clausulæ extraordinariæ derogantes Tribuna-  
li indultis concessis, per quas irritetur quæuis declara-  
tio contrariæ intentionis cuiusvis antecessoris Ponti-  
ficis, semper maneat in sua vi & vigore, vt huc vs-  
que contingit, eo quod non apponantur in Bullis  
quas nunc habemus clausulæ, per quas irritetur  
declaratio contrariæ intentionis Pontificis.

Si replices, contra hanc solutionem. Quod etiam  
Urbanus VIII. per specialem motum proprium  
deinceps decreuit, ac declarauit suam & Sedis Apo-  
stolicæ mentem esse, ac fuisse, quod Regulares nullo  
modo possint absolui virtute Bullæ Cruciatæ à casi-  
bus suis Prælati reseruatis, absque eorum saltem ta-  
cita, licentia; & nihilominus non obstante dicta de-  
claratione, non desunt authores moderni, & graues,  
( quos citauimus, *vbi infra.* ) Affirmantes, posse Re-  
gulares per Bullas Cruciatas à successore Pontifice  
Innocentio X. concessas, & ab aliis successoribus  
concedendas, eligere Confessores, qui, absque vlla  
licentia suorum Prælatorum, eos à reseruatis iuxta  
tenorem earum absoluant; etiamsi in dictis Bullis  
noua apponatur clausula irritans quamcunque decla-  
rationem Pontificis contrariam: ergo si in hoc casu,  
non obstat quod Pontifex declarat suam mentem &  
suam voluntatem esse vt per Bullas Cruciatas à se,  
vel à suis successoribus deinceps concedendas, nullo  
modo possint absolui Regulares à casibus suis Præla-  
tis reseruatis, ad hoc quod aliqui probabiliter pu-  
tent, posse nunc absolui: idem dicendum videtur in  
casu, quo in Indultis & Priuilegiis Tribunali sancto  
concessis à Pontificibus, ab ipsis sit declaratum, suam  
voluntatem, & mentem esse, vt neque vi Bullarum  
à successoribus concedendarum, possint illas sumentes  
absolui ab hæresi externa occulta, etiamsi sit casus  
Episcopalis: nempe quod possint per Bullas concessas  
à Pontificibus successoribus, absolui à prædicto  
hæresis occultæ crimine.

Respondeo, quod licèt verum sit, quod non ob-  
stante declaratione Urbani VIII. nonnulli affirma-  
runt posse Regulares absolui per Bullas subsequentes;  
tamen ego oppositum omnino docui, cum pluribus  
Doctoribus 1. p. tractatu 5. disputatione 12. quæstio-  
ne 58. & 61. & nunc iterum doceo, quod, supposita  
dicta declaratione Pontificum, nec de illa sit suppli-  
catum, non possint Regulares virtute Bullarum à re-  
seruatis suis Prælati absolui; & ideo, nec de hæresi  
occulta externa pœnitens, nisi ex commissione Tri-  
bunali sancti, aut Inquisitoris illius. Vnde caueat  
Confessarius, ne, ob rationes, pro suadenda parte  
affirmatiua, in principio aductas, quem vigore Bul-  
larum ab hæresi occulta absoluat, aliàs timeat: nam  
absque dubio, si id Tribunal agnoscat, seuerissimè  
illum puniet, & iure optimo. Vltra quod, ex dictis  
nuper, facilè satisfat rationibus pro contrario addu-  
ctis.

Etis. Maneat ergo, vt firmum, quod in Regnis, in quibus Tribunal sanctæ Inquisitionis reperitur, nequeat Confessarius virtute Bullæ Cruciatæ, non solum ab hæresi publica absolueret, verum neque ab hæresi externa occulta; licet ab hac possit dumtaxat, vbi non reperitur Inquisitio, si pœnitens priuilegio Bullæ gaudeat, iuxta dicta supra, *quest. 86.*

Q V Æ S T I O LXXXVII.

*An saltem, virtute Bullæ Cruciatæ, possint absolui semel in vita, & semel in morte, qui lapsi sunt publicè in crimina contenta in primo Canone Bullæ Cœnæ, excepta hæresi?*

**N**egant plures Doctores. Quia omnes casus, qui in primo Canone Bullæ Cœnæ inueniuntur, comprehenduntur sub nomine hæresis: sed absolutio ab hæresi est reseruata Tribunali sanctæ Inquisitionis, vt nuper est habitum: ergo & absolutio ab aliis casibus sub nomine hæresis contenti; sunt autem Apostatæ à Fide, Fautores, Receptatores hæreticorum, eisque credentes, legentes, imprimentes, retinentes, aut defendentes libros hæreticorum hæresim continentem, vel de Religione tractantes. Schismatici etiam, & pertinaciter se subtrahentes ab obedientia Sedis Apostolicæ. Ita Rodriguez *in Bull. Cruc. §. 9. numero 70. vers. Excepto la herefia*, & addit. *ad Bull. §. 9. numero 66. & 67.* Azor *tomo 1. libro 8. capite 19. questione 2.* Petrus Ledesma *tomo 2. Summ. tractatu 1. capite 6. in fine.* Luysius Turrecremata *2. 2. disputatione 56. dubit. 2. vers. Deinde sciendum est.* & Alterius *tomo 1. libro 5. disputatione 2. cap. 9. in fine.*

Sed æquè probabiliter respondeo: Possè absolui prædictos, si verè hæretici non sint, semel in vita, & semel in morte. Ratio est. Quia in Bulla Cruciatæ, solum delictum hæresis excipitur: ergo cum exceptio firmet regulam in contrarium, libere poterit Confessarius, virtute Bullæ, absolueret pœnitentes à reliquis omnibus delictis in illo primo Canone contentis. Sic Henriquez *libro 6. capite 16. numero 2. in Gloss. litera L.* Farinacius *de hæresi questione 18c.* Suarez *de fide disputatione 24. sectione 1. numero 11.* Sanchez *libro 2. Summ. capite 12. numero 12.* Portel. *in Addit. ad dub. Regul. verb. libri prohibiti, numero 14.* Riccius *in Addit. ad Bullam Cruciatam.* Rodriguez *parte 1. §. 9. sectione 3. numero 95.* Duardus *in Bulla Cœna, libro 3. §. 2. questione 8. numero 8.* Diana *1. p. tractatu 5. resol. 7. & tractatu 11. resol. 19.* Trullench *in Bullam Cruciatam, libro 1. §. 7. capite 2. dub. 7. numero 13. & in Decalogo libro 1. capite 3. dub. 6. numero 4.* Ludouicus à Cruce *in Bullam capite 3. dub. 8. numero 2.* Hurtado *de Fide, disputatione 11. difficult. 14.* Franciscus Bardi *in Bullam tractatu 6. capite 2. sectione 4. numero 38 & sectione 5. numero 44. & alij.* Qui benè aduertunt secus dicendum, casu, quo prædicti Apostatæ, Fautores, & alij in dicto Canone contenti, admixtum habeant errorem contra Fidem: quia tunc comprehenderentur sub nomine hæreticorum ob admixtam hæresim, & ideo propter eam non possent vi Bul. Cruc. absolui.

Q V Æ S T I O LXXXVIII.

*An Confessarius possit virtute Bullæ Cruciatæ, absolueret toties, quoties à casibus sanctæ Inquisitionis reseruatis; dummodo non sint ex illis, qui sunt simul Summo Pontifici, & Inquisitoribus reseruati, quales sunt contenti in primo Canone Bullæ Cœnæ?*

**N**egant apud Dianam *1. p. tract. 5. resol. 7.* Fernandez *in examine Theol. moral. parte 3. cap. 9. §. 16.*

*sectione 1. numero 1.* Luysius, Alterius, Ledesma, & Azorius *questione antecedenti citati*, existimantes, sub nomine hæresis, includi alia delicta contenta in Edictis Inquisitorum, vt sunt sortilegium, maleficium, superstitio, magia, adoratio Dæmonum, sollicitatio in Confessione, lectio librorum hæreticorum, blasphemia hæreticales, & omnia alia crimina quæ continentur in dictis Edictis, quæ singulis annis promulgari solent.

Sed omnino respondeo: Possè. Ratio est. Quia prædicti casus, non sunt Papales: ergo possunt, vi Bullæ toties, quoties confitebuntur auferri. Patet consequentia: quia priuilegium Bullæ in ordine à reseruatis absoluendi, limitatur pro vna vice in vita, & pro alia in articulo mortis respectu dumtaxat casuum Papalium: at verò in ordine ad alios casus, & censuras, absolutè conceditur libera potestas absoluendi toties, quoties: ergo. Sic Suarez *tomo 5. de Censuris, disp. 21. sect. 2. num. 14.* ibi: Nec propter pactum cum dæmone, nec propter alia peccata, ad Tribunal Inquisitionis spectantia, propter suspicionem hæresis, vel superstitionem Religionis, hæc censura Bullæ Cœnæ incurritur: quia hæresis non sunt. Sic Suarez & benè. Quia regulariter in his non inuenitur error in fide, sed potius ex alia passione efficiuntur. Filliucius *tomo 1. tract. 16. cap. 3. n. 49.* Diana *loc. cit. Bardi sect. 6. cit. num. 45.* Freitas etiam, & Ortiz apud Dianam, asserentes posse Confessarium virtute Bullæ Cruciatæ absolueret sceminam sollicitatam, quæ non denunciavit, si postea denunciaret. Sed an hoc sit verum, infra discutiemus. Nec authores citati à Diana pro opposito, oppositam sentiant, sed potius nobiscum. Legantur Alterius *loc. cit. §. Tertio tandem.*

Q V Æ S T I O LXXXIX.

*An Confessarius possit, vi Bullæ Cruciatæ, absolueret eum, qui culpabiliter omisit denunciare delicta, quæ sunt in Edicto Inquisitorum, antequam de factò denunciaret?*

**N**egat absolutè Auila *2. p. de Censuris, capite 7. disputatione 3. dub. 7. in fine*, ibi: Verum est, quod in rebus grauibus, præcipuè si pœnitens sit homo ordinarius, curandum est, vt prius denunciaret, & hoc licet nondum incurrisset excommunicationem: quia si prius obtinuerint absolutionem, facile solent id omittente. In casibus autem Inquisitionis, remittendus est pœnitens, vt prius denunciaret, vt præcipitur in Edicto Inquisitorum. Ita Auila.

Affirmant è contra Sanctarellus *tractatu de hæresi, capite 9. dub. vnico, numero 16.* & Nauarro *libro 5. consil. de Hæretic. consil. 3.* qui, licet prius dicat non esse absoluendum, nisi denunciaret; addit tamen hæc verba: *vel saltem omnino proponat denunciare.* Quibus constat, quod ille, altero ex his sit contentus. Freitas *questione 21 numero 25.* & Ortiz *in Summ. capite 24. numero 9. folio mihi 129.* Quos pro hac parte retuli *1. parte tract. 5. disp. 3. quest. 48.*

Sed ego, vt loco citato dixi, iterum dico, ac respondeo: Non posse Confessarium illum pœnitentem absolueret antequam denunciaret, suæque obligationi satisfaciat: nisi casu, quo adsit iusta causa differendi denunciationem, quia tunc benè poterit absolueret illum, si firmiter promittat reuelare quam primùm poterit. Iusta autem causa erit, si necessitas communionis urgeat, ad vitandum scandalum, vel infamiam, seu notam apud alios: vel utilitas extraordinaria, ad obtinendum Iubileum promulgatum: Si Tribunal longè distat ab eo, qui denunciare debet, &c.

*Prima pars constat ex Edicto Inquisitorum, in quo datur*

datur præceptum de non absoluendo, nisi facta denunciatione: ergo illi est omnino parendum, nisi alias pœnitens sit pro eo tempore impotens ad denunciandum, vel vigeat iusta, & rationabilis causa differendi denunciationem; quia tunc ex vniuersalibus principiis, & pia Dominorum Inquisitorum intentione, existimandum est, præceptum denuncian- di, pro tunc non obligare, sed esse suspensum, vsque opportunitas ad denunciandum adueniat. Ex quo probata manet secunda etiam pars nostræ responsio- nis. Vtramque autem docent, Zanard. in *directorio Theol. parte 2. præcept. 2. cap. 11. in fine.* Rodriguez *tomo 2. Sum. cap. 34. n. 6.* Peyrinus *tomo 1. privileg. Mi- nim. §. in Constit. 5. Gregorij XV. §. 9. n. 24.* Acuña de *Confessarijs sollicitant. quest. 27. à numero 7.* Diana 1. p. *tract. 4. resol. 27. & part. 4. tract. 5. resol. 35.* Trullench *lib. 1. in Decalog. cap. 2. dub. 18. n. 94. & 95. & in Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 8. n. 7. & seqq.* Ioan. Sancius *in select. disp. 11. à num. 62.* Quos omnes pro hac parte citavi, & adduxi 1. *parte loc. cit.* Quibus nunc addo Hentiquez *libro 5. capite 10. num. 11. litera T.* Fran- ciscum Bardi *in Bullam tractatu 6. capite 2. sectione 6. numero 50. 52. & 55.* & D. Didacum Garziam *in Stimulo Fidei, questione 2. capite 7. numero 17.* Legantur etiam Sanchez *lib. 2. Sum. cap. 13. à num. 17.*

### QVÆSTIO XC.

*An vi Bullæ Cruciatæ, possit quis absolui à Cen- suris à iure, vel ab homine impositis, antequam satisfactio præstetur parti læsæ, in casibus, in quibus pars fuit offensa?*

**R**espondeo tanquam certum: Non posse. Quia facultas absoluendi à peccatis & censuris, non conceditur per Bullam absolutè, sed veluti condi- tionatè; nempe, vt concedatur absolutio Censura- rum, partis satisfactione præmissa, ibi: *Modo etiam in casibus, in quibus necessaria erit per ipsos, vel dato impedimento, per hæredes, aut alios, satisfactio fiat.* Vnde Confessarius, qui pœnitentem potentem ante abso- lutionem à Censuris satisfactionem præmittere, omi- ssa satisfactione, absoluit, grauitè peccat, nisi ignorantia, aut alia rationabilis causa eum excuset: quia facit contra Ecclesiæ præceptum, non seruando ordinem iuris. Sic Bardi *in Bullam Cruc. §. 12. in Sum- maria explicat. & parte 2. tract. 6. sect. 7. num. 63.* di- cens, in hoc nullam esse controuersiam inter Docto- res. Et benè. Quia deducitur *ex capite 2. de sententia excommunicationis in 6. & ex capite. Ex parte. de verb. significationib.*

### QVÆSTIO XCI.

*An qui de facto fuit absolutus, vi Bullæ, sine sa- tisfactione partis, sit nulliter absolutus?*

**A**ffirmant plures Doctores. Quia Bulla per il- lam clausulam citatam concedit Confessario potestatem absoluendi à Censuris pœnitentem, cum illa limitatione, vt parti prius satisfaciatur: ergo abso- lutio data absque tali satisfactione, cum excedat li- mites potestatis, quam habet absoluens, erit omnino irrita. Ita Hentiquez *libro 7. capite 13. numero 2. lit. R. & libro 13. capite 28. numero 1.* & penes ipsum, Sotus, Ledesma, Caietanus, Tabiena, Armilla, Corduba, Gutierrez, Syluester, Nauarrus, Cano, & alij. Suar. etiam *tomo 5. de Censuris, disputatione 7. sectione 5. nu- mero 42.* Filliuc. *tomo 1. tractatu 11. numero 295.* Val- quez *de excomm. dub. 20.* Rodriguez *in Bullam. §. 9. numero 52.* Præpositus *in 2. p. de Censuris in communi. quest. 1. dub. 15. numero 114.* Luylius *de Censur. lib. 2.*

*disputatione 14. dub. vlt. Candidus tomo 1. disquis. 3. ar- ticulo 3. dub. 2. dicto. 3.* Egidius *de Sacram. disputat. 14. dub. 16. numero 211.* Trullench *in Bullam, libro 1. §. 7. capite 2. dub. 12. num. 11.* vbi citat etiam pro hac parte Sayrum *libro 2. thesauri, cap. 18. numero 11.* Thomam Sanchez *libro 8. de Matrim. disp. 16. num. 11.* & Ioan. Valerum *verb. Absolutio, differ. 5. num. 6. §. Sed certè.* Citat etiam Bardi pro hac parte Gaspard. Hurtadum *disp. 14. de excomm. diff. 5.* Sed omnino malè, cum oppositum expressè teneat. Tenet tamen Villal. cum Caiet. & Armilla *tomo 1. tract. 16. diff. 20. num. 9.* licèt non ita expressè dicat esse nullam talem absolutio- nem. Et in hanc videtur inclinare Machado *tom. 1. li- bro 1. parte 3. tract. 8. docum. 6. n. 3.*

Sed probabilius respondeo: Non esse nulliter, sed validè absolutum. Quia probabilius est, quod Pon- tificex per illa verba, *satisfacta parte*, non intendit in- ducere nouam formam, nec limitare potestatem Confessarij, sed tantum admonere illum de sua obli- gatione, nempe, vt seruet formam iuris communis, hoc est, vt non absoluat excommunicatum, nisi prius satisfecerit realiter; vel si non potest, dederit cautio- nem satisfaciendi, vt requirit ius: at sic est, quod in iure communi dicta verba, *satisfacta parte*, non irri- tant absolutionem, etiam si illicitam reddant: ergo nec in Bulla addita, vt benè Hurtadus probat *loco cit.* Sic ille. Et antea, quos ipse citat Auila *2. p. capite 7. disputat. 3. dub. 9. concl. 2.* (qui etiam citat Magistros Peñam, Sancium, Acoftam, Nauarrum iunior. & Couarru.) & Thomam Sanchez *lib. 3. de Matrimonio, disp. 33. n. 3.* quatenus hanc sententiam, probabilissi- mam appellat. Sic etiam Barbosa *in Collectan. tomo 2. tit. 42. cap. 23. n. 3.* & Diana 1. p. *tract. 11. resol. 22.* (vbi citat Valerum pro hac parte, sed non benè) & *part. 5. tract. 9. resol. 12.* citans Tannerum *tomo 4. disp. 6. q. 10. dub. 6. n. 127.* Fabrum *de Censur. in 4. dist. 25. quest. 1. disp. 4. cap. 8. n. 256.* Auilam & Hurtadum *loc. cit.* te- nent etiam nouissimè Franciscus Bardi *in Bull. 2. p. tra- ctatu 6. sectione 7. numero 62. & 64.* Lezana *tomo 3. qq. Regul. verb. Bulla Cruciatæ.* Bauny *disputatione 3. de absolvente ab excommunicatione tractatu 2. questione 44. vers. Quæres quod iuris.* citans pro hac sententia Na- uarrum *capite 27. numero 37.* Bassæus *verb. Absolutio. numero 26.*

### QVÆSTIO XCII.

*An Confessarius possit licitè, vi Bullæ, absoluere pœnitentem, qui non potest parti læsæ satisfacere?*

**N**egant posse licitè, imò nec validè, eo quod per prædictam clausulam Bullæ, præscribatur satis- factio partis, tanquam forma, & quidquid est contra eam est irritum & inualidum *ex cap. Cum dilecta. de rescript. & cap. fin. de restit. spol. Sotus in 4. dist. 22. q. 2. art. 3.* Gutierrez *qq. canon. libro 1. capite 5. numero 29.* Ledesma *in summ. tomo 1. tractatu de excommunicat. capite 8. dub. 3.* Corduba *tract. de Indulg. q. 43. dub. 3. & Valerius in differ. vtriusque fori, verb. Absolutio 5. n. 3.* quamuis *numero 6. vers. Sed certè falsa,* videatur op- positum dicere.

Sed probabilius respondeo: Non solum validè, sed etiam omnino licitè posse Confessarium absoluere pœnitentem habentem impotentiam moralem ad satisfaciendum parti læsæ. Quod possit validè, ex habitis *questione antecedenti* constat. Quod verò li- citè, ex eo quod non est credendum, voluisse Pon- tificem per illam clausulam, *satisfacta parte*, ex- cludere à beneficio absolutionis eum, qui non potest satisfacere, cum non sit verisimile postu- lari conditionem impossibilem. Sic ex pluribus Machado

Machado *loc. cit. num. 4.* fatetur per hæc verba: Otros mas comunmente defienden que se pueda absoluer valida y licitamente, porque assi se hade interpretar la voluntad del Sumo Pontifice, pues segun principio de derecho (*l. Impossibilem, ff. de reg. iur. l. Si quis in graui, ff. ad Syllan.*) ad impossibile nemo tenetur: Contal que en semejante caso pida el Confessor al descomulgado caucion, de que pagara y satisfara à la parte lo mas presto que pudiere. Hucusque Machado. Et ante illum Ægidius *dubio 16. citat. num. 206.* Vasquez *dubio 20. citat. num. 2.* Villalobos *difficult. 20. citat. num. 30. & tractatu 27. claus. 9. §. 2. numero 21.* his verbis: Quanto a la palabra que dice, *que se haga la absolucion satisfecha la parte*, se ha de decir; que quando no se pueda satisfacer, basta que se de caucion dando pendas, y no las auiendo se ha de dar fiador, y quando esso falte, Iuramento de satisfacer en veniendo à mejor fortuna. Sic ille. Auila *disputatione 3. cit. dubio 8.* & penes illum, Medina *in sum. lib. 2. cap. 22.* Polanco *in Directorio*, & multi Theologi, & Iuristæ Salmanticenses de hoc consulti. Barbosa *loco citato.* Vega *in summa tomo 1. cap. 6. casu 28.* Filliucius *tom. 1. tractatu 11. cap. 9. num. 295.* Moure *in exam. Theolog. Moral. part. 3. cap. 9. §. 12. num. 10.* Ioan. à Cruce *in Director. consc. part. 2. tractatu de excommun. dub. 5. conclus. 3.* Bassæus *verb. Absolut. n. 27.* & penes illum, Nauarrus *cap. 27. num. 45.* Reginaldus *lib. 9. num. 65.* Suarez *disputat. 7. sect. 5. num. 41.* & Rodriguez *1. part. summ. cap. 93. numero 3.* Trullench *lib. 1. in Bullam, §. 7. cap. 2. dub. 12. numero 8.* & penes illum, Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 2. lit. H. & lib. 13. cap. 28. num. 1. lit. R.* Lopez *cap. 8. de Bulla, pag. 828.* Ludouic. à Cruce *in Bull. Cruc. disputatione 1. cap. 4. dubio 2. numero 7.* & Couarruuias *in cap. Alma mater 1. parte, §. 12. numero 11.* Sic etiam Sanchez *lib. 2. summa capite 20. numero 19.* sentiens, ita id esse verum, quod etiam si in priuilegio, solus mortis articulus excipiat, vt quis absoluat, non satisfacta parte; attamen posita impotentia, putat etiam extra mortis articulum, talem esse absoluendum: licet contrarium doceat Suarez *sectione 5. citat. numero 27.* Tenent etiam Hurtadus *disputat. 14. de excommunicat. difficult. 5. numero 18.* Bardi, Luysius, & Præpositus *loco citato.* Diana *1. part. tractatu 11. resolut. 24. & p. 5. tractatu 9. resolut. 1. 11. 25. & 39.* vbi putat esse probabile, in dicto casu impotentia, sufficere pœnitenti dare cautionem iuratoriam, etiam si dare possit fideiussoriam, vel pignoratitiam. Imò pro foro conscientia, propositum firme, cum hoc, tantum valeat quantum cautio iuratoria, pignoratitia, &c. in foro iudiciali. Sic *loco citat. & parte 2. tractatu 16. resolut. 42.* Et ex illo, Aufonius *in sum. verb. Bulla Cruciatæ, num. 55. & 56.*

QVÆSTIO XCIII.

*An nomine, partis læsæ, in clausula Bullæ, vel in alio simili priuilegio, intelligatur, non solum persona, cui iniuria facta est; sed etiam Iudex, cui ipso iure applicanda esset pœna pecuniaria, & Prælatas excommunicans, &c.*

Affirmatiua pars potest suaderi. Quia Prælatas, seu Iudex excommunicans, etiam manet offensus ob crimen à subdito patratum contra legem à se positam: ergo.

Sed vt certum respondeo: quod nomine, *partis læsæ*, solummodò intelligatur persona cui iniuria immediatè facta est in delicto, ex quo prodiit excommunicatio: non item Iudex, aut Prælatas. Sic Henriquez *lib. 13. cap. 28. num. 1.* ita dicens: *Nomine Partis*, cui reus satisfacere iubetur, non intelligitur Iudex,

R. P. Leand. de Censuris.

cui ipso iure applicatur pœna pecuniaria, aut cui aliquid, aut Tabellioni est soluendum pro sententia. Iudex enim semper distinguitur contra partes litigantes. Comprehenditur tamen, nomine *partis*, respublica, (præsertim in foro exteriori) ob cuius iniuriam notoriam lata est excommunicatio, vt cesset scandalum notoriae offensæ per satisfactionem. Sic Henriquez ibi; & antea *lib. 7. cap. 13. numero 2.* & penes ipsum, *lit. M. Sotus dist. 22. q. 2. art. 3. (post 3. concl.) Ledesma quest. 26. art. 1. prope finem.* Medina *lib. 2. summa cap. 12. fin.* Nauarrus *cap. 23. numero 66.* Corduba *lib. 5. questione 43. dubio 3. fine*, communiter Recent. His addi possunt Suarez *disput. 7. sect. 5. Bonacina de Censur. disputat. 1. quest. 3. puncto 9.* Auila *2. part. cap. 7. disput. 3. dub. 7.* Trullench *in Bull. Cruciat. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 12. numero 1.* Sayrus *lib. 3. cap. 18. num. 8. & 9. de Censur.* Villalobos *tom. 1. tractatu 16. difficult. 20. à num. 8.* Bardi *in Bullam 2. part. tract. 6. cap. 2. sect. 8. num. 78.* Machado *tom. 1. lib. 1. part. 3. tractatu 8. docum. 6. num. 1.* Diana *1. part. tract. 11. resolut. 22. §. Notandum, & p. 5. tract. 9. resolut. 1. in fine.* Sayrus *lib. 2. de Censur. disputat. 24. (non 39. vt leges apud Dianam) dub. ult. vers. Notat ulterius.* Vasquez *de excommunic. dub. 20. num. 8.* & Candidus *tom. 1. disquisit. 3. artic. 3. dubit. 1.* his verbis: Dico primò. Quando in Iubilæo, vel Bulla dicitur, *præuia satisfactione*, vel, *parte satisfacta*, nomine *partis*, non intelligitur Prælatas præcipiens, vel excommunicans, sed aliqua alia persona offensa, quia illa offensus Iudicis, generalis est in omni Censura. Vnde illa satisfactio in proposito, idem est, quod restitutio, siue honoris, siue fama, siue aliorum bonorum. Sic Candidus. Ex quo constat ad rationem dubitandi. Ad quam adhuc clarius respondet, ex Suariorum, Bardi *loc. cit.* dicendo, quod quamuis Prælatas videatur aliquo modo offensus à subdito suam legem infringente, nihilominus Pontifex, per illam clausulam, non intendit exprimere Superiorem, quia offensus, quæ fit contra Superiorem, dum eius lex contemnitur, est imbibita in omni transgressione cuiuslibet Censuræ; & ideo in absolutione à Censura, requiritur cautio; seu promissio parendi Ecclesiæ, &c. at in nostro casu Pontifex aliquod speciale proponit postulandum ab eo, qui absolui debet à Censura, quæ contracta fuit contra aliquam personam diuersam à Superiore, seu Iudice, ex quo constat, quod per partem, in præsentia intelligi debet persona, quæ fuit immediatè offensa; & per satisfactionem, recompensatio, seu restitutio in honore læso, aut in fama, aut in bonis externis. Sic item Bassæus *verb. Absolutio, num. 23.*

QVÆSTIO XCIV.

*An vi Bullæ Cruciatæ, possit absolui pœnitens, qui solum satisfecit Clerico, vel Monacho læso, & offenso; item Ecclesiæ, vel Monasterio?*

Negant aliqui censentes, debere pœnitentem etiam satisfacere Ecclesiæ, ratione Clerici; & Monasterio, seu eius Superiori, ratione Regularis. Ita Riccius *in decis. Curia Archiep. Neapol. part. 1. decis. 86. num. 4. & p. 2. decis. 34. num. 3.* testans, sic decisum fuisse in ea Curia, vt quidam, qui Religiosum Conuersum percussit, satisfaceret Abbati, & Monasterio. Quia iniuria facta Monacho censetur facta Abbati, & Monasterio *ex l. In personam, ff. de pactis, & Bonacina de Censuris, disputat. 2. quest. 4. puncto 5. num. 5.* loquendo de Clerico offenso, à pœnitente, ait, vtrique esse satisfactionem exhibendam, nempe Clerico, & Ecclesiæ, seu statui Ecclesiastico, additque modum satisfactionis, qui Ecclesiæ debet fieri, iis verbis:

X Hanc

Hanc autem satisfactionem delinquens regulariter exhibebit, si absoluenti seipsum humiliter subiiciat, ostendendo se paratum ad acceptandam pœnitentiam, quæ sibi fuerit imposta, cum iuramento obediendi Ecclesiæ, nec amplius in futurum percutiendi Clericum. Ita ille. His fauet Nauarrus in *Man. cap. 14. num. 25.* quatenus ait, non posse vxorem, filium familias nondum emancipatum, & Religiosum, remittere iniurias: quia actio contra iniuriantem pertinet ad superiores, & tenet Trullench in *Bull. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 12. vers. Obiter nota in noua impress. pag. mihi 312.*

Sed æquè probabiliter respondeo: posse absolui pœnitentem. Quia æquè probabile est, in eo casu, sufficere vt satisfactio fiat ipsimet personæ læsæ, ad hoc vt lædens, seu offendens, absque alia satisfactione, absoluat. Quia (inquit Auila *infra*,) licet percutiens Clericum vel Monachum, faciat etiam iniuriam Ecclesiæ, vel Monasterio; tamen satisfacto percusso, vel remittente iniuriam, censetur pars satisfacta, vt ait Nauarrus *cap. Inter verba*, & consequenter potest absolui; nisi fortè fieret Ecclesiæ aliqua notabilis iniuria, vt quando delinquens extrahitur iniuste ab Ecclesiâ: maximè, quod aliqua satisfactio videtur fieri ipsi Ecclesiæ, per hoc, quod excommunicatus subiicitur clauibus Ecclesiæ, vt absoluat, & imponatur ei congrua pœnitentia, & iuret obedire mandatis Ecclesiæ, & quod deinceps non percutit Clericum. Quod verò satisfacto percusso, vel condonante iniuriam, censeatur pars satisfacta, probat Nauarrus *dict. cap. Inter verba. Corol. ult. numero 376. & in Man. cap. 18. num. 46.* Nam quando damnum Infamiæ principaliter tangit infamatum, & secundario, & minus principaliter bonum publicum, sufficit condonatio eius ad quem principaliter pertinet, *cap. Quamuis pactum*, iuxta Glossam *de pactis in 6.* Hucusque Auila. Ex quo constat ad fundamentum Bonacina.

Ad Riccium verò, & ad decisionem ab eo adductam, respondet Bardi. *Primò*, quod Iudices in illa sua decisione sequuti sunt oppositam sententiam, vti probabilem. *Secundò*, quod forsitan Religiosus ille fuit ita percussus, & vulneratus, vt oportuerit Monasterium aliquas expensas erogare in curatione eius; & ideo restitutio necessario erat Monasterio facienda. Ita cum Auila *2. parte capite 7. disputatione 3. dubio 11. conclus. 2.* tenet Bardi in *Bulla Cruciatâ parte 2. tractatu 6. capite 2. sectione 8. numero 82.* Qui ad Auctoritatem Nauarri, respondent, illam esse intelligendam de foro externo, non de interno. Diana *1. parte tractatu 11. resolut. 23.* & dicit esse probabile, Trullench *loc. cit.*

### Q V Æ S T I O X C V.

*An, vi Bulla Cruciatâ, validè possit Confessarius absoluerè nominatim excommunicatos; aut publicos percussores Clericorum; aut alios, quorum excommunicatio deducta est ad forum contentiosum, & lis non est finita?*

**N**Egat Gaspar Hurtadus *disput. 14. de excomm. difficult. 5. num. 24.* per hæc verba: Obseruandum est, nominatim excommunicatum ab homine, aut excommunicatum à iure, excommunicatione iam deducta ad forum iudiciale, & lite pendente, non posse validè absolui, adhuc pro foro conscientie, virtute priuilegij absoluendi ab excommunicatione ab homine, & à iure lata, (vt conceditur virtute Bullæ Cruciatæ, & concessum est Mendicantibus,) vt contra Auilam *dubio 10.* aduertit Valquez

*numero 8.* Quia non est credendum dicta priuilegia ad id concedi: aliàs perturbaretur Tribunal Iudicis, si verè, & quoad Deum reus absoluat: quod intelligimus, quamuis reus sit in loco, in quo excommunicatio, & lis est ignorata, si lis nondum cessauit: & quamuis consentiat pars, & quamuis sit notabilis aliqua necessitas: virtute ergo dicti priuilegij tantum potest validè absolui ille excommunicatus ab homine, & à iure, cum quo non est lis, vel quia nunquam fuit, vel quia si fuit, iam cessauit, &c. Sic ille, & *disputatione 15. difficultate 4.* ex Valquio *tractatu de excommunicat. dubio 20. numero 8.* tenent etiam Luylius *de Censuris, lib. 2. disputat. 24. dub. ult. in fine*, ex eodem Valquio ita dicens: Illud est certum, hanc facultatem semper concedi sine præiudicio fori externi, quando res deducta est ad forum iudiciale, vt P. Valquez *suprà num. 8.* notauit, & docent Authores communiter. Citat etiam Diana pro hac parte Ægidium *disputat. 14. dubio 16. num. 207.* & Vegam *tomo 1. sum. cap. 6. casu 52.* Sed non benè vt *infra.* Tenent tamen alij apud illos, quorum secundum fundamentum est, quod expressè, Sixtus V. in *Extrauag. Et si Domini, de Pœnitent. & remiss.* decreuit, denunciatum, vel publicè diffamatum, absolui non posse, neque virtute Cruciatæ, neque alterius priuilegij: ergo.

Sed his non obstantibus, probabilius respondeo: posse Confessarium validè absoluerè saltem pro foro interiori, prædictos excommunicatos vigore Bullæ Cruciatæ. Quia in Bulla absolute conceditur Confessario, per illam electo, facultas absoluendi ab excommunicatione à iure, vel ab homine, sine restrictione vlla: igitur non est à nobis apponenda, & maximè cum priuilegium Bullæ quoad hanc facultatem sit fauorabile, atque aded ampliandum: ergo debet verificari tale priuilegium, non solum in excommunicatione ab homine in generali, sed etiam in speciali, & nominatim. Sic expressè Henriquez *lib. 7. capite 11. numero 4. & cap. 13. n. 2. & lib. 8. cap. 60. numero 4.* sic dicens: Nominatim denunciatus potest satisfacta parte absolui per Bullam Cruc. vel per aliud priuilegium, quod pro occulto foro conscientie prodest. Si ita absolutus petat communionem in loco, vbi cessat omnino periculum scandali, licebit ministrare: quia verè absolutus est: & absolui posset sine synodalis pœnæ exactione per Bullam, qua Papa absque restrictione concedit hanc facultatem. Sic ibi, & etiam *lib. 13. cap. 27. numero 5.* & penes Henriquez *lib. 8. cit. numero 4. littera I.* Covarruias in *cap. Alma 1. parte, §. 11. numero 16.* Perez *l. 1. tit. 8. lib. 8. Ordin.* Ledesma, Simancus, & Gomezus. Sic item Nauarrus *cap. 27. numero 278. & lib. 5. consil. consil. 47. num. 2. & consil. 48. num. 2. & consil. 49. num. 5.* Auila *de censur. part. 2. disput. 3. dub. 10. conclus. 1.* Sayrus in *Thesauro lib. 2. cap. 20. numero 29.* Diana *1. part. tractatu 11. resolut. 26.* & Ludouicus à Cruce in *Bull. Cruc. disputat. 1. cap. 4. dub. 1. num. 2.* Quos citat, & sequitur Trullench in *Bullam lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 10. num. 2. 3. & 4.* Quibus addi possunt Lezana *tomo 3. gg. Regul. verb. Cruciatâ, numero 25.* Sanchez *lib. 6. summa capite 17. numero 42. & 43.* Acolta in *Bullam quaestione 80. resolutione 2.* Bardi in *Bullam Cruciatam, parte 2. cupite 3. sectione 1. numero 5.* Qui benè *numero 6.* addit, quod si quis absoluat nominatim excommunicatum, etiam parte non satisfacta, dum satisfieri poterit, si pœnitens promittat se parti satisfacturum, tunc validam esse absolutionem, quamuis illicitè collatam, iuxta dicta à nobis *quaestione 92.* citatque pro hac parte Ægidium (*loco citato* pro opposito à Diana) & melius, nam quamuis id expressè non dicat, insinuat tamen, & limitat sententiam Hurtadi, his verbis: Nota primo, Quando quis nominatim

nominatim est excommunicatus, aut causa est deducta ad forum contentiosum reum communiter non esse absolendum (*non dicit, non posse,*) pro foro conscientiae ab eo, qui per talia privilegia id facere potest, quia hoc perturbaret ordinem iuris; nisi reus esset in loco distante, ubi esset omnino ignota eius excommunicatio, aut nisi pars omnino consentiret in eius absolutionem; aut hic, & nunc incumberet notabilis aliqua necessitas ita absolendi. Hucusque ille sentit ergo quod possit poenitens saltem valide absolui: imò licitè in casibus ab ipso assignatis. Idem sentit Vega loco à Diana citato, conclus. 2. Rodriguez, & Medina apud ipsum? & alij.

Ad fundamentum contrariorum, negandum est ex nostra sententia sequi scandala, perturbationem iurisdictionum, &c. quia cum talis absolutio solum habeatur pro foro conscientiae, nihil detrahet potestati Iudicis, cum reus ipse non obstanti tali absolutione possit, sicuti prius conveniti à Iudice, & ab eodem puniri, &c.

Ad Extraneam Sixti IV. respondeo ex Sanchez loco citat. *Primò*, in ea, solum interdicti absolutionem criminum deductorum ad forum iudiciale contentiosum, vi illarum facultatum, quae concessae erant ab ipso Sixto IV. non tamen loquutionem esse de facultatibus concedendis ab alijs Pontificibus. *Secundò*, respondeo: eam Extraneam cessasse mortuo Sixto: quia fuit quasi clausula Bullae Coenae, quae expirat defuncto Pontifice: vel transacto anno promulgationis, nam Bulla Coenae non durat nisi per annum; & singulis annis est nova.

Q V Æ S T I O X C V I .

*An, non solum valide, sed etiam licitè, possit Confessarius absolvere predictos excommunicatos, quorum excommunicatio est deducta ad forum contentiosum, & lis non est finita?*

**N**egant, & à fortiori, Vasquez, Hurtadus, & Luyfius loco citato, & ex parte Aegidius, Auila, Trullench, & quidam alij.

Sed iuxta à nobis superius dicta, respondeo nunc: Posse Confessarium; licitè etiam, absolvere tales excommunicatos in foro conscientiae per Bullae privilegium; satisfacta tamen parte; aut si huic satisfacere non possint, praestita sufficienti iuris, cautione satisfaciendi, statim ac commodè queant: minimè tamen posse licitè, non satisfacta parte, dum huic satisfacere possint. Utamque partem huius responsionis constat ex dictis *questione 92. & 96.* Et primam docent omnes Doctores. Secundam verò Bardi nuper citatus, & alij supra *questione 96.* Et ex parte, Aegidius, Auila, Rodriguez, Henriquez, Valerius, quos affert & sequitur Trullench *dubio 10. citat. numero 3. & 6.* quatenus affirmant, posse in his casibus Confessarium praefatos excommunicatos licitè absolvere pro foro saltem conscientiae. *Primò*, si Iudex, & pars longè absint. *Secundò*, si parti omnino satisfecerint, aut cum ea concordauerint. *Tertio*, si Iudex malitiosè absolutionem deneger:

aut si non denegat malitiosè, rigidè tamen concedit, ut si non velit illum absolvere, nisi satisfaciatur cum detrimento sui status.

Sic illi.

*An Absolutio ab excommunicatione publica, iam delata ad forum contentiosum externum, facta virtute Bullae Cruciatæ, prosit etiam pro foro externo, si collata sit, parte satisfacta?*

**N**egant quamplures Doctores docentes, Absolutionem, vigore Bullae, collatam, nullo modo prodesse poenitenti, seu reo, pro foro iudicali, & contentioso: Et hoc, siue absolutio ab excommunicatione, seu ab alia Censura, sit à iure, siue ab homine: siue pars laesa sit satisfacta, siue non. Sic, inter alios, mox citandus Bardi *in Bull. Cruc. parte tract. 6. cap. 5. sect. 1.* Qui ex illo

*Primò* probat, ab inconuenienti: Nam aliter, sequerentur magna perturbatio iudiciorum, & etiam maxima scandala: quia daretur occasio liberius peccandi, si Iudex cogereetur admittere in foro contentioso absolutionem datam per Bullam in foro conscientiae: multi enim ob timorem excommunicationis puniendae in foro externo, se abstinent à delictis patrandis: ergo.

*Secundò*, quia ista negatiua sententia, est iam definita ab Urbano VIII. *in Constitut. 105.* edita Anno Domini 1630. die 19. Iunii, & incipit: *In specula militantis Ecclesiae.* Declaravit enim Pontifex, absolutionem datam etiam à reservatis in Coena Domini, non suffragari, nisi in foro conscientiae; non autem in foro externo: proinde omnis alia opinio contraria hodie nequit practicari. Hæc & alia, Bardi, qui pro sua sententia citat Couarruias *lib. 2. variarum resolut. cap. 10. numero 3. & 6. & cap. Alma mater 1. parte §. 11. numero 26.* Molinam *tomo 4. de Iustit. disputatione 64. num. 10.* Sanchez *lib. 6. summa cap. 17. numero 43.* Sayrum *de Censuris, lib. 2. cap. 20. numero 31.* Lezanam *in summ. qq. Regul. tom. 3. verb. Bulla Cruciatæ, num. 27.* Hurtadum *de excommunicat. disputat 15. difficult. 4.* & Ludovicum à Cruce *in Bullam disput. 1. cap. 4. dub. 3.* Quibus addi possunt, apud Hurtadum, Henriquez *lib. 7. cap. 13. numero 2. in fine,* & Auila *2. part. cap. 7. disput. 3. dub. 12.* & apud hunc, Gutierrez *Canon qq. cap. 2. Ledesma 2. part. 4. quest. 26. artic. 1. dub. ult. Sotus distinct. 22. quest. 2. artic. 3. & Corduba in summ. questione 19. & Mexica difficult. 13. de excommunicat. circa conclus. 2. Villalobos *tomo 1. summ. tractatu 27. claus. 9. §. 2. num. 24.* Lopez *2. parte ubi de Bulla cap. 8. fol. 830.* Machado *lib. 1. part. 3. tractatu 8. docum. 5. numero 3.* Diana *1. part. tractatu 11. resolut. 26.* ibi: Sed his minimè suffragantibus communier docent Doctores, absolutionem Bullae non prodesse in foro exteriori: & ita absolutum debere se gerere in publico, tanquam excommunicatum, ad euitandum scandalum: posse tamen secretò, & sine scandalo audire Missam, Sacramenta recipere, & cum alijs colloqui, manifestando, se esse per Bullam absolutum. Ita ille.*

Sed probabiliter certè, respondeo: absolutionem ab excommunicatione virtute Bullae collatam prodesse adhuc pro foro externo, & iudicali, etiamsi data sit sine licentia Iudicis; dummodo pars laesa satisfacta à reo fuerit, aut cum ea concordauerit.

*Primò*, quia Bulla Cruciatæ absolutè, & simpliciter concedit facultatem absolendi à Censuris, supposita satisfactione partis, nulla posita restrictione, aut limitatione fori: ergo pro utroque foro nempe, interno, & externo vel iudicali, est dicendum valere. Patet consequentia. Tum, quia hoc privilegium, cum sit fauorabile, potius est ampliandum, quam restringendum. Tum etiam; quia Pontifices dum in suis Bullis, aut Iubilæis concedunt facultatè absolendi à Censuris, solū pro foro interno, id exprimūt, addendo

addendo hæc verba : *in foro conscientia dumtaxat* : vt videre est in Iubileo concesso à Sixto V. anno 1585. vt habetur in Bullario tom.2. pagina 486. & à Paulo V. anno 1605. vt habetur tomo 3. pagina 173. & ab Urbano VIII. anno 1641. ergo dum hanc limitationem non apponunt, apertè significant, absolutionem à Censuris pro vtroque foro, tam interno, quàm externo valere.

*Secundò*, probatur ex quodam Iubilæo concesso à Pio V. anno Domini 1568. die 17. Octobris, & ex alijs à Gregorio XIII. & XIV. concessis. Vbi hi Pontifices, postquam concesserunt facultatem absoluedi à Censuris reseruatjs, explicarunt talem absolutionem non prodesse in foro fori, seu contentioso, nisi parti satisfecerint, aut cum ea concordauerint, vt referunt Henriquez lib.7. cap.13. num.2. lit. V. Rodriguez, & Vega infra: ergo dicti Pontifices clarè insinuant, quod absolutio Censurarum collata, cuiuscunque indulti vigore, facta satisfactione partis, valere, & prodesse pro foro fori, seu contentioso aut iudiciali.

*Tertiò*, quia de facto, constitutio Diocesis Salmanticensis concedit, aut explicat, quod absolutio Bullæ Cruciatæ, valeat etiam pro foro externo, vt refert Henriquez loc. citato, his verbis: Possit hic reus per Bullam absolui pro foro conscientia: & constitutio diocesis Salmantinæ concedit, vt valeat etiam pro foro exteriori, id quod similiter concessit Pontifex in Iubilæo, &c. ergo licitè illi adhærere possumus.

*Quartò*, quia absolutio, virtute Bullæ Cruciatæ, à Censura lata à iure, valet etiam pro foro exteriori, & iudiciali, vt concedit Diana resolutione 26. cit. vers. *Notandum est*, cum Acosta: ergo & valebit à Censura lata ab homine, quod negant ipsi. Patet consequentia. Tum quia Bulla nostra Cruciatæ, de qua loquimur, (quidquid sit de Bulla concessa Regno Portugaliæ à Pio V.) æqualiter omnino absolutionem ab vtraque Censura concedit, nempe, à iure, vel ab homine. Tum etiam, quia rationes à nobis factæ absolute procedunt: ergo idem est de vtrisque dicendum. Sic plures Doctores, Medina lib.1. §.7. in fine, & Clarius lib.2. summa, cap.12. pag. mihi 502. ita dicens: A cerca del modo de absoluer, se ha de notar, que la descomunion en que cayo el penitente, ò es del derecho, ò de algun Iuez. Si es del derecho, el que tiene facultad, como hemo dicho lo puede absoluer. Pero si es de algun Iuez, lo ordinario lo han de remitir à su Iuez, para que lo absuelva, ò sino traiga licencia. Pero por la Bulla ò priuilegio lo pueden absoluer no solamente en el foro de la conciencia, sino tambien en el foro exterior. Pero porque el Iuez, que lo descomulgo, no lo pueda calumniar, si le viere oir Missa, &c. ha le de dar el Confessor vna cedula firmada de su nombre, como le absoluo, ò por la Bulla, ò por priuilegio, auiendo satisfecho a la parte. Y si dixere el Prouisor, que no lo puedo hacer; ha de responder, que la Bulla le dio tal poder, por que dice: *Ab omni excommunicatione lata à iure, vel ab homine, satisfacta parte.* Pero esto que dice, que ha de satisfacer primero à la parte: no se entiende el Iuez, ni sus oficiales, sino aquel aquése debe aquello, por que le puso la descomunion. Sic Medina. Et bene. Rodriguez in Bull. §.9. num.56. & 57. & in addit. ad §.9. num.51. & in sum. tom.1. cap.9. conclus.8. num.9. Vega tom.1. sum. cap.6. casu 52. conclus.2. vbi addit, id ipsum sentire Nauarrum in Man. cap.27. num.22. sed certè Nauarrus, hoc loco nil ad propositum; melius citat illum Henriquez in Man. cap.26. num.26. in fine, nam ibi satis id insinuat, & fauet Henriquez ipse lib.7. cit. cap.13. num.2. lit. V. tenent etiam Ioan. de Cruce in sua summa part.2. tract. de ex-

commun. dub.5. concl.3. Ioan. Valerus verb. *Absolutio*, differ.5. numero 6. Trullench in Bullam Cruc. lib.187. cap.2. dubio 9. numero 4. & dub.10. num.9. Bonacina disputatione 1. de Censuris, quæst.3. punct.10. numero 2. ibi: Quando facultas conceditur, nulla addita limitatione, videtur concessa in vtroque foro; modò prius satisfactum sit parti, iuxta motum Pij V. nam verba generalia, sunt generaliter intelligenda. Sic ille. Qui & citat, & bene, Ægidium disputatione 14. dub.16. à num.247. Suarium disputatione 7. de Censur. sect.5. num.21. & Filiucium tom.1. tract.11. cap.9. num.291. Qui id docent loquendo in vniuersum de priuilegijs, & Bullis Iubilæorum, quando absque restrictione datur facultas absoluedi à Censuris. Sic etiam Balsæus verb. *Absolutio*, num.23.

Nec obstant argumenta contrariorum. Nam ad primum, negandum est ex nostra sententia sequi perturbationem iudiciorum, aut irrogationem iniuriæ Iudici: siquidem pars, quæ petiit excommunicationem, iam est satisfacta, & reus absolutus in vtroque foro à Iudice delegato, vt bene respondent Vega, & Trullench. Nec datur ob id occasio liberius peccandi, sed vt celerius à commisso peccato, & Censura contracta omnino reus liberetur: aliàs etiam daretur, cum Pontifices in suis Bullis expressè facultatem absoluedi à Censuris in vtroque foro concedunt.

*Ad secundum*. Negandum est, toto ore, sententiam contrariam esse definitam ab Urbano VIII. in constitut. citata. Quia in ea nullo modo declarauit Pontifex, contra nostram sententiam, absolutionem datam, etiam à reseruatjs in Cœna Domini, virtute Bullæ Cruciatæ, satisfacta parte, non suffragari, nisi in foro conscientia, non autem in foro externo: Id enim patet ex multis.

*Primò*. Quia Urbanus VIII. in dicta Constitutione, solùm intendit definire, & declarare, id quod prius definiuit, ac declarauit suus prædecessor Clemens VIII. nempe, non posse Regulares, absque licentia proprij Prælati, vt Bulla Cruciatæ, ad eligendum Confessarium, & ab eo absolutionem à reseruatjs habere. Hic finis totalis, & intentum Pontificis, non alius, vt ipsemet Bardj fatetur, & constat ex proœmio Cõstitutionis. Non ergo fuit declarare, aut definire, vt verum, oppositum nostræ sententia. Verum tamen est, quod incidenter, per transfennam, & per parentesym, sequentia verba Pontifex intexit, videlicet; *Concessionem sanctæ Cruciatæ (quæ respectu facultatis huiusmodi, etiam laicis, & Clericis secularibus, cuiuscunque status, gradus, & qualitatis, & conditionis, etiam speciali nota digna, quoad casus reseruatjs, etiam in Bulla Cœna Domini hæresi excepta, contentos, non nisi in foro conscientia, non autem in foro externo suffragatur) aliorumque Indultorum huiusmodi, &c.* Per huiusmodi autem verba, non definit Pontifex, aut declarat, vt verum, quod absolutio data à Censuris vigore Bullæ Cruciatæ, nunquam suffragari potuisse, neque posse, pro foro externo vt constat: sed asserit, quod non suffragatur, loquendo primò, in opinione probabili authorum, qui id affirmant. *Secundò*, loquendo in casu, quo pars læsa satisfacta non sit, quomodo loquuti fuere Pius V. & Gregorius XIII. & XIV. non verò in casu, quo parti fuerit satisfactum, vt ipsemet declararunt, vt vidimus; & nos asserimus, quia tunc pro foro etiam externo suffragatur.

*Secundò*, respondeo: quod hæc constitutio Urbani, adminus in Hispania non fuit recepta, eo quod de illa fuerit supplicatum eidem Pontifici per Confessarium generalem Sanctæ Cruciatæ de mandato Regis nostri Philippi I V. vt aliàs diximus 1. p. tract.5. disputatione 12. questione 58. & 61. Vnde standum est, &

& inhærendum declarationibus Pij V. & aliorum Pôntificum, cum nullo modo sint reuocata. Ex quibus iam constat falsum dixisse Bardi, oppositâ sententiam esse definitam ab Urbano VIII. nec nostram hodie practicari posse; cum potius hæc sit definita, aut saltè declarata, & hodie in praxim sit deducta in casu contingenti, cum assensu, & consilio omnium ferè Doctorem Complutensis Academiae, ab Excellentiss. & Reuerendissimo Domino D. Ioanne Cebrian Archiepiscopo Cæsaraugustæ. Legatur Nauarrus *consil. 49. num. 2. de sentent. excommunicat. lib. 5.*

QVÆSTIO XCVIII.

*An absolutio à præfata excommunicatione, virtute Cruciatæ lata, valeat item pro foro externo, casu etiam, quo pars læsa, non sit realiter, & cum effectu, satisfacta, aut cum ea concordatum; ob impotentiam pœnitentis?*

**R**espondeo tunc non valere pro foro externo, sed pro interiori tantum. Ratio est, quia cum in quæsito casu, pars non sit plenè, & cum effectu satisfacta, verè læderetur eius ius, & iuris ordo apertè perturbaretur. Igitur excommunicatus publicè denunciatus, &c. si sit ad satisfaciendum impotens, licet cum cautione iuratoria, possit virtute Bullæ, pro foro conscientia absolui: non tamen pro foro fori, seu contentioso, & externo nisi de licentia partis; aut nisi, ea citata, probet suam impotentiam coram Iudice excommunicante. Sic Henriquez *lib. 13. cap. 28. n. 2.* ibi: Confessarius verò per priuilegium suæ Religionis, per Iubilæum, aut per Bullam Cruciatæ, non debet istum, quamuis impotentem absoluere sola iuris cautione, ne perturbetur debitus ordo Iuris: sed mittat illum ad partem, aut (si pars nolit concedere licentiam absoluendi, vel si longissimè absit) recurrat ad iudicem, qui excommunicauit, &c. Sic ille. Sotus *in 4. distinct. 2. 2. quæst. 2. artic. 3. conclusione 2.* Couarruias *in cap. Alma mater 1. part. §. 9. numero 11.* Valerus *verb. Absolutio, differ. 3. num. 1.* & Trullench *in Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dubio 10. num. 9.*

QVÆSTIO XCIX.

*An supposito, quod, iuxta nostram sententiam, valida sit, etiam pro foro externo, absolutio data, vi Cruciatæ, ab excommunicatione reseruata, & delata ad forum contentiosum; non solum possit, sed teneatur Iudex eam acceptare, & approbare, & liberum reputare reum excommunicatum à pœna fori exterioris?*

**A**ffirmat Valerus *verb. Absolutio, differ. 2. num. 4.* Quia, si absolutio, parte iam satisfacta, operatur quoad forum externum, non indiget absolute excommunicantis: ergo tenetur eam Iudex acceptare, & approbare. *Confirmatur.* Quia aliàs talis absolutio, nullius esset roboris, ac virtutis pro foro externo, si Iudex posset reum sic absolutum, ac si non esset absolutus, procedere: ergo vt sit alicuius roboris, ac virtutis pro illo foro, tenetur Iudex eam acceptare.

Respondeo dicendum, quod licet possit Iudex si velit, dictam absolutionem admittere, & acceptare pro foro externo, eamque approbare repellendo accusatorem; non tamen teneatur ex rigore iuris, illam acceptare, & approbare, quamuis benè ex æquitate, & benignitate.

Prima pars huius responsionis, constans est apud omnes, etiam contrariæ opinionis, Authores. Quia  
R. P. Leand. de Censuris.

ex acceptatione huiusmodi absolutionis, nullum sequitur damnum tertiæ personæ, & aliàs multi grates Doctores probabilissimè affirmant absolutionem dictæ excommunicationis, parte realiter satisfacta, valere pro foro externo, & contentioso: ergo licitè potest Iudex, horum opinioni adherere, & sic talem absolutionem pro foro externo acceptare. Sic Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 2. lit. V.* per hæc verba: Si Iudex esset benignus, & amicus posset eam absolutionem admittere in foro exteriori, repellens accusatorem, quod affirmat Fr. Medina *lib. 2. cap. 12. ad fin.* Manuel *§. 9. num. 55. ad fin.* Et quidam Recentiores, vt D. Costa, & Licentiat. Muñoz: & ex Theologis D. Martinez & alij Recent. cum Nauarro aiunt, esse in praxi receptum. Fauent Decius *consil. 137. n. 3.* Pau. Parisius *consil. 1. num. 15. volum. 4.* Bartol. *consil. 67.* Ferrarius *caute. 25.* & alios citat Simancus *de Cathol. institut. cap. 8. num. 18.* Quidam consulunt, vt curet reus, si publicè sit excommunicatus absolui per Bullam coram testibus, vt sic euitet scandalum, & periculum. Nauarrus *cap. 27. num. 43. 272. ad fin.* cum Angelo: & fauet Syluester *excommun. 5. num. 26.* At satis est Confessarium testari absolutionem. Candidus *consil. 2. tit. de testib.* cum Innocent. Glossa, Felino, &c. Hucusque ibi Henriquez, quod & repetit *lib. 13. cap. 27. num. 5.* Egidius *disput. 14. dub. 16. numero 227.* Auila *part. 2. cap. 7. disput. 3. dub. 12.* Laymann *tract. 5. part. 1. cap. 6. num. 5.* Quos citat & sequitur Bardi *in Bull. Cruc. part. 2. tract. 6. cap. 5. sect. 1. in fine,* citans Henriquez etiam *in lib. 8. cap. 6. num. 4. lit. L.* sed omnino malè Trullench *in eadem Bull. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 9. num. 3. & dub. 10. num. 10.*

Secunda verò pars nostræ responsionis probatur. Quia multi probabilissimè è contra sustinent, minime absolutionem excommunicationis præfatae, suffragari pro foro exteriori, eo quod existiment, quod licet parti sit satisfactum, semper detrahatur in aliquo iurisdictioni fori exterioris, & Iudicis auctoritati; ergo licitè poterit Iudex conformare se horum opinioni, & sic, si velit, procedere contra sic absolutum. Hoc dictum sit loquendo in rigore Iuris. Nam ex æquitate, & benignitate verè debet Iudex in partem benigniorem se inclinare, quando ipsi constat reum, satisfacta parte, fuisse absolutum: quia tunc nulla apparet ratio, quare Iudex non debeat ex æquitate, & benignitate absolutionem illam acceptare. Sic Rodriguez *tomo 1. quæstione 61. articulo 10.* Trullench *loco citato,* & alij. Nec quid amplius, quam hanc secundam nostræ responsionis partem, valent probare argumenta pro prima sententia facta.

QVÆSTIO C.

*An absolutio Censurarum, vi Cruciatæ; necessariò sit impertienda in actu Confessionis Sacramentalis?*

**A**ffirmant plures Doctores. Primò, quia id constat, tam ex Bullis concessis ante Gregor. XIII. in quibus, dum concedebatur facultas absoluendi à Censuris, erat, sub clausula ista; *Qui, audita confessione, possit absoluere à peccatis & Censuris,* quam ex Bullis, quæ modo conceduntur, in quibus, quamuis non ponatur dicta clausula, *Qui audita, ponitur tamen alia æquiualens, videlicet; Vt possit eligere Confessarium ex approbatis ab Ordinario, qui eos absoluat, semel in vita, & semel in mortis articulo, ab omnibus peccatis, & Censuris, quouis modo reseruatis.* Ex quibus clarè colligitur quod nequeat quis per Bullam à Censuris absolui nisi in actu confessionis Sacramentalis. Ita Nauarrus *capite 26. num. 31.* Couarruias *in cap. Alma mater 1. parte, §. 11. num. 16.*



Suarez tom. 5. disput. 7. sect. 5. n. 38. Filliucius tract. 11. cap. 9. num. 294. Vasquez tract. de excomm. dubio 20. num. 9. Rodriguez in Bull. §. 9. num. 54. dicto 5. Acolta disput. 50. in fine. Lopez cap. 8. de Bulla, pag. 835. Sanctarellus tract. de Inbil. 8. dub. 8. Moure in exam. Theol. moral. part. 3. cap. 9. §. 12. num. 4.

Sed probabilius respondeo: dicendum, quod absolutio à Censuris, vigore Bullæ Cruciatæ, non sit necessariò impertienda in confessione Sacramentali: sed optimè possit dari extra confessionem, non obstante quacumque clausula ex assignatis supra, in Bulla apposita. Ratio est. Primò, quia nulla est, connexio necessaria, ex natura rei, inter absolutionem à Censuris extra absolutionem, vt si reus deberet statim absolui, eo quod esset dies solemnus, & non esset paratus ad confitendum: ergo tunc non solum validè, sed & licitè, potest dari absolutio à Censuris, etiam vi Bullæ, extra confessionem. Verum est, quod si commodè fieri potest, decentius est, vt talis absolutio in confessione impertiatur.

Nec obstat clausula opposita in Bullis concessis ante Gregorium XIII. nempe, *Audita concessione*, quia refertur absolutionem à peccatis; non ad absolutionem à Censuris. Nec rursus clausula posita in Bullis, quæ modo post Gregorium XIII. conceduntur; nempe, *et possit eligere Confessarium*, &c. quia per hanc, non concluditur, vtramque absolutionem, peccatorum, videlicet, & Censurarum, simul tradi necessariò in confessione debere: sed solum quod, ille, qui absoluit potest virtute Bullæ à Censuris, debeat esse necessariò Confessarius approbatus ab Ordinario, non vt absolutio ab illis, in actu exerceat confessionis, sed quia voluit Pontifex, vt conferatur ab habente talem qualitatem, ne aliàs eligeretur aliquis Clericus ignarus ad absoluendum à Censuris, qui nesciret discernere, an hic, & nunc pœnitens sit absoluendus; an debeat satisfacere parti; quænam satisfactio sit præstanda? & similia. Vnde hanc nostram sententiam sustinent Henriquez lib. 7. cap. 13. num. 2. dicens, quod praxis, consulto Commissario Cruciatæ, habet, vt liceat absoluit à Censuris extra confessionem. Citatque pro hac parte Canum, Victoriam, Peñam, Medinam, Sancium, & Guerrerum. Quibus addi possunt, Sanchez lib. 8. de Matrim. disput. 54. n. 30. Auila part. 2. cap. 7. disput. 3. dub. 13. Vega tom. 1. summa cap. 6. casu 3. Petr. Ledesma tom. 1. sum. cap. 8. de excomm. dub. 3. Rodriguez in Addit. ad Bull. §. 9. num. 47. vbi mutauit sententiam. Ægidius de excomm. disp. 14. dub. 16. num. 253. conclus. 1. Suarez etiam tom. 2. de Religion. lib. 6. cap. 16. num. 4. & tom. 4. de Relig. lib. 9. cap. 2. num. 27. Ludouic. à Cruce in Cruc. disput. 1. cap. 4. dub. 5. num. 2. Trullench lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 13. à n. 5. Bardus in eand. Bull. part. 2. tract. 6. cap. 1. sect. 9. & cap. 3. sect. 2. num. 12. & 17. Lezana tom. 3. quest. 9. verb. Bulla, num. 28. Ioan. de Cruce in director. consecr. part. 2. tract. de excomm. dub. 5. conclus. 3. Villalobos tom. 1. sum. tractat. 27. clausula 9. §. 2. num. 23. Hurtadus disput. 15. de excomm. diff. 5. num. 18. Præpositus in 3. part. quest. 3. de Censur. in comm. dub. 14. num. 105. vbi ait, hanc sententiam esse veram, etiam si in Bulla, seu priuilegiis dicatur, absolutionem esse dandam in foro conscientie, vel in foro pœnitentie, aut dicatur; *eorum confessionibus diligenter auditis*. Diana 1. part. tract. 11. resolut. 25. & p. 3. tract. 2. resolut. 20. & part. 4. tract. 4. resolut. 8. & part. 5. tractatu 9. resolut. 13. Bassæus verb. Absolutio, num. 22.

#### QVÆSTIO CI.

*An absens possit validè, & licitè à Censuris absolui?*

**R**espondeo primò tanquam certum: posse validè. Quia sicut potest absens Censuris ligari, ita po-

test ab illis absolui. Sic Henriquez lib. 13. cap. 29. n. 1. ibi: Absens non absoluitur à peccatis: absolutio tamen excommunicationis potest verbo dari absenti: per nuntium, vel per literas mitti ad excommunicationem: vt si Episcopus nollet absolutionem casus referuati committere speciali Vicario deputato, posset causa cognita, pœnitentia designata, absentem absoluit ab excommunicatione etiam Papali, si occulta sit. Sic Henriquez, & penes ipsum ibi lit. G. Nauarr. cap. 26. num. 14. Syluester absol. 3. num. 9. Sotus dist. 22. quest. 2. art. 3. & dist. 18. quest. 2. art. 6. ad 2. Palud. dist. 18. quest. 5. D. Bonauent. quest. 6. Alexand. 4. part. quest. 81. membr. 7. & Perez l. 1. tit. 5. lib. 8. Ordin. p. 182. Quibus addi possunt Suarez de Censur. disputat. 7. sect. 7. num. 4. Filliucius tract. 11. cap. 10. num. 324. Reginaldus lib. 9. num. 324. Bonacina disput. 1. de Censur. quest. 3. punct. 4. num. 4. Trullench in Cruc. lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 18. num. 10. Sayrus in Thesaur. lib. 2. c. 21. à num. 12. Bardus in Bull. part. 2. tract. 6. sect. 2. num. 17. Ludouic. à Cruce disput. 1. cap. 4. dub. 7. num. 12. Diana part. 4. tractatu 3. resolut. 103. Lezana in summ. qq. Regul. verb. Absolutio, num. 16. & alij omnes. Auila 2. part. cap. 7. disputat. 2. dub. 1. respondens dubio his verbis: Potest absolui per Procuratorem, vel per literas, vel etiam sine illis, solis verbis exprimentibus intentionem absoluendi: Ita Henriquez, Sotus, & Nauarrus (*loc. cit.*) & est communis Doctorum. Dicunt tamen Sotus *sup.* & Nauarrus cap. 27. num. 40. quod iam vsus habet, vt absolutio committatur Sacerdoti qui absoluit in præsentia. Ita ille. Qui addit, rectè facere Prælatos, qui dum in Capitulis Generalibus dant generalem absolutionem à Censuris, eam extendunt ad absens. Sic Auila.

Respondeo secundò, non esse licitum, absque causa rationabili, absoluit absentem à Censuris. Tum propter reuerentiam ipsius Censuræ. Tum etiam propter scandala, quæ inde occurrere possent. Causa autem rationabilis esset, si excommunicatus aliquod graue damnum pateretur, nisi absolutionem Censurarum haberet, & non posset adire Confessarium, neque Confessarius ad illum, tunc enim per literas, non solum validè, sed etiam licitè absolui posset. Sic Friliuc. *loc. cit.* per hæc verba: Non est tamen danda absolutio absenti, nisi quando aliter fieri non potest. Primò enim curandum est, vt accedat ad locum absoluentis. Secundò, si non potest, mittenda facultas, vt aliquis præsens illum absoluit. Terriò si nullus adesset in eo loco, mittenda facultas ad aliquem viciniore loci. Denique si aliter non posset, & alioqui dignus esset, posset absolui in absentia. Tunc autem esset absolutus regulariter, quando recipit litteras continentes absolutionem, nisi aliàs constet de mente absoluentis. Sic ille. Et Trullench, & Bardus *loc. cit.*

#### QVÆSTIO CII.

*An etiam absens possit absolui à Censuris; si absolutio ei conferatur, vigore Bullæ Cruciatæ, aut alterius similis priuilegiij?*

**N**egant omnes Authores, qui putant absolutionem à Censuris vi Bullæ Cruciatæ, dandam esse in actu Confessionis Sacramentalis. Et certè consequenter. Quia, cum certum sit, non posse Sacramentum huiusmodi confici inter personas absentes, vt diximus 1. part. tract. 5. disputat. 2. quest. 28. hinc fit, quod neque vi Bullæ Cruc. exigentis, in eorum sententia, vt in ipso Sacramento Confessionis, detur absolutio à Censuris, potest quis absens absolui ab ipsa Censura. Ita Nauarrus, Couarruias, Suarez, Vasquez, Filliucius, & alij *cit. sup.* q. 101. pro prima sententia.

Sed probabilius respondeo: etiam vi Bullæ Cruciatæ

ciatæ posse absentem absolui ab excommunicatione, & aliis censuris. Quia probabilius est, facultatem, quæ per Bullam conceditur, in ordine ad remittendas censuras, esse independentem, quoad suum effectum, à Sacramento Pœnitentiæ: & consequenter manet firmum, posse absentem, adhuc vi Bullæ Cruciatæ, à censuris absolui. Sic tenent Henriquez, Canus, Victoria, Medina, Sancius, Sanchez, Auila, Bardus, Lezana, Trullench, & alij citati *suprà* q. 101. pro nostra sententia. Legantur inter hos, Bardus, & Trullench *loc. cit.*

QVÆSTIO CIII.

*An Absolutio à censuris, præscindendo à priuilegio Bullæ, & ab alio simili, possit validè inuito conferri?*

**R**espondeo tanquam certum: Posse, quia cum censura non sit culpa, sed pœna, sicut ferri potest validè in inuitum, ita etiam ab inuito auferri. Sic omnes DD. tam Theologi, quàm Canonistæ apud Suarium *disp. 7. de Censur. sect. 7. num. 5.* Qui id rectè intelligendum putant, spectata ratione censuræ, & respectu habentis iurisdictionem ordinariam: non respectu habentis potestatem delegatam limitatam, &c. de qua *infra*. Legantur apud Suarium, D. Thom. *in 4. dist. 18. quest. 2. art. 5.* Ricardus *art. 10. quest. 1.* Paludanus *quest. 5. art. 3.* Carthusianus *quest. 4.* & alij. Henriquez *lib. 13. cap. 29. num. 1.* & penes ipsum, *lit. L.* Sotus, Syluester, Corduba, Felinus, D. Bonau. Alexand. Perez, & alij. Vasquez *dub. 18. de excommunicatione, num. 14.* Filliucius *tract. 11. cap. 10. quest. 6. num. 325.* Rodriguez *in summa, cap. 83. num. 13.* Auila *2. p. cap. 7. disp. 2. dub. 2.* Egidius *disput. 14. dub. 16. num. 224.* Reginaldus *lib. 9. num. 36.* Bonacina *disp. 1. de Censur. quest. 3. punct. 4. n. 3.* Alterius *tom. 1. lib. 6. disput. 6. cap. 2.* Cornejo *tract. 5. de Censur. in gen. disp. 11. dub. 5.* Trullench *in Bullam, lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 18. num. 9.* Bardus *in eand. Bulla. part. 2. tract. 6. cap. 3. sect. 3.* Diana *part. 5. tract. 9. resol. 10.* Bauny *disp. 3. de Absolvente à Censur. tract. 2. quest. 35.* & Hurtad. *disput. 14. diff. 6. num. 26.* Luyfius *lib. 2. disput. 24. dub. 7.* Machado *1. tom. lib. 1. part. 3. tract. 2. docum. 23. num. 5.* & omnes.

QVÆSTIO CIV.

*An etiam vi Bullæ Cruciatæ, aut alterius similis priuilegij concessi in fauorem pœnitentis, possit hic, etiam inuitus, à Censuris absolui?*

**A**firmavit quidam modernus Scriptor in casu nunc occurrenti, cuius consilium cum suo fundamento, si quod erat, reiectum ac reprobatum fuit ab omnibus huius Academia Complutensis Doctoribus. Et meritò quidem. Vnde

Tanquam quid certissimum, respondeo non posse pœnitentem, vi Bullæ Cruciatæ, aut alterius similis priuilegij, sibi concessi, absolui inuitum, seu renitentem à censuris. *Primò*, quia vsus talis priuilegij *primò*, & per se dependet à libera voluntate ipsius priuilegiati: ergo, ipso nolente, nequit priuilegium applicari; & consequenter Confessarius non poterit per Bullam Cruc. aut simile priuilegium concessum in gratiam priuilegiati, ipsum priuilegiatum absolueri.

*Secundò*, quia vt Confessarius validè possit, vi Bullæ absolueri à censuris reum, necessum omnino est, vt hic prius eligat illum, virtute Bullæ, eiusque foro se subiiciat, vt constat ex contextu ipsiusmet Bullæ: ergo absque hac præuia electione, & volun-

taria subiectione, non poterit censuratus validè à Confessario absolui. Sic omnes præcipuè Henriquez *lib. 13. cap. 29. num. 1.* ita scribens: Item conferri potest homini etiam inuito beneficium absolutionis ab hac censura, & ab aliis pœnis. Quod tamen per Bullam, aut Iubileum non conceditur: quia vsus huius priuilegij pendet ex voluntate eligentis Confessarium. Sic ille. Auila *2. part. cap. 7. disp. 2. dub. 2.* his verbis: Nota quod conclusio intelligitur de absolvente per potestatem ordinariam, & absolutam independentem à voluntate excommunicati: Vnde per Bullam Cruciatæ, vel Iubileum, vel aliud priuilegium concessum in fauorem pœnitentis, non potest absolui inuitus. Ita P. Henriquez *loc. cit.* & aliqui Magistri: nam vsus priuilegij pendet ex voluntate vtentis illo, vnde si non vult vt illo, non habebit Confessarius facultatem absoluedi virtute illius. Hucusque Auila, & Diana *part. 5. tract. 9. resol. 10. in fine*, omnino ex Auila non citato. Suarez *disp. 7. de Censur. sect. 7. num. 1. & 5.* Alterius *lib. 6. disp. 6. cap. 2. vers. Et hæc conclusio.* Filliucius *tract. 11. cap. 10. quest. 6. num. 325.* Bonacina *disp. 1. quest. 3. punct. 4. num. 3. vers. Dixi si spectemus.* Cornejo *tract. 5. de Censur. in gen. disp. 11. dub. 5. vers. Aduertendum tamen.* Trullench *in Bullam, lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 18. num. 9. in fine.* Bardus *in eand. Bull. part. 2. tract. 6. cap. 3. sect. 3. num. 23.* Ludouic. à Cruc. *disp. 1. cap. 4. dub. 7. num. 11.* & alij. Debentque sic sentire omnes, qui sentiunt, absolutionem censuratum necessario debere fieri in actu confessionis sacramentalis; quia cum confessio huiusmodi nequeat fieri absque positio consensu pœnitentiæ, euident est quod ista absolutio non possit dari inuito.

QVÆSTIO CV.

*An quando priuilegium absoluedi à censuris est concessum, non in gratiam pœnitentis, sed ipsius Confessarij; tunc saltem, possit hic, validè absolueri inuitum?*

**R**espondeo tunc validè posse absolueri inuitum; si tale priuilegium sit illi concessum absque limitatione. Quia, vt *suprà* diximus, spectata natura censuræ, sicut ad illam infligendam non requiritur consensus illius, contra quem fertur; ita neque ad illam auferendam. Sic Auila, & ex illo Diana *loc. cit.* his verbis: Dico, *concessum in fauorem pœnitentis*, nam si sit concessum (*priuilegium*) in fauorem Confessarij, vt si sit Religiosus, qui absoluit virtute priuilegij concessi ipsi Religioni, credo quod absolutio erit valida. Sic illi. Quibus adiunge Bardum *loc. cit. num. 20.* sic scribentem: Si Confessarius priuilegium habeat absoluedi à censuris reseruatis absque limitatione, & priuilegium sit concessum in gratiam ipsius Confessarij, siue, vt priuatæ personæ, siue vt partis alicuius communitatis, vt sunt Religiosi, poterit inuitum absolueri. Sic Bardus, & antea Suarez, Filliuc. & Ludou. à Cruce *locis cit.*

QVÆSTIO CVI.

*An casu, quo validè absoluitur à censuris inuitus, etiam absoluetur licitè?*

**A**firmatiuam sententiam tenere multos Iuristas, quos citat, ac sequitur Vgolinus *tab. 1. cap. 19. §. 2. n. 3.* referunt Luyfius *lib. 2. disp. 24. dub. 7.* & (ex illo) Diana *part. 5. tract. 9. resol. 10.* Sed certè malè referunt hos Authores, cum oppositum sentiant, vt refert Suarez *disp. 7. sect. 7. num. 9.* his verbis: Sed quæret aliquis, estò in his casibus valida sit absolutio, an licitè concedatur? Quidam Canonistæ censent id nunquam licere,

licere, vt latè refert, & defendit Vgolinus (*loc. cit.*) *Primò*, quia est contra institutionem, & vsum Ecclesiæ, quæ præcipit, vt si excommunicatus, vel alia censure ligatus, in sua contumacia perseueret, aggrauentur in eum censure, & aliæ pœnæ, donec resipiscat, &c. Negatiuam igitur sententiam, non affirmatiuam sustinent dicti DD.

Alij verò cum distinctione respondent, dicendo; posse quidem licitè absolui, si censura, qua reus est ligatus sit ab homine, quia tunc nec ius diuinum, nec humanum violatur; & ideo, obseruatis prudenter circumstantiis, licitè quit ab eo censura tolli: at verò si lata sit à iure, tunc esse obseruandam formam à iure assignatam, quod si assignata non fuerit, rem esse prudenter considerandam, vt fiat sine peccato. Sic Suarez *loc. cit.*

Sed clarius respondeo *primò*, in omnibus casibus, in quibus validè inuitus potest absolui à censuris latis ab homine, potest etiam licitè; etiamsi nolit desistere à contumacia, & peccato propter quod est innotatus censure, casu tamen quo Iudex cognoscat, quod censura non profit, sed noceat, & quod si absoluat inuitus, proderit ipsi censurato; alias minimè licitè absoluerè poterit inuitum.

Respondeo *secundò*, etiam censuratus à iure, potest absolui licitè inuitus & renuens; (si aliàs non caueatur in iure; vt vilo modo absoluat nisi satisfaciat, &c.) dummodo tres adsint conditiones. *Prima* quod hoc non sit in præiudicium tertij; quia hic esset actus contra iustitiam. *Secunda*, dummodo non adsit scandalum, nec contemptus censure, & *tertia* quod sunt sufficientia signa, quod talis censura potius detrimentum afferat, quam vtilitatem; & quod procedendo via suauiori obedientiam obtinebit. Sic Faber *de Censur. in 4. dist. 25. quest. 1. disp. 4. cap. 8. num. 261.* & ex illo, Diana *resol. 10. cit.* & Bauny *disp. 3. de Absolvente, tract. 2. quest. 35.* Sic etiam Filliuc. *tract. 11. cap. 10. quest. 6. n. 326.* & alij. Et hoc indicauit D. Thom. *dist. 18. quest. 2. art. 5. quest. 2. ad 2. dicens; etiam manente contumacia, posse aliquem discretè, excommunicationem iustè latam remittere, si videat saluti illius expedire, in cuius medicinam excommunicatio lata est.* Sic S. Thom. Legantur Bonac. Bardus, & alij citati.

### QVÆSTIO CVII.

*An petenti absolutionem ad cautelam, nocere ea petitio possit, ita vt reputare eum oporteat pro excommunicato?*

Respondeo nullo modo ei nocere posse: nec per hoc fateri se esse censuratum, ac proinde nec reputare eum pro censurato, aut excommunicato oportere. Ratio est, quia multa, vitandæ molestiæ causæ, dici, agique solent; quæ nec sunt necessaria, nec admissæ alicuius culpæ confessio tacita. Hæc responsio colligitur clarè, ex cap. *Exhibita, de homicid. volunt.* Cuius titulus sic se habet: *Homicidium casuale, non imputatur ei, qui non occidit, nec fuit in culpa, etiamsi ad cautelam veniam postulauerit.* Sic titulus, & sic Glossa ibi, verbo, *Postulauit à nobis*, (non verb. *Veniam*, vt citat Couarr. cum in illo capite, nec tale inueniatur Verbum.) Couarr. *in cap. Alma mater, 1. part. §. 12. num. 1.* vbi ait, id esse manifestum. Abbas *in cap. Ad presentiam, de Appellat. & Portel part. 3. casuum, casu 29.* quos citat, & sequitur Bauny *disp. 3. de Absolvente, tract. 2. quest. 1. pag. 112. & 113.* & Alterius statim citand.

Idem à fortiori sentire debent authores, qui asserunt, nec petentes absolutionem simplicem, fateri ob id excommunicatos esse, Abbas, Cardinal. Alexand. Innocent. Felin. & Rota, quos citat, ac sequitur ipsemet Couarr. *loc. cit. num. 1.* vbi latè hoc probat, & con-

cludit dicendo; quod si quis absolutionem ab excommunicatione simpliciter petat, non videatur verè fateri se esse excommunicatum, ac proinde quamuis ex petitione hac præsumi possit quædam excommunicationis confessio; non tamen assumi certa sed præsumpta, quæ in rebus maximi præiudicij probationem plenam, absque aliis adminiculis, non constituit. Legatur Alterius *lib. 4. disp. 6. cap. 4. per totum.*

### QVÆSTIO CVIII.

*An ignarus, vel inscius, possit à censuris absolui?*

Respondeo posse, absolute loquendo, & spectata ratione censure. Quia vt sic, nulla est repugnancia, quin censura possit auferri, etiamsi eius ablatio, ignoretur ab illo, qui est eadem censura ligatus: vt vt docent communiter omnes. Suarez *disp. 7. sect. 7. n. 5.* Bonacina *disp. 1. quest. 3. punct. 4. num. 3.* Bardus *in Bull. part. 2. tract. 6. cap. 3. sect. 3. num. 24.* Qui benè ait, secus dicendum, casu, quo quis ignoraret priuilegium, intuitu sui ipsius concessu, & consequenter dependenter à sua libera voluntate; quia tunc nequibit ille, vi illius absolui à censura, dum quis ignorat exercitium, & applicationem ipsius priuilegij, veluti Bullæ Cruciatæ, cum vsus huius & applicatio dependeat à voluntate talem Bullam habentis.

### §. IV.

*De requisitis in absolutionis forma.*

### QVÆSTIO CIX.

*An sit de essentia absolutionis censurarum, vt fiat per verba propriè dicta?*

Respondeo tanquam certum: Non esse. Nam absolutio huiusmodi, potest dari absenti, & per scripturam, vt supra habitum est: ergo non est de eius valore, aut essentia, vt per verba propriè dicta proferatur. Sic omnes. Legantur Suarez *disp. 7. sect. 9.* Couarr. *in cap. Alma mater, §. 11. à num. 6.* Ægidius *disp. 14. dub. 16. à num. 202.* Cornejo *tract. 5. disp. 11. dub. 3.* Luyfius *lib. 2. disp. 24. dub. 3.* Bonacina *disp. 1. quest. 3. punct. 5.* & alij. Qui omnes affirmant, validam esse absolutionem excommunicationis, & aliarum censurarum siue verbo, siue scripto proferatur.

### QVÆSTIO CX.

*An absolutio censurarum, etiam per nutus, & signa, validè dari possit?*

Affirmant, absque vlla distinctione, nonnulli DD. inter quos est Bardus *in Bull. part. 2. tract. 6. cap. 4. sect. 5. num. 26.* vbi in marg. hæc scribit: *Poterit validè dari per nutus, & signa; id autem à solo Summo Pontifice, licitè fit.* Et Hurtad. *disp. 14. de excommunic. diff. 4. n. 6.* ita dicens: Conueniunt primo DD. ad formam absolutionis ab excommunicatione sufficere quæcumque signa exteriora (quamuis non sint verba) quibus sufficienter significetur absolutio: quia ex natura rei faciunt quæcumque signa exteriora, & aliàs iure positio, nulla præscribuntur, vt necessaria ad valorem absolutionis: ex consuetudine tamen absolutio fit verbis eam sufficienter significantibus, & non aliis signis, contra quam consuetudinem, nequit absque necessitate, licitè fieri, præsertim inter præsentem; id tamen non existimarem illicitum mortaliter. Hæc ille.

Et

Et antea Auila 2. part. cap. 7. disp. 3. dub. 1. conclus. 1. & 2. vbi hæc habet: Prima conclusio, Nulla verba determinata sunt de essentia absolutionis, vnde quibuscunque verbis, vel signis vtatur absolvens significantibus intentionem eius, valida erit absolutio: secunda conclusio: Vt licitè fiat seruata est consueta forma verborum apponenda in dub. sequenti. Hinc sequitur cum Tabiena verb. Absolutio 3. num. 8. quod solus Papa potest licitè absoluere, salutando, vel dando osculum pacis. Ita Auila, & Salas de legib. disp. 20. sect. 9. num. 85. & Cornejo tract. 5. de Censur. in gener. disp. 11. dub. 3. quest. 3.

Sed ego cum aliis probabilius, sub distinctione respondeo; quod absolutio à censuris, nullo modo possit dari validè per nutus, & signa à Prælati Summo Pontifice inferioribus: secus tamen à Summo Pontifice. Ratio est, quia nullus Prælati inferior Papa variare potest formam à iure præscriptam: at sic est, quod in iure communi est præscriptum, absolutionem à censuris esse dandam, vel per verba, vel per scripturam, cap. Cum desideres, & cap. Si aliquando, de sentent. excommunic. & docet Glossa in Clement. ult. verb. Velle, de sentent. excommun. ergo. Secus est dicendum de Summo Pontifice: qui cum sit supra ius commune, potest per nutus, & signa absoluere eos, qui censuris sunt innodati. Quod & constat ex Clement. citata. Sic Sanchez lib. 8. de Matrimonio, disput. 4. num. 24. Suarez disp. 7. sect. 9. num. 13. & 14. Filliucius tract. 11. cap. 10. quest. 8. num. 330. & 331. Bonacina disp. 1. quest. 3. punct. 5. num. 5. & 6. Luylius lib. 2. disp. 24. dub. 3. vers. Item disputat. Diana part. 5. tract. 9. resol. 31. Couart. in cap. Alma mater, §. 2. num. 2. & §. 11. num. 7. vers. Imò & aduersus. & penes ipsum, Abbas, Felin. Ricard. & Florentinus. Henriquez lib. 1. cap. 26. n. 2. Villalob. tract. 16. diff. 24. num. 1. Bassæus verb. Absolutio, num. 19. Machado lib. 1. part. 3. tract. 2. docum. 2. num. 1. dicens id esse commune. Sa verb. Absolutio ab excommunicat. num. 5. ibi: In absolutione ab excommunicatione sufficiunt quæuis verba cum intentione. Rastellius de censur. in gen. quest. 7. de absolutione à censura, art. 3. num. 5. licet limitet nostram sententiam his verbis: In inferioribus autem valentibus exprimere verba, requiruntur verba, vt in d. cap. Cum desideres: sed in non valentibus exprimere verba, propter infirmitatem, sufficiunt signa sensibilia certa; vt quia benedicat ligatum censura petentem absolutionem ab illius certa specie, annuatque illam absolutionem à Notario scribi, & sic scriptam, eique lectam, nutibus confirmet: probatur, valida est applicatio censuræ hoc modo facta; vt probatum est in quest. de censura forma; igitur multo magis absolutio hoc modo facta valida est. Hucusque Rastellius. Quam doctrinam etiam tradit Alterius tom. 1. lib. 4. disput. 7. cap. 1. quest. 3. Legatur Palao tom. 6. disp. 1. punct. 11. §. 3. num. 3. Vbi absolutè docet, esse mortale signis absolutionem censuræ conferre: tum quia aduersatur, inquit, consuetudini receptæ: tum etiam, quia est satis dubium an ea absolutio subsistat.

QVÆSTIO CXI.

An ad absolutionem censuræ in foro conscientie, requiratur determinata verborum forma?

**A**ffirmatiuam sententiam tenere Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 4. n. 24. ait Bonacina disp. 1. quest. 3. punct. 5. n. 1. Sed falsò. Nam Sanchez solum ait: iure cautum esse in absolutione ab excommunicatione verba desiderari, cap. Desideres, de sentent. excommun. quod quidem verum est, vt ex dictis constat: non tamen ad propositum questionis propositæ. Vnde

Tanquam certum respondeo: Ad absolutionem censuræ impertiendam in foro conscientie, nulla, ex

natura rei, requiritur determinata verborum forma: sed sufficiunt verba quælibet, siue in voce, siue in scriptis, quæ satis absolutionem à censura dari, indicent. Ratio est, quia nec natura iudicij, nec ius commune, nec Ecclesiæ antiqua praxis, certa, aut determinata verba postulant, quæ tanquam ei essentialia vsurpare in hoc ministerio oporteat: ergo sufficiunt quælibet modò absolutionem à censuris indicent. Sic Villalobos tract. 16. diff. 24. num. 1. per hæc verba. Respondeo, que en el Derecho no ay forma expressa para esto, como dicen los Doctores in 4. dist. 18. y en especial Couarruias, cap. Alma, §. 11. num. 6. & 7. Syluestro verb. Absolutio 3. num. 2. y Suarez de Censur. disp. 7. sect. 9. n. 2. y assi vale la absolucion debaxo de qualquiera forma, que lo signifique, como si dixesse: Reconciliote: Tollo, vel aufero à te censuram. O, como dicen otros; Benedico te; ò, Rebenedico te, y hase de añadir, ab excommunicatione, vel suspensione, &c. sino es que se colija sufficientemente de las palabras que preceden: que si vno pide al Iuez, que le absuelva de la descomunión, y el Iuez dice: Ego te absoluo, ya se entiende que es de la descomunión. Sic ille. Et antea Valentia tom. 4. disp. 7. quest. 17. punct. 8. Filliucius tract. 11. cap. 10. q. 7. Egidius disp. 14. dub. 16. n. 202. Salas de legibus, disp. 20. sect. 9. num. 85. Bonacina loc. cit. Bauny tom. 2. de censur. disp. 3. de Absolvente, tract. 2. quest. 29. dicto 2. Bardus in Bullam, part. 2. tract. 6. sect. 5. n. 27. Rastellius art. 3. cit. num. 4. pag. 139.

QVÆSTIO CXII.

An in absolutione censurarum, que datur, virtute Bullæ Cruciatæ; necessariò requiratur vti forma, que in ipsa Bulla præscribitur?

**R**espondeo non requiri necessariò vti tali forma, quia quamuis in Bulla præscribatur particularis absoluendi à censuris forma, nihilominus non præscribitur tanquam forma necessariò exercenda, distincta ab ea, qua communiter, absque ipsius Bullæ applicatione, vti solemus. Quod quidem ex tenore eiusdem Bullæ, in quo nihil circa formam absolutionis sancitum habemus, ac proinde forma communis relinquitur vsurpanda.

Nec obstat quod in Bulla apponatur quædam specialis absoluendi forma; quia vt diximus, non apponitur tanquam necessaria, sed solum ex deuotione, quatenus in ea exprimuntur varij effectus, qui per virtutem Bullæ causantur; nempe explicita remissio censurarum, tum à iure, tum ab homine, remissio culparum, & applicatio indulgentiæ plenariæ. Et addo quod talis forma, solum fuit in Bulla apposita pro illa absolutione quæ datur semel in vita, & semel in mortis articulo, vt constat ex titulo, qui est ante ipsam formam. Sic omnino Bardus loc. cit. num. 29. Ex quibus constat, quod circa absolutionis formam, Bulla nihil diuersum à iure communi, tanquam necessariò decernit, ideòque, poterit Confessarium vti forma communiter consueta.

QVÆSTIO CXIII.

An absolutio censurarum valeat, si dicatur: Absolutio te, non addendo, ab excommunicatione, suspensione, vel interdicto?

**A**ffirmant Vgolinus tab. 1. cap. 23. Sayrus lib. 2. c. 16. num. 3. Bonacina punct. 5. cit. num. 1. vers. Hinc colligi potest. & Candid. disp. 22. art. ult. num. 2. quos citat & sequitur Machado lib. 1. part. 3. tract. 2. docum. 21. n. 2. Quia

Quia existimant, non esse necessarium exprimere nomen censuræ, à qua datur absolutio; & idèd sufficiens sit dicere, *Absoluo te*; nam ambiguitas huius verbi *Absoluo te*, sufficienter determinatur, esse à tali censura, per intentionem absoluentis. Hanc opinionem esse probabilem expressè dicunt Suarez, & Bardus *infra*. Negant verò è contra apud Machado, Syluester *verb. Absolutio* 2. §. *Quantum est*, & Villalob. *tom. 1. tract. 16. diff. 24. num. 1.* Sed hi authores, absolutè id non negant, *vt infra*.

Sed probabilius multò, sub distinctione, sic respondeo dicendum, quod, quando reus petit absolutionem determinando censuram, v. g. absolui ab excommunicatione; tunc, vt absolutio sit valida, non est opus exprimere in absolutione, censuram, v. g. *absoluo te ab excommunicatione*, sed satis est dicere: *Absoluo te*, quia ratione petitionis sufficienter determinatur significatio illius verbi *Absoluo*, & intentio Absoluentis. Quando verò absolutio à censura datur non petenti, vt contingit, quando datur inuito, aut in confessione, ante absolutionem à peccatis, ipso absoluendo nihil petente, nec cogitante de censuris, tunc vt absolutio à censura sit valida, necessum erit exprimere in absolutione censuram, à qua poenitens absoluitur; vt *absoluo te ab excommunicatione, aut suspensione*, &c. quia aliàs non videtur satis significari sensibilibiter ille effectus, & voluntas iudicis absoluentis. Sic Suarez *disp. 7. sect. 9. num. 4. & 5.* (citans Syluestrum pro hac parte, melius quàm Cornejo, & Diana pro parte omnino negatiua.) Bardus *sect. 5. cit. num. 30. & 31.* Villalob. *quest. 112. citatus*, Cornejo *tract. 5. de Censur. in genere, disp. 11. dub. 3. quest. 2.* Luyfius *lib. 2. de Censur. disp. 24. dub. 3. vers. Sed potest esse.* Diana *part. 5. tract. 9. resol. 31.* & antea Alterius *tom. 1. lib. 4. disp. 7. c. 1. vers. Respondeo quando ex verbis.*

#### QVÆSTIO CXIV.

*An in absolutione censurarum, explicari debeat necessariò causa, ob quam quis incurrit censuram; dicendo: Ego te absoluo ab excommunicatione, quam ob furtum, v. g. incurristi?*

**R**espondeo tanquam certum: Non debere necessariò explicari causam ipsius censuræ, per se loquendo, quia expressio causæ in absolutione censuræ, nullo iure præscribitur; nec ex natura rei, talis necessitas oritur; cum intentio absoluentis cum ipso effectu tollendi censuram, satis explicetur, etiam si causæ censuræ non exprimat. Verum est, quod per accidens loquendo, potest esse necessarium causam censuræ explicare; vt accidit quando quis pluribus censuris est ligatus, & Superior intendit vniam tantum per absolutionem auferre: tunc enim causa censuræ necessariò est aliquo modo exprimenda, vt constet de qua censura Reus absoluat. Sic Henriquez *lib. 13. cap. 29. num. 1.* vbi, iuncta Glossa *lit. E.* docet, quod licet expediat in absolutione causas excommunicationis exprimere: attamen quamuis non exprimentur, si vnus potest, & intendit ab omnibus, satis sit dicere: *Absoluo te*. Sic ille, & penes ipsum, Nauarr. *cap. 26. num. 8.* Paludan. *quest. 5. col. penult.* cum Henric. & Ioan. D. Thom. *quest. 24. art. 6. Sotus disp. 22. quest. 2. art. 6.* Syluester *absolutio 3. num. 11.* & Couarr. *in cap. Alma, 1. part. §. 11. num. 6.* quibus addi possunt Suarez *disp. 7. sect. 9. à num. 6.* Filliucius *tract. 11. cap. 10. n. 329.* Bonacina *disp. 1. quest. 3. punct. 5. num. 7.* Cornejo *tract. 5. de Censur. in gen. disp. 11. dub. 3. quest. 1.* Luyfius *lib. 2. de Censur. disput. 24. dub. 3. vers. Item disputat.* Alterius *lib. 4. disp. 7. cap. 1. vers. Secundo quæri potest.* Rastellius *de Cen-*

*sur. in gen. q. 7. art. 3. num. 6. pag. 140. Diana part. 5. tract. 9. resol. 31.*

#### QVÆSTIO CXV.

*An absolutio censurarum, dari validè possit, iisdem verbis, quibus datur absolutio peccatorum, nempe; Absoluo te?*

**N**egare videntur, vt aliàs diximus, Syluester *Absolutio 6. n. 2. §. Quartum est*, & Vega *cap. 6. casu 50.* Sed probabilius respondeo dari validè posse, quia nulla est in hoc implicatio: cum & verificetur forma sacramentalis, & relaxatio vinculi censuræ: ergo dicendo: *Absoluo te*, si intendat Confessarius simul absoluere à censuris, & à peccatis, validè ab vtroque absoluet. Quia quamuis vtraque absolutio sit simul tempore, tamen absolutio censurarum est prior natura, quod sufficit ad valorem vtriusque. Sic Nauarr. Sotus, Henriquez, Bonacina, Egidius, Coriolanus, & Granados, quos citauimus *1. part. tract. 5. disp. 2. quest. 38.* quibus addi possunt iterum Bonacina *de Censur. disp. 1. quest. 3. punct. 5. n. 3.* Bardus *in Bull. Cruc. part. 2. tract. 6. cap. 4. sect. 5. num. 30.* Lezana *in summa, tom. 1. verbo, Absolutio, num. 2.* Suarez *de Censur. disput. 7. sect. 2. num. 37.* & alij. Addit tamen Bonacina certioremodum absoluendi esse, si Confessarius dicat: *Ego te absoluo ab omnibus censuris, & peccatis tuis.* Quod non est dubium.

#### QVÆSTIO CXVI.

*An non solum validè, sed & licitè, possit Sacerdos absoluere simul à censuris, & à peccatis, præfatis verbis: Absoluo te?*

**A**ffirmat Bonacina *de poenitent. disp. 5. q. 4. punct. 1. num. 10. vers. Obijcies secundo.*

Sed æquè probabiliter respondeo non posse licitè, nisi in casu necessitatis. Quia nonnulla inordinatio est omittere modum consuetum absoluendi prius etiam temporis prioritate à censuris, quàm à peccatis: erit ergo veniale ita absque necessitatis casu absoluere. Sic Granados *tract. 1. de poenit. disp. 6. sect. 1. num. 2.* & Bossius *de Iubil. sect. 1. casu 23. n. 18. 19. & 20.* quos adduximus *1. p. loc. cit. quest. 39.*

#### QVÆSTIO CXVII.

*An ante absolutionem ab excommunicatione, sint aliqua solemnitates, & ceremonia præmittenda?*

**R**espondeo affirmatiuè, quia sic colligitur ex *cap. Cum aliquis 11. quest. 3.* & ex *cap. A nobis 2. de sententia excommunicat.* & ex aliis iuribus mox citandis.

Ex quibus constat, quatuor solemniter esse requisiti, non necessariò, sed ad benè esse dumtaxat, & de congruo, vt quis ab excommunicatione absoluat. *Prima est*, petitio ipsius absoluendi; Nam Reus petitione absolutionis, declarat se paratum esse ad parendum, & à contumacia recedendum, quod est finis excommunicationis. Sic colligitur ex *cap. Per tuas, de sentent. excommunicat.* illis verbis: *Nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri: ne sententiam Ecclesiasticam contemnere videatur.* Nonnunquam verò expedit, absolutionem impetiri non petenti, vt *supra* est habitum. Sic Suarez *disput. 7. sect. 10. num. 1.* Filliucius *tract. 11. cap. 10. quest. 9.* Alterius *lib. 4. disp. 7. cap. 2.* Bonacina *disp. 1. quest. 3. punct. ult. propos. 1.* & alij.

*Secunda est.* Quod qui absoluendus est, prius præstet iuramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, vel ipsius absoluentis, vel, quod idem est, de non committendo amplius tale delictum, propter quod est innodatus censura. Colligitur ex cap. *Tenore*, cap. *De catero*, & cap. *Si desideres*, de *sententia excommunicationis*. Sic Nauarrus cap. 26. num. 7. Alterius, & Bonacina loc. cit. Auila 2. part. cap. 7. disput. 3. dub. 2. & communis.

*Tertia est.* Quod qui absoluendus est, prius satisfaciatur parti, si cum damno huius, aut iniuria censuram contraxit, exhibendo realem satisfactionem, si commodè potest, & offensa, aut iniuria est manifesta: aut debitam cautionem de ea præstanda quando offensa est dubia. Colligitur ex cap. *Ex parte 1. de verbor. significat.* Sic Alterius, Auila, & Bonacina loc. cit.

*Quarta est.* Quod Sacerdos, qui absoluit, dicat Psalmum *Miserere*, vel alium ex pœnitentialibus, & interim flagellet excommunicatum in humeris, cum fune, flagello, cortigia, seu virga, & completo Psalmo cum Gloria, dicat *Kyrie eleison, Christe eleison, Pater noster*, & postea Vers. *Saluum fac Domine hunc famulum tuum*, &c. *Esto ei Domine turris fortitudinis*, &c. *Nihil proficiat inimicus in eo*, &c. *Domine exaudi orationem meam*, &c. *Dominus vobiscum*, &c. Oremus. *Deus cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum tuum, quem excommunicationis sententia ligatum tenet, miseratio tua pietatis absoluat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Deinde dicat: *Authoritate Domini nostri Iesu Christi, & Apostolorum Petri, & Pauli, mihi concessa, absoluo te à vinculo excommunicationis, quam incurristi, propter hanc, vel illam causam, & restituo te Sacramenti Ecclesiæ, & communioni fidelium, In nomine Patris, &c.* Hæc ferè Innocent. III. in cap. *A nobis*, el. 2. de *sentent. excomm.* Legantur Nauarr. cap. 26. num. 9. Auila, Bonacina, & Alterius loc. cit. Bauny disput. 3. de *absolvente ab excomm. tract. 2. q. 29.* & alij. Circa quas solemnitates, aliquæ occurrunt difficultates, pro quibus resoluendis, sit circa secundam

### QVÆSTIO CXVIII.

*An Reus excommunicatus debeat, ob quodcunque crimen, præstare iuramentum, de non committendo amplius illud?*

**A**ffirmatiuam sententiam innuere Nauarr. cap. 26. num. 27. & Couarr. in cap. *Alma mater*, 1. part. §. 11. num. 5. & 11. eo quod absolutè dicunt, ante absolutionem ab excommunicatione petendum esse iuramentum de non committendo amplius illud delictum, ait Auila 2. part. cap. 7. disput. 2. dub. 2. vers. *Circa primum*. Sed certè in primis Nauarrus num. 27. citato, nihil de hac materia dicit: benè tamen num. 7. vbi hæc habet: Porro in absoluendo ab excommunicatione seruari debet formam iuris, quæ, vt diximus in cap. 1. in princip. de pœnitent. dist. 6. num. 54. habet primum, vt iuret parere super eo mandatis Ecclesiæ. cap. *Ex tenore*, cap. *De catero*, de *sentent. excommunicat.* Hæc ibi meus Nauarrus. Qui tamen intelligi oportet, iuxta ea quæ superius, eodem cap. 26. num. 2. dixerat. Vbi enumerauit delicta, in quibus debeat Confessarius à Reo excommunicato iuramentum exigere, sic dicendo: sed non obliget eum ad id, voto, iuramento, vel alia promissione, quæ nouum vinculum adiciat; nisi cum ius id præcipit, vt in excommunicato notorio absoluendo, cap. *Ex parte*, de *verbor. significat.* & cap. *Solet*, de *sentent. excommunicat.* lib. 6. & in *Incendiaro*, cap. *Pessimam* 23. quæst. 8. Et in *mutilatore* cap. *Si quis membrum, ead. caus. & quæst.* Et manifesto raptore,

aut Ecclesiæ violatore. cap. *Super eo, de raptore*. Et vsurario publico, cap. *Quanquam*, verb. *Nullus*, de *vsur.* lib. 6. Et in publicè iniuriante personis Ecclesiasticis. cap. *Quisquis inuentus fuerit* 17. quæst. 4. Sic hic Nauarrus. Constat ergo, non sentire ipsum, ob omnia crimina exigendum esse à reo iuramentum; alias frustra enumeraret ita diligenter præfata. Vnde

Cum communi sententia respondeo: Non debere Reum excommunicatum ob quodcunque crimen, præstare iuramentum de non committendo illud; sed solum ob maiora crimina, & enormia facinora, quæ sunt relata à Nauarro. Quibus adde etiam esse præstandum, quando quis est innodatus quacunque excommunicatione contenta in Bulla Cœnæ. Sic Henriquez lib. 13. cap. 28. num. 4. ibi: In quibusdam criminibus, vt incendiarij, percussione Episcopi, aut Cardinalis, & dum offensa fuit notoria, & cum scandalo, peret iudex, aut Confessarius ante absolutionem, vt Reus iuret parere super eo, mandatis Ecclesiæ (quod iuramentum non est de substantia absolutionis, sed additur ad cautelam) & iuret, primò, quod stabit piis mandatis, quæ statim iudex & Confessarius imponet nomine Ecclesiæ, putà de satisfactione partis, statim vt commodè poterit, & de vitando scandalo: Secundo imponet quod nunquam veniet contra illum Canonem à se violatum, putà quod nunquam percutiet Clericum; aut in incendiario, quod amplius non incendet, &c. Sic ibi Henriquez. Et in marg. lit. G. addit, ex variis authoribus, idem esse dicendum; de Excommunicato notorio: Et de eo, qui publicè fecit iniuriam personis Ecclesiasticis: De Raptore rei Ecclesiasticæ, vt decimarum: de raptore fœminæ: Et de publico vsurario. Sic pœnes illum, Syluester, Nauarrus, Couarruias, Caietanus, D. Anton. Medina, Soto, Corduba, & alij. Sic item Alterius lib. 4. disput. 7. cap. 2. dub. 1. Auila loco citato. Suarez disput. 19. sect. 2. num. 10. Egidius disput. 14. dub. 16. num. 204. Hurtad. disput. 14. de *excommunicat. diff. 4.* Palao de *Censur. disput. 1. punct. 11.* §. 3. num. 4.

### QVÆSTIO CXIX.

*An huiusmodi iuramentum, sit præstandum, ante absolutionem, ab omnibus, tam à fœminis, quàm à viris; & etiam à pueris?*

**A**ffirmant præstandum esse, tam à fœminis, quàm à viris; à pueris verò minimè, sed relinquendum esse arbitrio Episcopi, Syluester verb. *Absolutio* 3. num. 3. Auila 2. part. cap. 7. disput. 3. dub. 2. vers. *Circa primum*. Palao loc. cit. & alij.

Sed probabilius absolutè respondeo: Ab omnibus esse præstandum, quia Canones, qui iuramentum præfatum decernunt, nullam distinctionem assignant: igitur omnes personas excommunicatas comprehendunt. Sic innuit Alterius loc. cit. vers. *Tertiò dubitant.*

### QVÆSTIO CXX.

*An absolutio ab excommunicatione data, absque præstito iuramento prædicto, sit irrita, & nulla?*

**A**ffirmat Hostiens. in *summa, tit. de excomm. num. 14.* Quia existimat, tale iuramentum esse de substantia absolutionis.

Sed certissimè respondeo: Non esse irritam, aut nullam: sed ratam & validam, quia certissimum est, iuramentum non esse de substantia absolutionis: ergo hæc, sine illo, concessa valida est. Sic expressè Glossa in cap. *Cum desideres*, de *sentent. excomm.* vbi in sum. casus,

casus, sic ait: Nota primò, quod iuramentum non est de substantia absolutionis: vnde si omitteretur in absolutione, nihilominus absolutus est, qui sic absoluitur. Sic Glossa, & Syluester expressè contra Hostiensem *verb. Absolutio* 3. §. 3. & penes illum, Gof. Ber. & Gul. Angel. *eod. verb.* 3. num. 2. (non 12. vt citat Alterius) & apud illum Innoc. Ioan. Andr. Abbas, & alij. Alterius, & Auila *loc. cit.* & Henriquez *lib. 13. cap. 28. n. 4. cit.* Cuius verba habes *quest. 119. & communis.*

### QVÆSTIO CXXI.

*An non solum viri, sed etiam femina, quæ absoluenda sunt, debeant ab absolvente verberari, scapulis nudis?*

**R**espondeo tanquam certum: Nec villo modo verberari debere: Quia non est decens id obseruari in absolutione fœminarum. Sic Angel. *Absolutio* 3. num. 1. ita dicens: Consuetudo etiam habet, vt verberetur: quæ seruanda est in masculis, sed non in fœminis, nec multum iuuenibus, præsertim in nudo, Sic Angel. Nauarr. *cap. 26. num. 7.* dicens, nullo iure id caueri. Auila *2. part. cap. 7. disp. 3. dub. 2.* ita scribens: Notandum est, quod si est mulier non debet habere nudatos humeros, quia est indecens: imo neque hoc

est necessarium quamuis sit vir, quia iam non est in vsu, etiam quando absolutio fit publicè, & solemniter ab ipsis iudicibus. Sic ille. Alterius *lib. 4. disp. 7. cap. 2. vers. Quarta solemnitas.* Suarez *disp. 19. sect. 2. num. 11.* & alij.

### QVÆSTIO CXXII.

*An hæc solemnitatum, & ceremoniarum forma, sit de substantia absolutionis, saltem publica?*

**R**espondeo negatiuè. Sic Palao *rom. 6. disp. 1. punct. 11. §. 3. num. 4.* his verbis: Ritus seruandus in absolutione iudiciali à censura excommunicationis, præscribitur in *cap. A nobis 28. de sentent. excommunicat.* & habetur in Pontificali Romano. Huius ommissio, nec absolutionem inualidam reddit, vt omnes fatentur, nec illicitam grauius, nisi in solemnibus aliqua absolutione ad satisfactionem Ecclesiæ facta, vt notauit Gasp. Hurtad. *disp. 14. de excommunicatione, diff. 4.* In absolutione autem pœnitentiæ, etsi expediat regulariter prædictas ceremonias seruari, vt Censuratus cautior in posterum sit, certum est absque graui culpa omitti posse, vti viri timorati faciunt. Sic Palao.




## TRACTATUS TERTIVS

### DE

# EXCOMMUNICATIONIBVS

## Viginti, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur.



### DISPUTATIO PRIMA.

*De prima Excommunicatione Papæ reseruata in Bulla Cœnæ.*

#### QVÆSTIO PRIMA.

*Contra quot genera personarum, prima Bulla Excommunicatio fulminetur?*

**R**ESPONDEO quod contra vndecim, videlicet: Contra hæreticos cuiuscunque sectæ, & Apostatas à fide. Contra credentes hæreticorum, Receptatores, Fautores, & Defensores eorum. Contra legentes hæreticorum libros continentes hæreses, vel de religione tractantes; imò, retinentes, imprimentes, & defendentes quomodolibet; ex quauis causa, publicè, vel occultè; quouis ingenio, vel colore, & denique, Contra Schismaticos quoscunque; & Subtrahentes se, vel Recedentes ab obedientia Papæ. Sic summatim omnes. Legantur Nauarrus in *Man. cap. 27. à n. 56.* Syluester *verb. excommunicatio* 7. Suarez *disp. 21. de Censur. à sect. 1.* Alterius *rom. 1. lib. 5. disp. 1.*

& 2. Filliucius *tract. 16. à cap. 1.* Toletus *lib. 1. summ. à cap. 19.* Sayrus *de Censur. lib. 3. à cap. 1.* Reginaldus *lib. 9. à cap. 13.* Viualdus *part. 1. Candelabr. vbi de excommunic. à pag. 42.* Sà *de excommunic. Bullæ.* Bauny *rom. de Censur. tract. de Bulla Cœnæ, à pag. 296.* Bassæus *verb. excommunicatio* 6. Villalob. *tract. 17. à diff. 19.* Machado *tom. 1. lib. 1. part. 3. tract. 6.* Bonacina *rom. 3. disp. 1. q. 1. punct. 1. & sequent.* Aufonius in *summa Diana, verb. Bulla Cœnæ.* Castro Palao *tom. 6. de Censuris, disp. 3. puncto 2.*

#### QVÆSTIO II.

*Quis dicatur Hæreticus, & quid requiratur, vt quis tanquam hæreticus, sit excommunicatione Bullæ Cœnæ adstrictus?*

**A**D primum respondeo, quod ille dicitur Hæreticus, qui postquam baptizatus fuit, & Christi Domini doctrinam professus, ab aliquo fidei articulo pertinaciter dissentit, vel de eo deliberata voluntate dubitat: aut doctrinæ vel erroris contra authoritatem Ecclesiæ Catholicæ secus docentis, assensum præbet. Sic omnes citati Doctores, inter quos Bauny, Palao, & Vasquez *1. 2. disp. 26. cap. 4.*

*Ad secundum* respondeo, quod, vt aliquis sit excommunicatus, tanquam hæreticus, requiruntur hæc quinque. *Primum*, vt ille homo sit baptizatus. *Secundum*,

*Secundum*, quod ex parte profiteatur fidem Christi; & ex parte abnuat illam. Nam si omnino integram negaret, esset Apostata. *Tertium*, quod in intellectu suo verè habeat aliquem errorem, contra ea, quæ sunt de fide, vel ad illam directè, vel indirectè pertineat. *Quartum*, quod huiusmodi, qui hunc habet errorem, sit pertinax. Et *quintum*, denique, vt errorem quem habet in mente contra fidem, exprimat aliquo exteriori signo. Hæc omnia ergo requiruntur ad hoc, vt aliquis incurrat hanc primam excommunicationem appositam in Bulla Cœnæ. Legantur auctores citati, præcipuè Alterius *disp. 2. cit. cap. 2. Filliuc. tract. 16. cap. 2. quas. 2. num. 22. & Machado tract. 6. cit. docum. 3.* Sed nunc, circa tertium requisitum à nobis præsuppositum, sit

### QVÆSTIO III.

*An si quis ductus hinc, & inde rationibus, dubius maneat de veritate alicuius articuli fidei, sit verè hæreticus, & incurrat hanc excommunicationem Bullæ?*

**A**ffirmant apud Sanchez *ubi infra*, Ioan. Andr. & Abbas *in cap. 1. de hæret. Gabriel in 4. dist. 13. q. 2. art. 1. notab. 3. Angel. verb. hæresis, initio. Syluester Hæresis 1. quas. 3. Caiet. 2. 2. quas. 11. art. 2. notab. 1. & in summ. verb. Interrogatio in 1. præcepto, Castro, Corduba, Simancas, Torres, Aragon. Peña, Valentia, Toledo, & Azor. His addit Diana *ubi infra*, Villalobos *tom. 2. summ. tract. 1. dub. 10. num. 3. Syluium in 2. 2. D. Thoma, quas. 11. art. 1. Fabrum de sacramento Ordinis, dist. 25. quas. 5. disp. 3. cap. 4. num. 112. Homobon. de exam. Eccles. part. 2. tract. 12. cap. 4. q. 16. Molfesum tom. 1. summa, tract. 8. cap. 8. n. 44. Lorcam in 2. 2. quas. 11. art. 3. disp. 42. n. 5. & Coninch. de actib. supernat. disp. 18. dub. 7. n. 102. Quibus adhuc addi possunt Suarez *disp. 19. de fide, sect. 4. n. 12. Petrus Hurtado de fide, disp. 80. sect. 4. §. 22. & 23. & disp. 82. sect. 7. Granados tract. 15. disp. 3. & alij communiter. Qui probant, Primò ex cap. 1. de hæret. ubi dicitur, quod dubius in fide, est infidelis.***

*Secundò*, quia qui negatiuè dubitat, circa aliquod obiectum fidei, regulariter elicit actum positiuum infidelitatis, quo iudicet, & affirmet, illud obiectum, de quo dubitat, esse incertum, & dubium; quia sicut sine iudicio, nihil pro certo, ita etiam sine illo nihil pro dubio habetur.

Alij verò contrà negant. Ita Diana *part. 2. tract. 16. resol. 51.* his verbis: Sed contrariam sententiam, non minus probabilem esse existimo, quam tuentur Cano *de locis, lib. 12. cap. 9. & Emman. Sa verb. hæresis, n. 1.* quos citat & sequitur Sanchez *in sum. tom. 1. lib. 2. cap. 7. n. 12.* Quibus ego addo Tanner *in 2. 2. disp. 1. q. 8. dub. 6. n. 109. Portel in addit. ad dub. regul. verb. Hæresis, n. 4. & Putaneum in 2. 2. D. Thoma, q. 11. art. 2. dub. 2.* Et ratio est, quia de ratione hæresis est, electio erroris contra fidem: sed dubitans nondum aliquid eligit, sed manet in dubio, & in ancipiti: ergo non est hæreticus. Deinde; hæresis, est error fidei contrarius, seu assensus contra fidem: at dubitans nullum fert assensum pro, nec contra, hoc est enim dubitare, id est, neque assensire, neque dissentire: ergo si nullum habet assensum, nullum errorem habet contra fidem, nec proinde hæreticus est. Hucusque Diana. Quibus auctoribus addi adhuc possunt Becanus *in sum. Theolog. part. 2. cap. 14. q. 2. n. 9. & Franciscus de Christo q. 3. de hæresi, argum. 2.*

Sed ego clarius, triplici responsione, quæstioni propositæ satisfaciam. Respondeo ergo primò tanquam certum. Dubitans positiuè, & pertinaciter, circa aliquem articulum fidei, verè est hæreticus positiuè, & incurrit excommunicationem Bullæ in Cœna Domini. Patet, quia qui dubitat positiuè, v. g. de Trinitate, li-

R. P. Leand. de Censuris.

cet eam, neque affirmet, neque neget, iudicat tamen, & affirmat, contingens esse, vt sit, & non sit, quod est iudicare fortè non esse verum quod sit: at sic est, quod hoc est, positiuè contradicere Deo determinatè affirmanti, esse verissimum, Trinitatem dari, in quo hæresis positiua consistit: ergo. In hac conclusione non solum Doctores primæ sententiæ, sed etiam secundæ conveniunt, vt fatetur Sanchez *loc. cit. n. 12. vbi*, proposita sententia à nobis, secundo loco, relata ita ait: Et hæc sententia est probabiliori intellecta tamen, vt debet intelligi, nimirum quando intellectus vtriusque partis rationibus perpensis, pendulus est, nullumque iudicium format. Quod est verè, & formaliter intellectum dubium manere. Nam si supra suum dubitandi actum reflectitur, iudicans illam fidei rem esse dubiam, aut sub opinione esse: nemo negare potest esse hunc dubitantem, aut opinantem, perfectè hæreticum. Quod tunc vltra dubium ad sit consensus, & iudicium intellectus affirmantis rem fidei non esse certam. Quod est aperta hæresis. Et ita hoc explicant idem Canus *eod. cap. 9. col. 12. vers. errare autem. Bañez 2. 2. quas. 11. art. 2. col. 2. versic. Respondetur quod sicut, Valquez 1. 2. quas. 19. art. 6. disp. 65. cap. 1. num. 4.* Vnde moraliter loquendo cum dubitatione intellectus circa res fidei solet esse coniunctus hic actualis error, quo illas non omnino certas non omnino certas esse iudicat: atque ita hæresis communiter adest. Sic Canus *eod. cap. 9. col. 12. vers. Quid ergo. Valentia num. præcedenti*, relatus. Hucusque Sanchez. Vnde constat, potius esse citandum pro prima sententiâ, sicut citatur Valentia communiter. Ita tenent, vltra citatos, Gasp. Hurtadus *de fide, disput. 10. diff. 3. Fagundez in 1. præc. Decalogi, lib. 1. cap. 10. Alterius de Censur. lib. 5. disp. 2. cap. 2. & Bonacina hic disput. 1. quas. 1. puncto 1. num. 3.*

*Respondeo secundò.* Dubitans negatiuè, circa aliquem articulum fidei, suspendendo actum intellectus circa talem articulum propositum, eo quod non satisfiat motiuo, aut propositione motiui fidei, tunc verè est hæreticus, saltem moraliter. Quia qui postquam aliquis sibi aliquid dixit conanti credere, hæret, & pendulus manet, iniuriam irrogat authoritati illius, qui id dixit, aut reuelavit; cum ideo, sic hæreat, aut pendulus maneat suspendendo actum iudicij; quia videlicet, non fidit testimonio illius: ergo dubitans pertinaciter negatiuè circa aliquem articulum fidei, etiam dato, quod physicè non sit hæreticus positiuè, est tamen moraliter talis, quia moraliter censetur incredulus Deo, & non fidens testimonio illius, sicut qui positiuè discredat. Sic optimè Gasp. Hurtadus *loco citato*, & à fortiori tenent omnes primæ sententiæ DD.

*Respondeo tertio.* Si quis suspendat omnino iudicium, dum agnoscit se tentari contra fidem, tunc nec censendus est dubius in fide, nec hæreticus physicè, aut moraliter. Quia hic non suspendit iudicium, eo quod non fidat motiuo fidei; sed vt sic, facile possit tentationes contra fidem, quibus agitari solet, superare, ac vincere, quod quidem prudenter facit cessando penitus ab omni cogitatione & actu intellectus, & occupando se in aliis negotiis. Sic Alterius *loco citato*, & à fortiori omnes Doctores secundæ sententiæ.

### QVÆSTIO IV.

*An ut quis sit hæreticus, & incurrat hanc Bullæ excommunicationem, debeat esse pertinax in negando aliquo articulo fidei?*

**R**espondeo ex dictis, affirmatiuè. Quia simpliciter non dicitur hæreticus, qui habet errorem contra fidem



fidem in mente; dummodo non sit pertinax, iuxta illud dictum, quod Augustino tribuitur: *Errare possum: hæreticus esse non possum*, id est; possum errare, ex fragilitate, aut ignorantia, contra fidem, sed quia paratus sum corrigi, ubi edoctus fuero veritatem, idè hæreticus esse non possum, quia non sum pertinax. Sic colligitur ex eodem Augustino in cap. *Qui in Ecclesia* 24. *quest.* 3. sic dicente: Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, prauumque sapiunt, si correpti ut sanum, rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defendere persistunt, hæretici sunt. Sic Augustinus. Ex quo constat etiam, pertinacem esse dicendum illum, qui vel expressè, & scienter tenet aliquid contra sacram Scripturam, vel Ecclesiam: aut qui est paratus permanere in sua sententia, etiamsi à suo Prælato monitus fuerit, id quod asserit esse contra sacram Scripturam, vel Ecclesiam, ex cap. *Hæc est fides* 24. *quest.* 1. Legantur Felinus in rubr. de elect. Cardin. in *Clement. unica, de summa Trinit.* & alij apud Alterium lib. 5. *disp.* 2. cap. 2. latè Thom. Sanchez lib. 2. *summa*, cap. 7. à num. 3. & penes ipsum, D. Augustin. & D. Thomas, & cum his, alij omnes.

## QVÆSTIO V.

*An ut quis dicatur pertinax, sit necessaria temporis diuturnitas, qua, authoritati Ecclesiæ contradicens, perseueret?*

Affirmatiuam partem videtur tenere Syluester *verb. Hæresis* 1. §. 2. num. 5. quatenus hæc ex Archidiacono verba profert: Sciendum est tamen, secundum Archid. quod pertinacia non est iudicanda solum in actu exteriori: putà, quod ille solus pertinax reputetur, quod verbis, aut scriptis monitus resistit: sed etiam, qui latenter diu in errore persistit, vel vsque ad mortem perdurat: quia talis non videtur per ignorantiam, sed per obstinatum malitiam perseuerasse: idè Ecclesia tales præsumit hæreticos. Hæc Syluestri verba. Propter quæ Alterius, Bauny, & alij plures, hanc affirmatiuam sententiam ingenuè esse Syluestri, fatentur. Eandemque alij tribuunt Glossæ in *Clement. unica, de summa Trinit.* §. *Porro, verb. Pertinaciter*, eo quod exponit, ut idem sit pertinax, ac durus, irreuocabilis, obstinatus. Alciato in l. 2. cap. de *summa Trinitate*.

Sed tanquam certum respondeo: Non esse necessariam temporis moram, aut diuturnitatem, ut quis dicatur pertinax, & hæreticus. Quippe temporis momento potest hæresis peccatum, instar aliorum, committere. Nam in momento ipso, quo aliquis, sciens authoritatem Ecclesiæ sibi contrariam, assentit propositioni damnatæ, est pertinax in suo assensu, & hæreticus. Nec mirum. Quia sicut vnico actu potest quis habere consensum adulterij, & homicidij: ita potest tempore imperceptibili assentiri hæresi. Sic Caiet. Bañez, Cano, Corduba, Torres, Valentia, Vasquez, & Azor, quos affert, & sequitur Sanchez cap. 7. *cit. num.* 7. ubi ait, nobis non contradicere Syluestrum, quia tantum vult hic Author, ex temporis diuturnitate præsumi in foro externo, non procedere hæresim ex ignorantia, sed ex vera pertinacia. Alterius lib. 5. *disp.* 2. cap. 2. *vers. Respondeo pertinacem*. Bauny de *Bulla Cœna, quest.* 1. *vers. Ad hanc pertinaciam*. Fagundez lib. 1. in 1. *præcept. Decal. cap.* 4. num. 17. Vbi explicat Authores primæ sententiæ, dicendo, illos tantum loqui de pertinacia fori externi, in quo si quis subito ab errore resipiscat, non censetur pertinax, quia pertinacia non ita facile deponitur. Diana 1. p. *tract.* 5. *resol.* 1. & omnes.

## QVÆSTIO VI.

*An ut aliquis sit hæreticus, & incurrat hanc Bullæ excommunicationem, sit necesse, ut errorem, quem habet in mente contra fidem, exprimat aliquo exteriori signo?*

Negant nonnulli Doctores, existimantes, non esse necessarium ad incurrandam hanc excommunicationem, exprimere signo externo errorem, quem in mente habet, sed satis esse solum mente dissentire à recta fide. Ita Glossa in *Clement. 1. de hæret. verb. Eo ipso incurrant*, & penes ipsum, Ioan. Andr. Gof. & Raymund. defendentes, hæreticos omnino occultos, esse excommunicatos. Hos sequitur Adrianus *quodlib.* 9. q. 8. *art.* 1. & in *materia de Confess.* q. 2. & alij, quos citauimus *suprà tract.* 1. *disp.* 8. q. 3.

Sed longè multò verius, longèque probabilius, respondeo esse necesse, ut suum errorem exprimat aliquo exteriori signo; ita ut eius incredulitas humano sensui appareat. Vnde Hæreticus mentalis non incurrit excommunicationem vllam, ut cum communi sententia latè probatum manet *tract.* 1. *disp.* 8. q. 8. *cit.* Legantur etiam Bauny *tom.* 2. de *Censur. tract. de Bulla Cœna, quest.* 1. Bonacina *disp.* 1. *quest.* 1. *punct.* 2. num. 2. Palao *disp.* 3. de *Censur. punct.* 2. num. 3. & alij. Quale autem debeat esse signum externum, ut quis hanc censuram incurrat, manet dictum *disp.* 8. *cit.* à *quest.* 5.

## QVÆSTIO VII.

*An ut quis hanc Bullæ excommunicationem incurrat, sufficiat esse hæreticum externum, per accidens occultissimum?*

Negat Croufers in *reg. S. Franc. cap.* 7. *lect.* 4. fol. 518. ut refert Diana *ubi infra*.

Sed ut certum, respondeo sufficere esse hæreticum externum, licet sit per accidens occultissimum. Sic tenent communiter DD. ut vidimus *tract.* 1. *disp.* 8. q. 4. ubi manifestè hanc partem probauimus; eamque nouissimè contra Croufers defendit Diana *part.* 6. *tract.* 6. *resol.* 51. ex Fagundio, Azorio, & Hurtado de Mendoza, quos etiam nos citauimus *suprà tract.* 1. *disp.* 8. *quest.* 4.

## QVÆSTIO VIII.

*An qui solo verbo profert hæresim, ita ut in animo, nullum assensum talis propositionis hæreticæ habeat, incurrat huius Bullæ excommunicationem?*

Affirmauit Caiet. 2. 2. q. 12. *art.* 1. & *quest.* 94. *art.* 1. *Ad* 1. Quem sequuti sunt nonnulli alij DD. quos tacitè refert Alterius *tom.* 1. lib. 5. *disp.* 2. cap. 2. *vers. Ex dictis*, innuens id esse probabile.

Sed oppositum omnino respondeo dicendum, quod talis nullo modo incurrat excommunicationem. Eo quod talis non sit verè hæreticus, cum nullum habeat errorem contra fidem in intellectu. Hæc responsio manet probata *tract.* 1. *disp.* 8. *quest.* 6. Et tenent communiter DD. D. Anton. Sotus, Nauarrus, Syluester, Tabiena, Simancas, Vasquez, Suarez, Filiucius, Rastellius, Auila, Luyfius, Bauny, Diana, Syluius, Toletus, Bassæus, & Bonacina, adducti *loc. cit.* Quibus nunc addo Alterium *loc. cit.* Fagundez lib. 1. in 1. *præcept. Decalog. cap.* 10. n. 4. & 5. Thomam Sanchez lib. 2. *summ. cap.* 7. n. 8. Bañez, Sayrum, Valentiam, Azorium, & alios penes ipsos.

## QVÆSTIO IX.

*Quid sit Apostata?*

**R**espondeo dicendum, quod Apostata est, & dicitur ille, qui omnino Christianismi nomen, ac totam Religionem Catholicam deserit. In quo ab hæretico distinguitur; nam hic, ut ex dictis constat, non omnino Christianismum deserit, sed ex parte tantum. Ex quo colligitur omnem Apostatam esse verè, & propriè hæreticum; non tamen è contra. Sic communiter DD. Legantur Canus *lib. 12. de locis, cap. 9.* Vgolinus *2. part. de Censur. cap. 1. §. 1. num. 7.* Suarez *de Censur. disput. 21. sect. 2. num. 3.* Sanchez *lib. 2. summ. cap. 7. à num. 15.* Fagundez *lib. 1. in Decal. cap. 10. à n. 39.* Alterius *lib. 5. disp. 2. cap. 2. vers. Ex dictis igitur.*

## QVÆSTIO X.

*An omnis Apostata, hanc censuram Bullæ incurrat?*

**N**egandum videtur, si sermo fiat de Bullis Cœnæ latis à Pontificibus Prædecessoribus Clem. VIII. in quibus nulla de Apostatis fiebat mentio.

Sed, ut certum omnino respondeo omnes Apostatas hanc Bullæ excommunicationem, nunc, & antea Clementem VIII. incurrisse. Et quidem quod nunc incurrant, constat, quia in Canone Bullæ expressè addita est hæc clausula, *omnes à fide Christiana Apostatas.* Quod etiam antea talem censuram incurrerent, etiam ex habitis nuper, patet. Nam omnes Apostatæ sunt verè hæretici: ergo ob hanc rationem, etiam si expressè in Canone Bullæ non nominarentur, verè talem censuram incurrerent. Nominantur autem nunc expressè, ad maiorem claritatem, & quia vulgò non soleant hæretici nominari, qui apostantes à Religione Christiana ad Mahometanam sectam, vel ad Iudaismum transeunt. Sic Suarez, & Alterius *loc. cit.* Qui benè notant, id esse intelligendum de Apostatis, qui non solum de exteriori opere, & signo, sed etiam corde, recedunt à fide Catholica: Nam sicut interior infidelitas, sine exteriori signo non sufficit ad incurrendam hanc excommunicationem: ita neque exterius signum, sine interiori infidelitate. Sanchez *lib. 2. summ. cap. 7. num. 18.* vbi ait, quod non solum excommunicatio, sed etiam cæteræ pœnæ in iure statutæ hæreticis, incurrantur quoque ab Apostatis. Quod verè hæretici sint.

## QVÆSTIO XI.

*An etiam Magi, qui alias non sunt Apostata, vel hæretici, sint excommunicati per hanc Bullam Cœnæ?*

**A**ffirmant nonnulli, quos tacitis nominibus refert Bauny *vbi infra.* Quorum fundamentum potest esse; quia Bulla Pij V. eos, ut fatetur Nauarrus, comprehendebat: ergo.

Sed omnino respondeo dicendum, quod nullo modo sint per Bullam nouam Cœnæ, excommunicati, nisi alias hæresim, vel Apostasiam amplectantur. Ratio est, quia in hac noua Bulla non nominantur: ergo cum pœnæ sint restringendæ, dicendum est, illos hac excommunicatione non comprehendi. Sic expressè Nauarrus *cap. 27. n. 55. vers. Secunda.* ex S. Thoma *2. 2. q. 95. art. 1. & 2.* Bauny *tract. de Bulla Cœnæ, quest. 1. vers. Secundo excommunicantur.* Viualdus *2. p. Candelabr. in explicat. Bullæ Cœnæ, n. 13.* vbi sic ait: Nota etiam, quod licet in Bulla Pij V. includebantur sub clausula, & excommunicatione, qui habent libros Magicæ artis, R. P. Leand. *de Censuris.*

& illa vtuntur, ut Magi: in hac tamen Bulla non includuntur, ut ex multis, maximè S. Thoma, tradit Nauarrus, &c.

## QVÆSTIO XII.

*An omnes credentes hæreticorum erroribus, sint excommunicati in primo Bullæ Canone?*

**R**espondeo tanquam certum: Omnes esse excommunicatos, siue eorum erroribus explicite, & distinctè credant, eos cognoscendo, & eisdem assentiendo (quo casu, tales potius hæretici, quàm credentes dicuntur) siue implicite, aut confuse, non cognoscendo qui errores sint, sed credendo quidquid hæretici tenent, pertinaciter tamen credendo, verum esse quidquid hæretici credunt, & hi propriè dicuntur, *Credentes hæreticorum*, de quibus in hac Bulla est sermo, & in ea excommunicantur proprio nomine, gratia folius maioris explicationis. Legantur Palud. *in 4. dist. 13. quest. 3. art. 1. num. 10.* Nauarr. *cap. 27. num. 55.* Suarez *disp. 21. sect. 2. à num. 5.* Toledo *in summa in Bulla Cœnæ, excommunicatione 1. num. 17.* Sà *verb. hæresis, n. 11.* Sanchez *lib. 2. summ. cap. 10. n. 2.* Alterius *lib. 5. disput. 2. cap. 3.* Palao *disput. 3. punct. 2. num. 4.* Bauny *quest. 1. cit.* & alij penes ipsos.

## QVÆSTIO XIII.

*An etiam illi, qui solum credunt, hæreticos esse viros bonos, & ideo non male tractandos, sint per hanc primam Bullæ clausulam excommunicati, etiam si erroribus eorum minimè assentiant?*

**A**ffirmavit Abbas in cap. *Excommunicamus 1. §. Credentes, de hæret. num. 12.* vbi eadem excommunicatio fertur.

Sed longè multò probabilius respondeo: Tales, nullo modo esse excommunicatos per hanc Bullæ clausulam, *Credentes hæreticorum*; quia longè probabilius est, per hanc clausulam, solum intelligi, illos qui erroribus hæreticorum, siue explicite, siue implicite, credunt: non illos, qui hæreticos, bonos esse viros existimant, & bonam opinionem de eorum moribus, & indole habent, & ideo familiariter cum illis agunt, quin illorum erroribus communicent. Sic Sanchez, Suarez, Alterius, & alij citati. Fagundez *lib. 1. in Decal. cap. 12. num. 4. & 5.* & alij. Qui tamen addunt, quod quamuis huiusmodi credentes, non comprehendantur in hac excommunicatione, ea parte, qua credentes sunt; attamen, si illo modo, bonam fidem, aut opinionem, habere hæreticis, reputaretur, secundum moralem hominum existimationem, esse illis fauere, atque auxilium eisdem præstare, tunc sine dubio, incurrerent ita credentes excommunicationem eiusdem Bullæ Cœnæ, sub alia tamen clausula, nempe quatenus fautores hæreticorum, *ut infra.*

## QVÆSTIO XIV.

*An qui frequenter hæreticorum concionibus, aut Congregationibus intersunt, censeantur Credentes hæreticorum, ac proinde incurrant excommunicationem contentam in hac clausula?*

**R**espondeo affirmatiuè, quia per hæc facta, eorum animus, quod, scilicet, credant hæreticorum erroribus, apud iudicem probabiliter conuincuntur; cum de factis, de affectu præsumatur, *l. Dolum, C. de dolo,* Y 2 cap.

cap. Qui viderit 32. quest. 5. Sic communiter DD. Archidiac. in cap. Quicumque, de heret. in 6. n. 2. Ioan. Andr. ibi, num. 3. Gemin. num. 7. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 15. q. 1. Fagund. lib. 1. in Decalog. cap. 12. num. 5. Alterius lib. 5. disp. 2. cap. 3. & alij.

### Q V Æ S T I O X V.

*An etiam censeantur credentes hæreticorum, qui, non frequenter, sed semel solum concionibus hæreticorum, aut Congregationibus eorum intersunt?*

**N**egant communiter DD. Quorum ratio est; quod ex vnico actu, non insurgit credentia, cum non videatur approbari, quod postea euitatur. *argument. l. Qui contra. C. de Incest. Nupt. cap. Constat. 1. quest. 1. & cap. Ex studijs, de præsumpt.* Sic DD. nuper citati. Qui tamen secus dicunt, de illis, qui non semel, sed bis, (etiam dumtaxat) concionibus, aut Congregationibus hæreticorū intersunt. Eo quod ex duplici actu crimen ad consuetudinem trahi videtur. *l. Nemo. C. de Episcop.*

Sed clarius cum distinctione respondeo. Si quis Catholicus in terris hæreticorum existens, semel, vel bis, ad conciones, aut Congregationes hæreticorum accedat, non censebitur credēs, nec excommunicatus; quia tunc ex geminato actu dumtaxat, crimen facile præsumere non potest, præsertim si cum sapius potuerit frequentare, non frequentauerit. Si verò, in terris Catholicorum occulta ab hæreticis celebrentur conuenticula, & semel quis ad illa se conferat, sine consensu Episcopi, vel Inquisitoris, tunc haberetur pro credente hæreticorum, & pro excommunicato, cum in hoc casu approbare videatur, quod poterat auertere, si iudicibus Ecclesiasticis indicasset. Sic omnino Alterius lib. 5. disp. 2. cap. 3. *prope finem.*

### §. II.

*De Hæreticorum Receptatoribus, qui tertio loco, in hac clausula excommunicantur.*

### Q V Æ S T I O X V I.

*An qui semel, aut bis, non sapius, hæreticum recipit, in excommunicationem hanc incidat?*

**N**egant quidam DD. Quia in hac clausula excommunicantur hæreticorum receptatores: at sic est, quod Receptator, propriè ille solùm dicitur, qui frequenter aliquem recipit, vt vox ipsa indicat: ergo qui non frequenter, sed semel tantum aut bis hæreticum recipit, non erit hæreticorum receptator, ac proinde non incurret hanc excommunicationem. Ita Viualdus in explicat. Bulla Cœna, n. 8. ex Didaco Perez lib. 5. tit. 12. lib. 3. Ordin. Bauny de Censur. in explicat. Bulla, q. 1. pag. 298.

Sed probabilius longè respondeo. In hanc excommunicationem incidere illum, qui etiam semel hæreticum domi suæ recipit, vel occultauit. Quia probabilius longè est, nomine Receptatoris in hac clausula Bullæ, non solum intelligi illum, qui solitus est receptare; sed etiam illum, qui semel hæreticum recepit, in quemcumque locum, siue in propriam domum, siue in alienam, siue in agrum, siue in suam Ciuitatem, Prouinciam, vel Regnum, &c. *Primò*, quia ius ciuile non distinguit Receptatorem à Receptore. *l. cognouit. ff. de offic. Præsidi. & l. 1. ff. de Receptator. & l. ult. C. de his, qui la. occult.* Sed sic est, quod ille qui semel dumtaxat aliquem recipit, dicitur Receptor: ergo.

*Secundò*, quia quamuis hoc Bullæ decretum penale sit; & secundum Grammaticæ regulas hoc nomen Receptator frequentiam in receptione dicat: attamen secundum leges, & iura quibus Receptator, & Receptor appellatur, qui clam excipit, & celat aliquem, vt manus Iudicis euadat, idem enim sunt. Et quidem in hac parte ita clara est intentio legislatoris, vt per vocem Receptatoris, idem significetur ac per vocem Receptoris, quæ vnica receptione contenta est, vt (serè nullus dubitandi locus relinquatur. Sic Archid. in cap. Quicumque, de heret. lib. 1. Syluest. verb. heresis 1. §. 10. vers. Receptator verò. Brunus lib. 1. de heretic. cap. 4. Eymericus in director. inquisit. 2. p. 9. §. 1. num. 6. & ibi Peña comment. 76. Palud. in 4. dist. 13. q. 3. art. 1. num. 13. Azor lib. 8. instit. cap. 15. quest. 2. Toletus in summa in Bulla Cœna, casu 1. num. 21. Vgolinus de censur. Papa referu. 2. part. cap. 1. verb. Receptatores, §. 1. num. 2. Castro lib. 1. de iusta heret. punit. cap. 17. Sanchez lib. 2. summ. cap. 10. num. 10. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 12. n. 9. Suarez de fide, disp. 29. sect. 1. n. 4. Sayrus lib. 4. Thesauri, cap. 5. num. 3. Alterius lib. 5. disp. 2. cap. 4. Sanctarellus tract. 1. de heresi, cap. 12. dub. vnico. Filliucius tract. 16 cap. 2. n. 34. Palao tom. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 5. n. 4. & tom. 6. de Censur. disp. 3. punct. 2. n. 5. & alij.

### Q V Æ S T I O X V I I.

*An quacumque ratione, quis hæreticum in suam domum recipiat, sit excommunicatione ligatus?*

**A**ffirmant aliqui, & quidem probabiliter, apud Filliucium *loc. cit. vers. Dixi quartò.*

Sed longè multo probabilius respondeo negatiuè. Quia, vt quis in censuram hanc incidat, necessum est, vt sit Receptator hæreticorum formaliter, quatenus hæretici sunt, non vt amici, aut consanguinei. Sicut Receptatores latronum sunt, qui furtorum eorum sunt participes. Sic Nauarrus cap. 27. num. 55. Caietan. verb. excommunicatio, cap. 1. Viualdus, & Bauny *loc. cit.* Sanchez cap. 10. cit. num. 4. & penes illum, Sotus, Toledo, Suarez, Sayrus, Rodriguez, Azor, Vgolinus, & Sà verbo excommunicatio Bulla Cœna, num. 1. vbi sic ait: Quod dicitur de hæreticorum Receptatoribus, aut fautoribus, intellige, si faueant hæreticis in hæresi, seu quatenus hæretici sunt, non autem si ratione amicitiae, aut propinquitatis, aut alioqui pietatis. Sic Sà, & sic etiam Palao, Filliuc. Fagund. & alij nuper citati. Villalobos tract. 17. diff. 20. num. 6. Machado tom. 1. lib. 1. part. 3. tract. 6. docum. 3. num. 5. Bonacina in Bulla Cœna, disput. 1. quest. 2. punct. 3. num. 2. & omnes communiter.

### Q V Æ S T I O X V I I I.

*An sit Receptator hæretici, vt hæretici, qui hæreticum amicum, vel consanguineum receptat, ne in Inquisitoris manus deueniat; non quia hæreticus est, aut ratione heresis, sed quia est amicus, aut consanguineus?*

**A**ffirmant quamplures DD. prædictum verè, & propriè esse Receptatorem hæretici, vt hæretici, ac proinde incurere excommunicationem latam in hoc Canone, contra Receptatores hæreticorum, Ratio eorum est, quia huiusmodi receptio redundat per se, & proximè in hæresis fauorem, quamuis motiuum recipiendi hæreticum, non sit hæresis, sed amicitia. Ita Toletus in excommunicat. 1. Bulla Cœna, num. 2. & 23. Sayrus tom. 1. Thesauri, lib. 3. cap. 5. num. 3. sine. Vgolinus de Censur. Papa referuat. 2. part. cap. 1. verb. Receptatores, in fine principij, & §. 1. num. 3. vers. 6.

vers. 6. in fine. Sanctarell. tract. de hæresi, cap. 12. dub. unico, num. 4. & alij inter quos citat Fagundez ubi infra, Suarium de fide, disp. 14. sect. 1. n. 7. Ita etiam Palao tom. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 5. num. 9. & tom. 6. disp. 3. punct. 2. n. 5. & alij.

Sed probabilius respondeo nullo modo incurrere in hanc excommunicationem, qui hominem hæreticum recepat, ne in manus iudicis incidat, non intentione fauendi hæresi, quam animo detestatur, sed causa amicitiae, aut consanguinitatis. Ratio est, quia hæc excommunicatio Bullæ Cœnæ, & iuris, non incurritur nisi à Receptoribus hæretici, vt hæreticus est formaliter, vt nuper est habitum: atqui vbi non datur intentio fauendi hæretico, eo quia hæreticus est, sed solum fauendi personæ, alia quacunque de causa, non datur formaliter recipere hæreticum, cum solum recipiatur formaliter amicus, vel consanguineus, qui ratione consanguinitatis, vel amicitiae recipitur: ergo. Sic Sanchez lib. 2. summ. cap. 10. num. 5. & penes ipsum, Caiet. in summ. verb. excommunicatio, cap. 1. Aragon. 2. 2. quæst. 11. art. 3. paulò post princip. Sotus in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. post 5. concl. Nauarrus in summ. cap. 27. num. 55. & lib. 5. consil. tit. de hæretic. in 1. edit. toto consil. 11. & in 2. consil. 14. Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 21. sect. 2. num. 8. & Rodriguez in Bulla Cruc. §. 9. num. 75. His addi possunt Fagundez lib. 1. in Decalog. cap. 12. num. 8. & apud illum, Azor tom. 2. instit. moral. lib. 8. cap. 75. quæst. 3. Tiraquell. de pœnis temperand. &c. causa 4. & 22. & Simancas de Cathol. instit. tit. 15. n. 21. Sic etiam Filliuc. loc. cit. n. 36.

## QVÆSTIO XIX.

An qui Patrem, Matrem, uxorem, filium, aut fratrem, hæreticum recipit, aut defendit, ne in manus Inquisitorum deueniat, eo præcisè, quia est hæreticus, incidat in hanc excommunicationis pœnam?

**N**egare videntur apud Alterium, Zanchi tract. de hæret. cap. 4. num. 3. & cap. 6. num. 3. Carrerius tract. de hæretic. num. 167. Simancas de Cathol. instit. tit. 15. num. 20. & 21. Gigas tract. de crimin. læsæ Maieft. lib. 3. tit. de Plu. & var. quæst. quæst. 5. num. 3. & Tiraquell. tract. de pœnis temperand. causa 4. 20. & 21. quibus addi potest Viuald. de Bulla Cœnæ, num. 8. ita scribens: Ex quibus, & Nauarro supra, & ex Perez cum multis, poterit dici, quod si quis parentem, filium, & uxorem occultet, vel faueat, fugiat ne comprehendatur ab Inquisitore (licet aliquando peccet) non videtur incurrere hanc excommunicationem, quia hic reputatur vna persona secum. Ita ille.

Sed probabilius longè respondeo: Prædictum verè hanc excommunicationem incurrere. Quia, in nullo euentu licitum est alicui, etiam Patri, fauere filio hæretico, quatenus hæreticus est: ergo nemo, etiam pater, filius, frater, &c. in foro conscientiae, in dicto casu ab hac excommunicatione liberabitur. Secus dicendum est, vt constat ex dictis, si prædicti reciperent, aut defenderent parentes, uxores, filios, amicos, &c. hæreticos, non animo fauendi illorum hæresi, sed solum animo fauendi personis, ratione propinquitatis, consanguinitatis, aut amicitiae, quia tunc quidquid sit de præsumptione in foro externo, in foro animæ liberi erunt ab excommunicationis pœna. Sic Sanchez lib. 2. summ. cap. 10. num. 8. Alterius lib. 5. disp. 5. cap. 4. vers. Controversia, in fine, & penes illum, Repertorium Inquisitorum, & Paulus Grillandus. Sic etiam Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 12. num. 10. qui citat Menochium de arbitr. lib. 2. casu 548. Zanchinum loc. cit. ab Alterio, pro parte contraria, Calderinum tract. de hæretic. tit. de hæret. cre. dentibus, num. 1.

R. P. Leand. de Censuris.

Sanctarellum tract. de hæresi, cap. 12. dub. unico, & alios. Sic deinde Sà loc. cit. quæst. 17. ibi: Nec verò includendi sunt hæretici, pater, filius, aut coniux, secundum quosdam: ob tantam enim coniunctionem sunt velut eadem persona. Ego verò solum eos excusarim, ratione paulo antè dicta, nempe, ratione amicitiae, aut propinquitatis, aut pietatis. Filliucius loc. cit. num. 35. & alij.

## QVÆSTIO XX.

An qui hæreticum recipit, aut fauet, metu mortis, excommunicationem, & pœnas iuris incurrat?

**R**espondeo non incurrere. Primò, quia leges humanæ non obligant cum probabili vitæ periculo. Secundò, quia qui metu mortis hæreticum recipit, non tanquam hæreticum recipit illum, sed vt vitam suam tueatur, & seruet. Sic Azor tom. 1. lib. 8. cap. 15. q. 5. Sanchez lib. 2. summa, cap. 10. num. 8. Alterius lib. 5. disp. 2. cap. 4. in fine. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 12. n. 11. Qui benè ex Sanchez addit, non posse vim inferri, vt quis recipiat hæreticum, quia hæreticus est, quia cum animus sit occultus, facile illudi potest qui vim infert, fingendo se recipere animo fauendi hæresi, quamuis id faciat alia de causa, quod quidem licet (nisi aliàs timeatur scandalum, aut aliud graue damnum, vt communiter timeri debet) vtendo amphibologia.

## QVÆSTIO XXI.

An si quis hæreticum occultet, animo ne capiatur, vt sic possit suos errores disseminare; incurrat hanc Bullæ excommunicationem, si re vera hæreticus captus est, & ideò non disseminavit?

**A**ffermat Sayrus tom. 1. Thesauri, lib. 3. cap. 5. num. 4.asserens, non solum hanc Bullæ excommunicationem incurrere, verum etiam iuris communis. Quia hæc videtur intentio Summi Pontificis, nempe excommunicare illos, qui hæreticos recepat solo intuitu fauendi hæresi, etiamsi non sequatur effectus talis receptionis, aut occultationis, eo quod capti hæretici fuerint. Sayrum sequitur Palao tom. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 5. num. 11. & tom. 6. disp. 3. punct. 2. num. 5. citans pro se Suarium disp. 24. de fide, sect. 1. num. 14. & Graffium lib. 4. decis. cap. 18. n. 34.

Sed probabilius respondeo neutram excommunicationem præfatam occultantem incurrere, effectu occultationis non sequuto. Quia (ait Sanchez) excommunicatio Bullæ Cœnæ, primariò, & principaliter, fertur in hæreticos; & quasi accessoriè deriuatur, & extenditur ad fautores, defensores, & receptores eorum, vt optimè docet Suarez tom. 5. in 3. p. disp. 21. sect. 2. num. 8. Et constat ex tenore Bullæ Cœnæ excommunicantis hæreticos in primo loco, & deinceps, in ipsorum odium, reliquos. Qui idem tenor seruatur in iure, excommunicando hæreticos, & eorum fautores, &c. At vbi principaliter aliquis excommunicatur, & accessoriè mandantes, consulentes, vel fautores: hi non incurrunt effectu mandati, consilij, aut fauoris, non subsecuto; vt tradunt communiter Doctores in tract. de excommunicatione: ergo. Sic Sanchez loc. cit. num. 9. Fagundez num. 15. dicens, esse id commune. Farinacius de hæresi, q. 182. n. 102. Bonacina disp. 2. de fide, q. 5. punct. 3. n. 2. & tom. 3. de Censur. in particul. disp. 1. q. 1. punct. 3. num. 3. Filliucius tract. 16. cap. 2. n. 30. & alij.

## QVÆSTIO XXII.

*An ut hæc excommunicatio à Receptatore incurratur; necesse sit, ut hæreticus ab illo receptatus, sit denunciatus de excommunicatione, ob hæresim insurfa?*

**A**ffirmat Vgolinus de Censur. Papa referu. cap. 1. verb. Receptatores, §. 2. in fine. Quia (inquit) Concilium Constant. solum denunciatos vitare iubet: ergo

Sed longè multò probabilius respondeo: Non esse necessum, vt hæc excommunicatio incurratur, vt hæreticus receptatus sit denunciatus, sed satis esse, vt receptans sciat illum esse hæreticum, & animo, & intuitu fauendi hæresi illum recipiat. Quia receptio non prohibetur sub excommunicatione in iure, & Bulla Cœnæ, tanquam sit participatio cum excommunicato, sed solummodò, quia est receptio hæretici, vt hæreticus est. Vnde etsi hæreticus ille non esset excommunicatus, eo quod, v. g. ignoraret censuram, adhuc illum recipiens, vt hæreticus est, incurreret hanc censuram. Sic Suarez tom. 5. in 3. part. disp. 21. sect. 2. num. 9. dicens, ob hanc rationem, non habere hic locum limitationem Concilij Constant. Sanchez lib. 2. summ. cap. 10. num. 6. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 12. num. 13. dicens, esse communem omnium sententiam. Filliucius tract. 16. cap. 2. q. 5. n. 36. Bonacina disp. 2. de Censur. q. 5. punct. 3. fine. Duard. in Canon. 1. q. 3. Palao tom. 1. tract. 4. disp. 3. punct. 5. num. 4. & tom. 6. disp. 3. punct. 2. num. 5. & alij.

## QVÆSTIO XXIII.

*An qui necessitatis causa hæreticum recipit; aut ignorans probabiliter eum esse talem, excommunicationem hanc incurrat?*

**R**espondeo in neutro casu incurrere. Sic Filliucius loc. cit. Vbi inter casus, in quibus non incurrit excommunicationem is, qui hæreticum recipit, prædictos assignat, dicens: Tertiò si probabili ignorantia nesciat esse hæreticum; vel quæri à iudicibus, & alioqui non sit locus in quo soleant capi Vgolin. num. 4. Quartiò, si necessitatis causa hæreticum recipiat: vel se teneat necessitas ex parte recipientis, vel ex parte recepti: sic qui hæreticum reciperet ad curationem morbi proprii, vel vt sit miles in bello, vel vt is resipisceret ab hæresi, néve fame, aut frigore sæuiente nocte periret. Vgolin. ibid. à n. 5. Hucusque Filliucius, & antea Suarez, & Alterius loc. cit. & constat ex dictis tract. 1. de Censur. in gen.

## §. III.

*De fautoribus hæreticorum, qui, quarto loco in hac prima Bulla clausula excommunicantur.*

## QVÆSTIO XXIV.

*Qui vocentur, Fautores Hereticorum, ad incurrendam hanc Bulla excommunicationem?*

**R**espondeo, Fautores hæreticorum dici illos, qui fauore, gratia, opibus, verbo, opere, aut omissione, aut quouis alio modo, hæreticis, vt hæretici sunt, fauent, ne à iustitiæ ministris comprehendantur, aut comprehensi puniantur, vel quoquo modo illis opem præstant in sua hæresi tuenda, aut docenda. Sic Syluester verb. Hæresis, num. 10. quæst. 7. Tabiena

excommunicatio 5. num. 9. Sayrus tom. 1. Thesaur. lib. 3. cap. 5. num. 6. Suarez tom. 5. in 3. part. disp. 22. sect. 2. n. 8. Sanchez lib. 2. summ. cap. 10. num. 11. Alterius lib. 5. disp. 2. cap. 5. Filliucius tract. 16. cap. 2. quæst. 6. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 13. num. 1. Palao tom. 1. tract. 4. disp. 3. puncto 5. num. 6.

## QVÆSTIO XXV.

*An Iudices, Magistratus, & alia persona publica, qui requisiti ab Episcopis, vel Inquisitoribus, negligunt hæreticos capere, vel captos diligenter custodire, hac Bulla excommunicatione ligentur?*

**R**espondeo ligari hac excommunicatione, & etiam excommunicatione iuris, lata in cap. Excommunicamus 1. de hæret. cap. Nouerit, de sent. excomm. cap. Ad abolendam, de hæretic. & cap. Qui alios, eod. tit. dummodo id facere omittant intuitu ipsius hæresis, aut causa illi fauendi: quia tunc verè dicuntur, & sunt fautores hæreticorum. Secus verò est dicendum, si dicta facere omittant ex negligentia, auaritia, amicitia, vel amore, aut affectu quodam carnali ipsius personæ: quia tunc non sunt verè fautores hæreticorum, & ideò nec excommunicationem Bullæ, nec iuris incurrunt, vt constat ex supra quæst. 18. habitis. Sic communiter Doctores Emericus, Peña, Archidiaconus, Palud. D. Anton. Syluest. Tabiena, Sayrus, Toletus, Azor, & Vgolinus, quos citat, & sequitur Sanchez lib. 2. summ. cap. 10. num. 11. quibus addi possunt Vivaldus in exposit. Bulla Cœnæ, num. 4. & penes illum, Perez, Castro, Sotus, & Nauarrus cap. 27. à num. 55. Alterius lib. 5. disp. 2. cap. 5. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 13. num. 2. & 8. Sanctarell. tract. de hæresi, cap. 11. dub. 1. num. 17. Bauny in exposit. Bulla, quæst. 1. Villalob. tract. 17. diff. 20. num. 7. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 3. dub. 9. num. 6. Filliucius tract. 16. cap. 2. q. 6. & alij.

## QVÆSTIO XXVI.

*An etiam ipsi Inquisitores, & Prelati, hanc excommunicationem incurrant, si causa fauendi hæresi, omittant capere, torquere, aut punire hæreticos, aut fideliter in carcere custodire?*

**R**espondeo incurrere, quia omittunt quod ex officio præstare tenentur. Et idem, propter eandem rationem, dicendum est de aliis Ministris sancti Officij, qui familiares appellantur, si hæreticos causa tuendæ hæresis capere omittant (quia capere tenentur ex officio) necnon de Aduocatis, Notariis, Apparitoribus, & similibus, si omittant quæ contra hæreticos præstare tenentur. Nisi aliàs id omittant, non intuitu hæresis, sed ex mera negligentia, vel auaritia, vel amore carnali ipsius personæ hæreticæ; quia tunc non sunt fautores hæreticorum, vt nuper diximus, & ideò excommunicationem non incurrunt. Sic Sayrus in Thesaur. lib. 3. cap. 5. num. 7. Sanchez, Sanctarell. Fagundez, Trullench, Filliuc. loc. cit. & alij.

## QVÆSTIO XXVII.

*An censeatur fautor hæreticorum, & proinde in excommunicationem incidat, qui de hæresi suspectis fauet?*

**A**ffirmat Nauarrus lib. 5. consil. tit. de hæret. in 1. edit. consil. 11. in 2. consil. 14. per totum, dicens, prædictum esse

esse excommunicatum, tam per cap. *Inquisitionis*, §. *Prohibemus*, de *heret. lib. 6.* quam per *Canon. 1.* Bullæ Cœnæ; casu, quo suspectis de hæresi faueat, quatenus de hæresi sunt suspecti, sed ob aliam causam, nempe miserationis, paupertatis, cognationis vel amicitia.

Sed probabilius respondeo: non censerî fautorem hæreticorum, & consequenter nec incurrere excommunicationem ullam illum, qui de hæresi suspectis fauet, etiamsi faueat, quatenus de hæresi suspecti sunt. Ratio est, quia suspecti de hæresi, non sunt verè hæretici: ergo qui suspectis de hæresi fauent, etiam quatenus suspecti de hæresi sunt, non erunt fautores hæreticorum: ergo nulla excommunicatione ob id erunt ligati, patet. Nam Bulla Cœnæ, & iura supradicta solum loquuntur de fautoribus hæreticorum. Ex quo fit quod Gubernatores, & alij Magistratus, & officiales, qui requisiti ab Episcopo, vel Inquisitore, negligunt capere eos, qui perseuerant in excommunicatione per annum, etiamsi id faciant animo fauendi illis, quatenus de hæresi sunt suspecti, nullo modo incurrere excommunicationem. Sic Suarez tom. 5. in 3. part. disputat. 21. sect. 2. num. 14. Sanch. lib. 2. summa cap. 10. num. 14. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 13. num. 5. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 3. dub. 9. §. 3. numero 7. Palao tomo 1. tractatu 4. disputatione 3. puncto 5. num. 12. & alij.

### QVÆSTIO XXVIII.

*An priuata persona, dicantur etiam fautores hæreticorum ex omissione: si hæreticos v. g. non capiant, aut non custodiant, &c.*

Respondeo non dici fautores hæreticorum, ac proinde non incurrere excommunicationem fautorem hæreticorum, communiter loquendo: etiamsi requisiti id non faciant. Ratio est, quia non tenent ex officio *l. Non est singulis*, ff. de *Regul. Iur. cap. Si de area 26. q. 2.* sicut tenent Magistrati & alia personæ publicæ. Sic communiter Doctores. Emyric. Peña, Sayro, Toledo, Azor, Vgolinus, quos citant, & sequuntur Sanchez cap. 10. citat. num. 15. Palao loc. cit. num. 7. Fagundez cap. 13. cit. num. 7. Trullench num. 8. Alterius lib. 5. disputat. 2. cap. 5. & alij. Qui tamen excipiunt quosdam casus, de quibus in sequentibus.

### QVÆSTIO XXIX.

*An persona priuata incurrant, ex omissione; excommunicationem Bullæ Cœnæ, contra fautores hæreticorum latam, si dolose omittant capere, aut indicare hæreticum?*

Affirmant, eo quod dolus nemini patrocinari debeat, Angelus verb. *hæreticus*, (non hæresis, vt citant Sanchez; & Fagundez) num. 24. Syluester verb. *hæresis 1. quaestione 7.* & Sayrus tom. 1. *Theaur. lib. 3. cap. 5. num. 7.*

Sed probabilius respondeo: non incurrere. Quia dolus ille non efficit, vt hi contra iustitiam peccent, atque aded, vt omissio illis imputetur; sicut obligatis ex iustitia imputatur: ergo ad hanc excommunicationem incurrendam, non sufficit illa omissio dolosa. Sic Sanchez num. 15. cit. Fagund. num. 12. & Trullench num. 8.

### QVÆSTIO XXX.

*An, si priuata persona fuerit à Pralato, aut Magistrate, requisita, ad præstandum auxilium ad hæreticos capiendos; ipsa verò, sine causa, id omittat, vt faueat hæresi illorum, excommunicationem hanc incurrat?*

Negat adhuc Eymericus in *director. Inquisit. 2. part. quest. 53. num. 3.* his verbis: Quidam autem sunt, qui publica non funguntur auctoritate, sed sunt personæ priuatae: & istæ non dicuntur fauere, nec fautores esse ex sola omissione. Vnde si hæreticos non capiant, non dicuntur fauere, nec fautores esse: vel non custodiant, & similia, etiamsi requisiti non faciant: quia non tenentur ad hoc, vel non tenebantur. Ita ille. Quem sequitur Farinacius *quest. 182. §. 2. n. 36.* Quorum sententiam non reprobatur Palao, licet contrariam teneat.

Sed tanquam quid certum, respondeo: excommunicationem incurrere, quia tunc certum est, esse fautorem hæreticorum; cum in tali casu teneatur ex iustitia auxilium præstare. Sic Peña contra Eymericum in *2. part. directorij lib. 2. adnotat. 59.* (non 78. vt inuenies cit. apud Sanchez, & Fagundez) §. *Et isti non dicuntur*, & penes ipsum, Turrecrem. Repertorium Inquisitorum, Simancas, & Brunus. Sanchez lib. 2. summa cap. 10. num. 15. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 13. num. 11. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 3. dubio 9. §. 3. num. 8. Alterius lib. 5. disputat. 2. cap. 5. Palao tomo 1. tractatu 4. disput. 3. punct. 5. num. 7. & alij.

### QVÆSTIO XXXI.

*An etiam in alijs casibus, ex sola omissione reputentur priuata persona, hæreticorum fautores; ac proinde excommunicationem incurrant?*

Respondeo tanquam certum: etiam in alijs casibus reputati. *Primus est*, quando persona, siue publicæ, siue priuatae, iuramento ab Inquisitoribus adstrictæ de ferendo vero in hæreticos testimonio, veritatem negant, aut celant, quo hæresi faueant. Quia tunc delinquant contra iustitiam. Sic Angelus, Syluester, Sayrus, Peña, Sanchez, Fagundez, Trullench, & Alterius locis citatis.

*Secundus est*, quando ex speciali iuramento tenetur aliquis hæreticum capere, aut indicare, & id sine causa omittit. Ita Angel. & Syluester, nuper citati. Toledo in *Bullæ Cœnæ, excommunicatio 1. numero 20.* D. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 5. & Alterius loco citato. Quod benè limitant Sanchez, Fagundez, & Trullench ad casum, quo tale iuramentum præstetur homini, cuius interest, vt Inquisitori; quia tunc Inquisitor acquirit ius iustitiæ per iuramentum sibi præstitum, vt sibi fides data præstetur. Secus vero est, si soli Deo, voto, aut iuramento quis se adstringeret; aut homini, cuius non interest; quia tunc violans, non denunciando, aut non capiendo hæreticum, solius religionis, non verò iustitiæ, transgressor est.

*Tertius est*, quando, siue personæ publicæ, siue priuatae iustæ per Inquisitorum edicta hæreticos denunciare, id, omittunt gratia fauendi hæresi. Quia tunc hi etiam peccant contra iustitiam. Ita Peña *dict. adnotat. 59.* (non 78. vt etiam cum Sanchez, & Fagundez, citat Trullench) *vers. Postremo*, & penes ipsum, vterque Thomas 2. 2. *quest. 68. art. 1.* Alexand. Ales, Sorus, Cardin. Brunus, Rojas, Simancas, & Castro. Sic etiam Sanchez, Fagundez, & Trullench loc. cit. & alij, inter quos legendi sunt Turrecremata lib. 4. de *Ecclesia part. 2. cap. 21.* Concil. Narbonense

cap. 14. 15. & 16. & Peña loco citato, vbi alios casus enumerant, in quibus fautores hæreticorum dici possunt.

QVÆSTIO XXXII.

*Quando persona, siue publica, siue privata, dicantur, commissione fauere hæreticis; & consequenter, excommunicationem incurrere?*

**R**espondeo quod tunc in primis; quando hæreticos, vt tales sunt, verbis laudant, excusant, commendant. Vt dicendo, eos esse viros probos, pios, innocentes: aut iniuste damnatos. Quando consilium præbent, vt incolumes à manu Iudicis euadant: aut viam fugiendi docent. Quando pro eis intercedunt ne puniantur: aut reuelant eisdem accusatores, denunciatores, testes, & similia, quibus iustam sententiam euadant.

Rursus dicuntur fauere hæreticis, quando eos visitant, comitantur, aut auxilium ad euadendum eis dant; vt subministrando alimenta, pecunias, rumpendo, abscondendo, falsificando processum contra eos formatum: vel quouis alio modo impediendo executionem iustitiæ contra eos.

Deinde, fautores hæreticorum sunt habendi, qui conferunt hæreticis beneficia, honores, dignitates, siue civiles, siue Ecclesiasticas, & qui eis munera donant absque vlla honesta causa, qua excusentur; sed solum quia sunt hæretici, vt eis, v.g. in suis erroribus faueant, & tandem qui hæreticis inseruiunt, eosque ducunt, & reducant aliquò: nisi id præstent tanquam famuli, serui, vel mercenarij stipendio conducti.

Demum, fautores hæreticorum censentur, & vt tales excommunicationem incurrunt, qui non solum viuis, sed etiam emortuis fauent hæreticis, vt hæretici sunt. Vt si quis impediret, ne Inquisitores, aut alij Prælati contra hæreticum mortuum procederent; vel vocatus in testem eius delictum negaret; aut denique hæreticum mortuum sepelirent, in gratiam hæresis. Sic communiter Doctores. Legantur de iis omnibus, Zanchinus de hæret. cap. 5. num. 5 & 6. Vgolinus de Censur. Papa reseru. 2. part. cap. 1. verb. Fautores. Nauartus in Summa cap. 27. num. 55. Sayrus tom. 1. Theauri lib. 3. cap. 5. Peña in dictor. Inquisit. 3. parte quest. 113. comm. 162. Sanchez lib. 2. summa cap. 10. n. 16. Filliucius tractatu 16. cap. 2. quest. 6. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 13. à num. 13. Trullench in lib. etiam 1. Decal. cap. 3. dub. 9. §. 3. num. 9. Azor lib. 8. cap. 15. quest. 1. Castro Palao tom. 1. tract. 4. disput. 3. puncto 5.

§. IV.

*De Defensoribus hæreticorum, qui quinto loco, in hac Bulla clausula excommunicantur?*

QVÆSTIO XXXIII.

*Qui dicantur Defensores Hæreticorum; & quam ratione à Fautoribus distent?*

**A**d primum respondeo: quod Defensores hæreticorum, qui in cap. Excommunicamus, §. Credentes, de hæret. & in primo Canone Bullæ Cœnæ, excommunicantur, dicuntur illi, qui, viribus, armis, precibus, auctoritate, aut quouis alio modo, vel arte, hæreticos, vt hæreticos, tuentur vt tutò viuant, & ne in manus Iudicum incidant, siue per se,

siue per alios, siue directè, siue indirectè, siue in iudicio, siue extra iudicium in faciant, dummodo id faciant quia hæretici sunt, & causa, & intuitu fauendi hæresi. Tales erunt Notarij, Tabelliones, & Advocati, qui hæreticorum patrocinia suscipiunt, instrumenta in eorum defensionem conficiunt, & quouis alio modo, arte, literis, & industria protegunt, quatenus hæretici sunt. Sic Eymericus in Director. Inquisit. 2. part. quest. 52. & ibi latè Peña adnot. mihi §. 8. alijs 77. & penes illos, Zanchin. Repertor. Inquisitor. Archidiacon. Guido Fulcodius, Bernard. Comensis, Carrerius, Simancas, & alij. Sayrus tom. 1. Theaur. lib. 3. cap. 5. num. 9. Toledo in Sum. in 1. excommunic. Cœna num. 18. & 19. Azor lib. 8. cap. 15. quest. 6. Vgolinus capite 1. vers. Et generaliter. Sanchez lib. 2. summa capite 10. numero 18. Alterius lib. 5. disputat. 2. capite 5. Filliucius cap. 2. citat. quest. 8. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 13. num. 17. & 18. Trullench lib. 1. cap. 3. dub. 9. §. 4. num. 13. Vivaldus in Bulla Cœna numero 7. Palao puncto 5. cit. num. 5.

Ad secundum respondeo: quod Defensor hæreticorum differt ab eorum fautoribus, sicut superius, & inferius. Quippe omnis Defensor est fautor; non vero è contra omnis fautor est defensor. Quare fautor, quid superius est. Sic Vgolinus, Sanchez, Fagund. & Trullench loc. cit. Filliuc. loc. cit. §. 8. n. 40. Qui aliam differentiam inter prædictos assignat, dicens, in hoc distingui defensore, à Fautore, quod hic, maximè hæretico fauet gratia; ille verò, vi, & potentia.

QVÆSTIO XXXIV.

*An, qui extra causam hæresis, defendunt hæreticum; eorum defensores dicantur, & excommunicationem incurrant?*

**R**espondeo negatiuè. Quia in hoc casu non propriè defendunt hæreticum: sed proximum. Vnde si quis defendat hæreticum à priuato suo inimico, nõ ideo incurrit excommunicationem, sicut non incurreret, si illum defendisset ab alio periculo, ignis, fluminis, &c. Idemque est dicendum, de Advocatis, Notarijs, qui hæreticos tuentur in alia causa, extra hæresim, vt furti, homicidij, &c. quia tunc huiusmodi, non dicerentur fautores hæreticorum, nec incurrerent excommunicationem, eo quod tunc non defenderent hæreticum, sed proximum. Sic Angelus, Syluest. Perez, quos citat, & sequitur Vivaldus num. 7. cit. conclus. 3. Sayrus, Toledo, & Azor, quos affert, & sequitur Sanchez lib. 2. summa cap. 10. num. 19. Fagundez cap. 13. cit. num. 18. & 19. & Trullench num. 13. cit. Qui bene id limitant; nisi hæc præstent animo fauendi hæresi; quia tunc fautores hæreticorum erunt, & ideo non euadent excommunicationem dummodo intentionem suam exterius expriment, quia defensio prædicta, non est per se sufficiens ad illum manifestandum, cum sit actio de se bona, & non ordinata ad defensionem hæretici, vt hæreticus est. Legantur etiam Castro Palao de hæresi tract. 4. citato disputat. 3. punct. 5. & Sousa in Aphorismis Inquisitor. lib. 1. cap. 14. Alterius lib. 5. disput. 2. cap. 5.

QVÆSTIO XXXV.

*An defensor hæreticorum dicatur, qui seipsum, vel alium hominem supponit, pro aliquo hæretico, qui capiendus erat?*

**R**espondeo esse defensorem hæreticorum, & consequenter excommunicationem incurrere, dummodo id faciat animo fauendi hæretico, vt talis est. Hæc conclusio constat ex dictis. Et eam expressè docet

docet Peña in 2. p. Directorij adnotat. 58. vers. *Iam unus est casus*, ex Bulla Innocent. IV. *Ad extirpanda*, §. *Si quandoque*. Vbi ita scriptum extat: Si quandoque aliqui, vel aliquæ non hæretici pro captis hæreticis, ipsis non contradicentibus fuerint assignati, vel se forsitan assignauerint, prædicti suppositi perpetuò carceri mancipentur, & hæretici nihilominus redire, & assignari cogantur: & qui hunc dolum fecerint, iuxta legem prædictam, bonis omnibus publicatis, in perpetuum relegentur. Hæc Innoc. Quod postea roborauit Clemens I V. in Bulla incipientes. *Ad extirpanda*, §. *Si quando*.

## §. V.

*De Legentibus, Retinentibus, Imprintentibus, & Defendentibus libros hæreticorum, qui sexto loco in prima clausula Bullæ Cænæ excommunicantur?*

## QVÆSTIO XXXVI.

*An legentes, retinentes imprimentes, & defendentes libros infidelium continentes errores contra fidem, hanc Bullæ excommunicationem incurrant?*

**R**espondeo non incurrere, etiam si illi infideles fuerint Catechumeni & à fide recesserint, Ratio est, quia prima conditio in Bulla Cænæ requisita ad hanc excommunicationem, est, vt libri sint hominum hæreticorum: at sic est, quod huiusmodi homines infideles non sunt hæretici: ergo qui eorum libros legunt, non legunt libros hæreticorum: ergo non incurrunt excommunicationem legentium libros hæreticorum. Sic Vgolin. *de casib. Papæ reseru. 2. part. cap. 1. verb. Ac eorundem libros*, §. 1. n. 3. Sanchez *lib. 2. sum. cap. 10. num. 20. & 22.* Fagundez *lib. 1. in Decal. cap. 14. num. 5.* Trullench *eod. lib. 1. cap. 3. dubio 9. §. 5. num. 15.* Alterius *lib. 5. disputat. 2. cap. 6. in principio.* Castro Palao *tom. 1. tract. 4. de infidelit. disputat. 2. puncto 10. §. 1. num. 1. & alij.*

## QVÆSTIO XXXVII.

*An ad incurrendam hanc Bullæ excommunicationem; sufficiat quod Auctor libri, qui legitur, sit hæreticus?*

**R**espondeo non sufficere; sed requiri etiam, quod hæretici liber contineat hæresim, vel tractet de Religione. Has enim duas condiciones nempe, quod Auctor sit hæreticus, & liber contineat hæresim, vel tractet de Religione, requirit Bulla Cænæ ad incurrendam eius excommunicationem: ergo quamuis Auctor sit hæreticus, si liber eius contineat hæresim, aut tractet de Religione, legendo illum, non incurritur excommunicatio Bullæ: quamuis incurratur alia excommunicatio lata à Pio I V. quæ habetur in Indice librorum prohibitorum Concilij Tridentini per Clementem VII. confirmato; quia hæc comprehendit omnes legentes libros hæreticorum, quamuis libri nec hæresim contineant, nec de Religione tractent. Differunt autem huiusmodi excommunicationes in hoc, quod absolutio ab excommunicatione Bullæ, reseruata est Papæ; at verò excommunicatio Indicis, minimè. Sic tenent Fagundez, Trullench, & Alterius *loc. cit.* & expressius Sanchez *cap. 10. cit. n. 33.* & penes ipsum Vgolinus *cap. 1. cit. verb. de Religione num. 2.* Fagundez *loc. cit. num. 13.* Suarez *de fide disp. 20. sect. 2. num. 15.* Sanctarellus *de hæresi dub. unico, num. 10.*

Trullench *loc. cit. num. 19.* Diana *part. 6. tract. 6. resolut. 55.* Rocafull. *part. 3. lib. 3. cap. 8. Praxis.* Vbi notat, quod in hoc Canone prohibeatur lectio libri Hæretici damnati ab Ecclesia, vel Hæretici, qui publicè credatur vel habeatur talis, quamuis adhuc de hæresi damnatus non sit, vt *infra* dicemus.

## QVÆSTIO XXXVIII.

*An, vt legentes libros hæreticorum, excommunicationem Bullæ Cænæ incurrant, requiratur, quod liber, & contineat hæresim, & simul de Religione tractet?*

**A**ffirmant Graffius *lib. 4. decis. aureæ. cap. 18. n. 40. & 42.* & Sayrus *tom. 1. Theaur. lib. 3. capite 15. numero 12.* apud Fagundez *vbi infra.* Sed certè horum Auctorum sententiam, aliter refert Sanchez *lib. 2. cit. cap. 10. num. 34.* vt *infra* notauimus. Affirmat vero Croufers *in reg. S. Franc. c. 7. sect. 5.* apud Dianam *mox citandum.*

Sed vt certum respondeo: non requiri vtrumque simul, sed alterum sufficere, videlicet, vel quod dicti libri, hæresim contineant: vel de Religione tractent. Quia Bulla Cænæ aperte loquitur disunctiue, & sic alterum tantum petit. Sic Sanchez, Vgolinus, Fagundez, Suarez, Sanctarell. Trullench, & Diana *loc. quæst. præcedenti citatis*, & Pueronus *in Bull. Cænæ, cap. 1. §. Ac eorundem libros, num. 184.* Rocafull. *3. p. Praxis lib. 3. cap. 8.* Ex quibus nota, quod illi libri dicuntur tractare de Religione, qui tractant de expositione fidei, de Theologia positua, vel scholastica; de moribus Christianis, de casibus conscientiarum, de cultu Dei, & Sanctorum, vel denique de Clericis, & Monachis: non qui de Philosophia, & inferioribus scientiis & artibus tractanda, quia huiusmodi hoc præcepto non comprehenduntur.

## QVÆSTIO XXXIX.

*An, vt incurratur huius Bullæ excommunicationem, necesse saltem sit, vt liber hæretici, ex professo, & instituto, de hæresi, aut de Religione tractet?*

**A**ffirmant Graffius, & Sayrus *locis nuper citatis*, docentes, esse necessarium ad hanc excommunicationem incurrendam, vt liber hæretici, ex professo de hæresi, aut Religione tractet, id est, vt argumentum libri sit de hoc. Secus verò si ex professo de aliis rebus tractet, quamuis obiter interserat aliquam hæresim, aut aliquid ad Religionem pertinens. Ita refert horum Doctorum opinionem Sanch. *lib. 2. sum. cap. 10. num. 34.* Quibus auctoribus addo Antonium Soufa *in expositione Bullæ Cænæ disput. 13. cap. 2. conclus. 2.* sic dicentem: Qui legit, licet absque Sedis Apostolicæ licentia, Hæreticorum libros, qui ex professo hæresim non continent, vel de Religione non tractant: quamuis hæresim aliquam contineant, per hanc Bullam non excommunicatur. Ita Soufa, & Filiucius *tom. 1. tract. 16. cap. 2. quæst. 8. dicto 3. num. 45. & tom. 2. tract. 22. cap. 7. num. 204.*

Tamen è contrà negant alij, existimantes sufficere ad incurrendam excommunicationem Bullæ, vt libri hæreticorum contineant hæreses, vel de Religione tractent, etiam si principale argumentum eorum non sit tractare de Religione, vel hæreses explicare, sed de historiis, aut aliis rebus indifferentibus. Ita docent alij: quorum opinionem esse probabilem expressè tenet Filiucius *num. 45. cit.*

Sed clarius, & probabilius respondeo: Primò, vt excommunicatio Bullæ incurratur, non est necesse, vt liber



liber hæretici tractet ex professo de hæresi, sed satis est, vt vnâ solam hæresim contineat, de quacunque re ex professo tractet. Ratio est, quia in clausula Bullæ Cœnæ. Sic habetur: *Libros hæresim continentes, aut de Religione tractantes.* Vbi circa hæresim solum requirit, vt liber hæresim contineat: quod quidem verificatur etiam vnicam continendo, de quacunque re tractet: ergo. Sic Sanchez, Azor, Fagundez, & alij mox citandi.

Respondeo *secundò*, vt incurratur dicta excommunicationis, legendo librum hæretici de Religione tractantem; necessum est, vt talis liber, non obiter de Religione tractet, sed ita notabiliter, vt arbitrio prudentis censeatur ex professo de Religione tractare, etiam si ex instituto de alijs rebus tractet. Quia tunc solum, verè verificatur, librum illum de Religione tractare. Sic Rodriguez *in addit. ad Bull. §. 9. num. 68.* Azor *lib. 8. institut. cap. 16. quæst. 5.* Suarez *tom. 5. in 3. part. disput. 21. sect. 2. num. 10.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 10. num. 34.* Alterius *lib. 5. disputat. 2. cap. 6. vers. In primo genere, in fine.* Portel *in addit. ad dub. regul. verb. libri prohibiti, num. 8.* Fagundez *lib. 1. in Decal. cap. 14. num. 15.* & ibi Trullench *lib. 1. cap. 3. dub. 9. §. 5. n. 19.* Diana *1. part. tractatu 11. resolut. 31.* Bonacina *de Censuris, disputatione 2. quæst. 5. punct. 4. num. 19.* Rocafull. *3. part. Praxis lib. 3. cap. 8.*

#### QVÆSTIO XL.

*An casu, quo totus liber hæretici vnicam hæresim contineat, sit totus liber prohibitus?*

Respondeo totum esse prohibitum. Et ideo etsi quis legat partem dicti libri non continentem hæresim, nihilominus Bullæ excommunicationem incurret. Quia reuera legit librum hæretici hæresim continentem, quod solum requirit Bulla Cœnæ, vt aditum his libris legendis clauderet. Sic Sanchez *num. 35.* Fagundez *num. 16.* Suarez, & Trullench *loc. cit.* Vgolinus *de Censur. Papa reseru. cap. 1. verb. Ac eorumdem libros, num. 1. vers. 7.* Rocafull. *loc. cit.*

#### QVÆSTIO XLI.

*An absque incurfione Censura, possit quis legere dictum librum, vnicam hæresim continentem; si ab illo, talis hæresis deleatur?*

Affirmat Croufers *in Regul. S. Franc. cap. 7. lect. 5. fol. 522.* vbi asserit, quod, si libri hæreticorum vnum, atque alterum contineant errorem, illæque omnino deleatur, possint sine incurfione excommunicationis legi.

Sed tanquam certum respondeo: non posse talem librum legere; (nisi aliàs deletio talis hæresis fiat auctoritate publica, quæ relinquat totum librum liberum ad legendum, retinendum, &c.) Quia militat eadem ratio. Sic Sanchez, Suarez, Fagundez, & Trullench *locis citatis*, & Diana *part. 6. tract. 6. resolut. 55.*

#### QVÆSTIO XLII.

*An, quando liber hæretici in multiplex volumen est diuisus, qui partem libri, in qua, nec hæresis continetur, nec de Religione tractatur, legit, incurrat excommunicationem Bullæ?*

Negat absolutè Vgolinus *cap. 1. citat. verb. Ac eorumdem libros, §. 1. num. 1. vers. 6.* Quia pars (inquit) illa seorsum sumpta, vnus liber esse videtur: & ideo non habet omnia requisita ad hanc excommunicationem incurrendam.

Huic Auctori adhæret Fagundez *lib. 3. in Decalog. cap. 14. numero 16. & 17.* vbi ita loquitur: Si tamen sint diuersi tomi eiusdem Auctoris hæretici tractantes eandem materiam non prohibitam, & vnus tantum hæresim contineat, reliqui verò non contineant, nec de Religione tractent ex instituto, solum ille, qui hæresim continet, erit prohibitus sub Censura Bullæ Cœnæ, si nimia molis vitandæ gratia diuidantur: at reliqui separati non erunt prohibiti: secus si omnes tomi in vnum librum coeant, aut vnus liber ex diuersis tomis, ac voluminibus componatur, vt plerumque fit; quia tunc vnusquisque tomus, pars est totius libri prohibiti, vt patet, & ita docet Sanchez *tomo 1. lib. 2. cap. 10. num. 30.* Quod idem videtur docere Vgolinus (*loc. cit.*) Hucusque Fagundez. Cui omnino adhæreret Diana *resolut. 55. cit. referens eiusdem relata verba.*

Sed clarius respondeo: sic. Quando liber hæretici in diuersos tomos verè est diuisus, tunc qui partem libri, in qua, nec est hæresis, nec de Religione tractat, legit, non incurret excommunicationem Bullæ. Quia tunc (inquit Sanchez) diuersi libri omnino censentur: & si per accidens aliquis eos simul intra eundem tomum conglutinet. At secus credo, quando vnus liber (vti solet) in plures diuiditur, vt in primum, secundum, tertium, &c. tunc enim cuiuslibet illorum pars, est pars vinci, ac eiusdem libri hæresim continentis, aut de Religione tractantis. Quod adhuc verum credo, etiam si nimia molis vitandæ gratia, aliqui eorum per accidens seorsum ab alijs conglutinentur. Quia adhuc est vnus liber. Sic prorsus Sanchez *libro 2. citat. capite 10. numero 36.* Cuius sententia in aliquo, vt ex verbis relatis constat, à sententia Fagundij distat. Sic etiam Trullench *libro 1. in Decalogi cap. 3. dubio 9. §. 5. numero 19.*

#### QVÆSTIO XLIII.

*An incurrat excommunicationem Bullæ, qui legit librum hæretici continentem hæresim, nondum tamen typis excussum?*

Respondeo incurrere. *Primò*, quia liber manuscriptus, est verè liber. *Secundò*, quia periculum infectionis, ob quod hæc prohibitio emanauit, locum habet, etsi sola manu liber scriptus sit. Sic omnino Sanchez *cap. 10. citat. numero 28.* ex Vgolino *de Censur. Papa reseru. 2. parte cap. 1. verb. Ac eorum libros, numero 1. vers. 4.* Suarez *de fide disputat. 20. sectione 2. numero 10.* Fagundez *libro 1. in Decalog. capite 14. numero 11.* Trullench *§. 5. cit. num. 16.* Filiucius *tractatu 16. capite 2. quæstione 8. numero 45.* Granados *controuers. 1. de fide tractatu 15. disputatione 10. numero 7.* Palao *tomo 1. tractatu 4. disputatione 2. puncto 10. §. 1. numero 3.* & Rocafull. *3. parte Praxis lib. 3. cap. 8. dub. 1.*

#### QVÆSTIO XLIV.

*An etiam incurrat dictam excommunicationem, qui legit epistolam missiuam, concionem, aut aliam papyrum hæretici continentem hæresim?*

Affirmant Vgolinus *cap. 1. citat. num. 2. vers. Nono in excommunicationem.* Megala *in 3. part. libro 3. cap. 1. num. 55.* Diana *1. part. tract. 11. resolut. 34.* Castro Palao *de Infidelitate tractatu 4. disputat. 2. puncto 10. §. 1. numero 4.* Quia (inquit) hæc prohibitio librorum, non est lex odiosa, sed fauorabilis, quia est in fauorem fidei, & defensionem Catholicorum. Ita ille.

ille. Quem citat, & etiam sequitur Trullench lib. 1. in Decal. cap. 3. dub. 9. §. 5. num. 16. & ni fallor Filliucius loc. cit. Suarez de fide disput. 20. sect. 2. num. 10. & Farinac. de heresi, quest. 180. n. 30. & 31. ac Diana p. 10. tract. 12. resol. 47. & Rocafull. cap. 8. cit. dub. 2. pag. 191.

Sed æquè probabiliter respondeo: non incurrere. *Primò*, quia æquè probabile est, hanc prohibitionem librorum, esse legem pœnalem primo, & per se: at sic est quod pœnæ non debent ampliari: ergo. *Secundò*, quia hæc, in communi, & vfitato loquendi modo, minimè dicuntur libri: nec militat eadem ratio in his, quæ in libris: libri enim diutius pœmanent, & amplius extenduntur. In pœnalibus autem ita intelligenda res est, vt saluentur verba, & pœnæ non extendantur. Sic Sanchez lib. 2. cap. 10. cit. num. 29. Portel in addit. ad dub. regul. libri prohibiti, num. 7. Soufa in explicat. Bullæ Cœnæ cap. 2. disputat. 15. conclus. 1. numero 5. Duardus in explicat. Bullæ Cœnæ lib. 2. canon. 1. quest. 55. num. 11. Laymann lib. 2. tract. 1. cap. 15. num. 3. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 14. n. 11. Granados num. 7. cit. Bonacina disputat. 2. de Censur. quest. 5. punct. 4. num. 18. & dicit, imò & probat; id esse probabile, Palao loc. cit. num. 5.

## QVÆSTIO XLV.

*An saltem incurrat hanc Bullæ excommunicationem, qui indicem libri Hæretici, continentis heresim, siue eius præfationem, seu proœmium, legat?*

**R**espondeo incurrere. Quia hæc pars libri sunt, & quidem, index totam libri summam amplectitur: proœmium verò, seu præfationem ad lectorem, ea, quæ in libro tractanda sunt, & Auctoris mentem explanant. Vnde hæc legens, si aliàs eum non excuset materiæ paruitas, planè excommunicationem Bullæ incurret. Sic Sanchez loc. cit. num. 30. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 3. dub. 9. §. 5. num. 16. in fine. Fagundez cap. 14. cit. num. 12. Vgolinus 2. parte cit. dist. verb. Ac eorumdem libros, num. 1. vers. 8. Pueronius in Bull. Cœnæ cap. 1. numero 184. quem refert Diana 10. parte loco citato.

## QVÆSTIO XLVI.

*An si quis legat, teneat, aut imprimat, libros Catholici Authoris, in quibus sunt annotationes, & scholia Hæreticorum, hereses continentes, incurrat Bullæ Cœnæ excommunicationem?*

**A**ffirmat Suarez, casu, quo tales annotationes, scholia, seu commentarij hæreticorum sint tales, seu tam copiosi, vt liber potius ex eis, quàm ex textu constare censeatur: secus si sint exigui. Ita ille de fide disputatione 20. sectione 2. num. 13. & tom. 5. in 4. part. disputatione 21. sectione 2. numero 11. Quem, non citatum, sequitur Alterius lib. 5. disput. 2. cap. 6. dub. 1. in fine. Ægidiusque apud Palaum vbi infra.

Sed absolutè loquendo, probabilius respondeo: non incurrere Bullæ excommunicationem, legendo, aut tenendo, tales librum Authoris Catholici, in quo, etiam copiosi sint commentarij Authoris hæretici. Quia adhuc in hoc casu, talis liber verè est, & nuncupatur, liber Authoris Catholici, à quo in lucem prodiit; non liber Hæretici commentatoris: ergo absolutè talis liber non est prohibitus, ac proinde absque periculo incurfionis Censuræ Bullæ, potest à quouis, etiam cum dictis commentariis, legi. Sic Nauarrus cap. 27. numero 56. Graffius 1. part. decis. cap. 18. numero 43. Rodriguez in Bulla Cruciatâ, §. 9. numero 78. Quos citat, & sequitur Sanchez libro 2.

summa capite 10. num. 25. Quibus addi possunt, Sanctarellus tractatu de heresi cap. 13. dub. vnico, numero 4. Fagundez lib. 1. in Decal. capite 14. num. 8. Trullench lib. 1. in Decal. cap. 3. dub. 9. §. 5. numero 15. Soufa in expost. Bullæ Cœnæ canon. 2. disputatione 13. concl. 13. n. 7. Diana 1. parte tractatu 11. resol. 32. (Quamuis postea part. 5. tractatu 13. resol. 16. ex parte aliter sentiat cum Hurtado de Mendoza in 2. 2. disput. 76. sect. 8. §. 303. vbi concordare vtrisque sententias nititur.) Bonacina disputat. 2. de Censuris questione 5. puncto 4. num. 6. & indicat Farinacius de heresi, questione 180. numero 50. quos citat, & sequi videtur Palao tomo 1. tractatu 4. disputat. 2. puncto 10. §. 1. num. 2. & alij. Ad duntamen Nauarrus, Sanchez, Graffius, Trullench, & alij, quod licet legentes dictum librum, non incidant in excommunicationem Bullæ; incident tamen, si aliàs sit prohibitus, in excommunicationem contentam in catalogo librorum prohibitorum, quæ nulli est referuata, vt supra quest. 37. etiam notauimus.

## QVÆSTIO XLVII.

*An incurrat excommunicationem Bullæ, qui librum hominis Catholici, in quo ad Verbum sunt inserti errores alicuius hæretici; legit?*

**R**espondeo non incurrere: etiam casu in quo talem librum legat, ea præcipua intentione, vt errores hæreticorum sciat, & cognoscat. Rario est, quia ex vna parte, dictus liber verè non est hæretici, sed Catholici: & ex alia, in hac excommunicatione Bullæ non punitur affectus sciendi, sed solum factum ipsum legendi libros hæreticorum: ergo. Sic communiter. Nauarrus capite 27. numero 56. Vgolinus de casibus referuat. Papa 2. part. capite 1. verb. Ac eorum libros. Sayrus, Azor, Suarez, & Rodriguez, quos citat, ac sequitur Sanchez lib. 2. summa cap. 10. num. 33. (quamuis ex his, Suarez, non loquatur in casu à nobis assignato.) Sic etiam Sanctarellus tractatu de heresi, cap. 13. dub. vnico, num. 3. Fagundez lib. in Decal. cap. 14. numero 6. Trullench lib. 1. citat. capite 3. dub. 9. §. 5. numero 15. Alterius lib. 5. disputatione 2. cap. 6. dub. 1. & penes illum, Simancas, Brunus, & Turrecremata. Filliucius tractatu 16. capite 2. questione 8. num. 41. Ægidius disputatione 18. de fide dubio 11. num. 177. Palao loco citato.

## QVÆSTIO XLVIII.

*An saltem incurrat, qui librum hominis Catholici, in quo ipse Author Catholicus, ob ignorantiam, hereses aliquas scripsit, legit?*

**R**espondeo adhuc non incurrere. Quia adhuc non est liber Hæretici. Requiritur namque, vt conditio necessaria ad hoc quod huiusmodi excommunicatio incuratur, vt Author libri, sit Hæreticus. Sic Vgolinus loc. cit. vers. 5. Sanchez numero 24. Fagundez numero 7. Trullench numero 15. & alij. Qui benè contra Graffium 1. part. decis. lib. 4. cap. 18. n. 40. & 43. dicunt, non esse opus ad id, vt liber sit hæretici ab Ecclesia de heresi damnati, sed sufficere, quod sit liber hominis hæretici qui, publice hæreticus credatur, & habeatur: nam Bulla Cœnæ absolutè loquitur.

\* \* \*

## QVÆSTIO XLIX.

*An incurrat excommunicationem Cœna, qui legit Græcorum, & Armenorum libros, qui horum ritus continent?*

**R**espondeo non incurrere. Quia huiusmodi ritus non sunt ab Ecclesia, tanquam hæretici habiti. Sic Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 16. q. 8.* Sanchez *loc. cit. n. 27.* Fagundez *num. 9.* Trullench *num. 15. in fine*, & alij. Sic etiam Suarez *de fide disput. 20. sect. 2. num. 12.* & Palao *punct. 10. cit. n. 2.* Qui hanc sententiam dicunt veram, & verè, dummodo Authores illorum librorum non sint hæretici: nam si essent, verè incurreret, quia tunc legeret libros hæreticorū, de religione tractates.

## QVÆSTIO L.

*An incurrat dictam Bullæ Censuram, qui libros Magicæ artis legit, tenet, seu imprimi?*

**A**ffirmant Nauarrus *in summ. Hispana cap. 28. in addit. ad num. 56. cap. 27.*

Sed vt certum respondeo: iam non incurrere dictam Censuram, si aliàs, Author Magnus non sit hæreticus. Quia Bulla Cœna, quæ post Pium V. publicatur, non comprehendit Magos, nisi hæretici sint. Sic Viualdus *in explicat. Bullæ Cœna num. 13.* vbi ait Nauarrum *loco citato*, fuisse loquutum iuxta Bullam Cœnae Pij V. quæ exprimebat habentes libros magicæ artis, & illa vtentes. Quod quidem constat, cum ipsemet Nauarrus, id indicet in Summa Latina *cap. 27. num. 55.* his verbis. *Secunda*, quod hæc excommunicatione non comprehendit Magos, qui aliàs non sunt hæretici, argum. eorum quæ habentur *26. quest. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. S. Thom. 2. 2. quest. 95. art. 1. & 2.* quos tamen comprehendebat Bulla Pij V. quod est valde notandum. Hæc meus Nauarrus. Quem sequuntur Sanchez *loc. cit. num. 32.* Fagundez *num. 10.* Trullench *num. 18.* Alterius *lib. 5. disput. 2. cap. 6. in fine*, vbi ait, à tempore Gregorij XIII. hanc excommunicationem legentium, & tenentium libros Magorum fuisse sublatam à Bulla Cœnae, & omissam, nihil de ea Summi Pontifices statuentes.

## QVÆSTIO LI.

*An qui legit librum hæreticum, in Gallia, Anglia, & alijs Prouincijs, vbi Bulla Cœna non est recepta, incidat in excommunicationem Bullæ?*

**A**ffirmat Megala *in 3. part. lib. 3. cap. 1. n. 60.* apud Dianam *vbi infra.*

Sed probabilius respondeo: non incurrere casu, quo non sit Bulla Cœnae recepta; vt benè probat Becanus *in summa Theolog. tractatu 3. cap. 6. quest. 8. num. 4. in fine.* secus verò, si recepta sit, quia tunc certum est, quod incurrant Catholici legentes libros hæreticorum hæresim continentem, etiam si legant illos animo confutandi suos errores: nam studium Religionis contra hæreticos defendendæ, non excusat Catholicos, nisi accedat licentia Romani Pontificis. Sic Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 16. quest. 6.* Sanchez *lib. 2. summa cap. 10. num. 42.* (non 4. vt inuenies citatum apud Dianam,) Becanus *loc. cit.* Fagundez *lib. 1. Decal. cap. 14. num. 24.* Trullench etiam *lib. 1. in Decal. cap. 3. dub. 9. §. 5. num. 22.* Diana *1. part. tract. 11. resolut. 35.* Alterius *tom. 1. lib. 5. disput. 2. cap. 6. dub. 3.* & Hurtado de Mendoza *de fide disput. 76. sect. 8. subsect. 2. num. 307.* licet cum limitatione. Ait enim quod illi, ad quos non spectat tueri fidem, in dictis Prouin-

ciis, publica disputatione, aut scripto, minimè possint tales libros legere, quamuis sit cum animo errores confutandi: benè tamen illi, quibus incumbit fidei propugnatio; quia tunc ipsa fides pateretur damnum: cum libris hæreticorum non spectis, non possint illorum errores oppugnari. Possunt ergo, imò & debent tales Doctores huiusmodi libros in dicto casu legere.

## QVÆSTIO LII.

*An, si ipsemet hæreticus legat suum librum continentem hæresim, aut de Religione tractantem, hanc Bullæ excommunicationem incurrat?*

**R**espondeo incurrere. Et ideo duplici titulo erit excommunicatus, nempe, & ratione hæresis, & ratione lectionis, seu retentionis libri continentis hæresim; aut de Religione ex professo tractantis. Sic ez Vgolino, Sanchez *cap. 10. cit. num. 37.* Fagundez *num. 18.* Trullench *num. 20.* Cum quibus hinc aduerte, quod illi hæreticorum libri dicuntur de Religione tractare, qui diuinam Scripturam, vel partem eius exponunt; qui Theologiam Scholasticam, aut Moralem in totum, vel in partem explanant: Qui de cultu Deo, ac Sanctis debito, necnon de Clericis, & Monachis, de Prælatiis, de visibili, & inuisibili Ecclesia differunt. Nam hæc omnia ad Religionem Christianam, & Catholicam spectant: & Bulla Cœnae generaliter loquitur, intenditque ne hæreticorum errores in his libris sparsi disseminentur, & addiscantur. Legantur Sanchez *num. 21.* Fagundez *n. 14.* Trullench *eod. num. 14.* Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 21. sect. 2. num. 10.* Bonacina *de Censur. disput. 2. quest. 5. punct. 4.* & alij. Qui ex dictis benè inferunt, quod non incurrant excommunicationem Bullæ (quidquid sit de excommunicatione Indicis librorum prohibitorum) legentes libros hæreticorum tractantes de Philosophia, aut septem artibus inferioribus, aut historia, eo quod hi, nec hæresim contineant, nec materiam Religionis tractent.

## QVÆSTIO LIII.

*An incurrat excommunicationem Bullæ, qui legit librum hæreticum, non dolo malo, sed solius curiositatis causa?*

**R**espondeo incurrere. Quia Bulla non considerat animum legentis, sed factò contenta est. Sic Vgolinus *2. part. de Censur. Papæ reseru. verb. Ac eorumdem libros, in fine principij.* Toledo *in Bulla Cœna, excommunic. 1. num. 24.* apud Sanchez, Fagundez, & Trullench *mibi num. 10. cap. 19.* his verbis: Præterea, siue legant ad errores cognoscendos, vel impugnandos, vel ad aliquam eruditionem depromendam, omnes hi excommunicationem incurrunt, dummodo sine licentia Sedis Apostolicæ fiat. Sic ille. Sanchez *lib. 2. sum. cap. 10. n. 40.* Fagundez *lib. 1. in Decal. cap. 14. n. 22.* Trullench, etiam *in 1. lib. Decal. cap. 3. dub. 9. §. 5. num. 22.* & Rocafull. *3. patr. Praxis lib. 3. cap. 8. dub. 5.*

## QVÆSTIO LIV.

*An etiam dictam excommunicationem incurrant, qui librum hæreticum, solum visu percurrendo, & nulla verba proferendo, legunt?*

**R**espondeo etiam incurrere. Quia, qui visu solo percurrendo legit, verè dicitur legere. Nam vera lectio,

lectio, nullatenus verborum prolationem requirit. argum. ex l. 2. §. *Conspectio. ff. quemadmodum testamentum aperiat. Sic Voglinus loc. cit. n. 2. vers. 10. Graffius 1. p. decis. lib. 4. cap. 18. num. 45. Sanchez num. 41. Fagundez num. 23. Trullench num. 22. Suarez de fide, disp. 20. sect. 2. n. 18. his verbis: Tertio, sufficere legere oculis percurrendo librum, etiam si ore nihil profertur: quia illud re vera est legere, & etiam actio sensibilis, in qua tota ratio legis locum habet. Sic ille. Palao tomo 1. tractatu 4. disputatione 2. puncto 1. §. 2. numero 2. Bonacina disputatione 2. de Censuris, questione 5. puncto 4. numero 8. Duard. lib. 2. in Canone 1. q. 36. n. 3. Rocaffull loc. cit. dub. 6. & alij.*

## QVÆSTIO LV.

*An item dictam excommunicationem incurrat, qui legit librum hæreticum scriptum lingua, quam non callat, scit tamen illam legere?*

**A**ffirmat apud Dianam, Megala in 3. p. lib. 3. c. 1. n. 45. Quia Bulla Cœnæ, inquit, non spectat finem, sed factum ipsum. Huic authori fauet Portel in addit. ad dub. regul. verbo. libri prohibiti, n. 11. quatenus ait, se non audere contrarium consulere. Bonac. disp. 2. de Censur. q. 5. puncto 4. n. 14. & alij.

Sed probabilius respondeo: Non incurrere. *Primò*, Quia illa non est vera, & formalis lectio, sed tantum materialis. *Secundò*, Quia in dicto casu, omnino cessat ratio legis, nam, neque periculum inde imminet, neque est communicatio cum hæretico, in doctrina. Sic omnino Suarez num. 18. cit. dicens in hoc omnes convenire. Sanchez etiam lib. 2. sum. c. 10. n. 51. Qui id etiam probat, ex eo, quod, qui legit id quod nil penitus intelligit, non legit more humano, sed more Pfittaci, & ideo tantum legit materialiter. Santarell. tr. de hæresi, c. 13. dub. univ. n. 2. Fagundez lib. 1. in Decal. c. 14. n. 30. Diana 1. parte tr. 11. resol. 36. Trullench lib. 1. in Decal. c. 3. dub. 9. n. 24. Rocaffull loc. cit. dub. 17. & alij. An autem incurrat dictam Censuram ex eo, quod talem librum, hæreticum, quem nil penitus intelligit, apud se retineat, dicemus infra.

Ad fundamentum autem Megalæ dicendum est, quod quamvis Bulla non attendat finem legentis, sed factum, ut nos etiam diximus, supra quæst. 53. At nos debemus attendere finem legislatoris, aut Bullæ, ut omnes docent.

## QVÆSTIO LVI.

*An hanc Bulla excommunicationem incurrat, qui per solam mentis recordationem, quasi mentaliter librum hæreticum percipit, aut legit?*

**A**ffirmat Graffius 1. p. decis. libro 4. capite 18. numero 45. Cui consentit ex parte Sayrus tomo 1. Thesaur. libro 3. capite 5. numero 13. quatenus ait, hunc non incurrere quando bono fine recitat; ubi videtur contrarium sentire ubi malus finis est, & animus.

Sed probabilius longè, absolute respondeo: Non incurrere. Quia illa recitatio, re vera non est lectio humana, de qua leges humanæ loquuntur. Vnde ad propositum parum refert, quod ille, qui memoriter talem librum recitat, bono, vel malo fine id faciat: quia Bulla, ut diximus, non finem legentis, sed factum ipsum considerat & punit, & ideo etiam si sic recitans, malo fine id faciat, dictam Censuram non incurret. Sic Nauarr. in sum. c. 27. n. 56. vers. *Septimò*. Vgolin. de casib. referu. Papa, 2. p. verb. *Ac eorundem* R. P. Leand. de Censuris.

libros. §. 1. n. 4. vers. 10. Sanch. lib. 2. sum. c. 10. n. 47. Azor tom. 1. lib. 8. c. 16. q. 4. Suarez de fide, disp. 20. sect. 2. numero 18. Santarel. tract. de hæresi, c. 13. dub. univ. n. 8. Filliuc. tract. 16. c. 2. q. 8. n. 45. Fagundez c. 14. cit. n. 25. Trullench dub. 9. cit. n. 24. in principio. & Rocaffull p. 3. praxis. c. 8. §. *De legentibus*. dub. 16.

## QVÆSTIO LVII.

*An famulus, qui iussu Domini legit librum hæreticum, ut ipsemet Dominus sciat, quid in illo contineatur, excommunicationem Cœnæ incurrat?*

**R**espondeo tanquam certum: Incurrere. Quia scilicet legit librum hominis hæretici, hæresim continentem: vel de Religione tractantem. Nec iussus Domini excusat illum; nisi aliàs metu graui, non in Fidei, aut Ecclesiæ contemptum Dominus ipsum ad legendum compelleret. Sic omnes, præcipue statim citandi.

## QVÆSTIO LVIII.

*An etiam ipsemet Dominus, qui, ut audiat, famulo legere præfatum librum iubet, eandem quoque excommunicationem incurrat?*

**N**egant quamplures DD. eo quod in proprietate, & rigore, *audire legere*, non est *legere*: ut verba legis pœnalis, in propria & stricta significatione sunt sumenda. Ita Vgol. loc. cit. §. 1. n. 4. versu 8. 9. & 10. quem citat, & sequitur Sanchez lib. 2. sum. c. 10. n. 48. & 49. Quibus addi possunt, Filliuc. tom. 1. tr. 16. cap. 2. q. 8. n. 45. & tomo 2. tr. 22. c. 7. n. 207. Soula in Bulla Cœnæ, cap. 2. disp. 14. n. 5. Santarell. tr. de hæresi, c. 13. dub. univ. n. 8. Scortia in Bulla Pontif. epitome 166. theorem. 410. Duard. in Bulla Cœnæ, lib. 2. ca. 1. q. 48. n. 5. Bonac. de Censur. disp. 2. q. 5. puncto 4. n. 11. (qui malè pro hac parte citat Regin.) Portel. in addit. ad dub. regul. verb. libri prohibiti, n. 11. Fagund. lib. 1. in Decal. c. 14. num. 27. & 28. Trullench lib. 1. in Decal. c. 3. dub. 9. §. 5. n. 24. Castr. Pal. de Infidelit. tractatu 4. disputatione 2. puncto 10. §. 2. numero 4. Egidius disputatione 18. de fide, dub. 11. numero 178. & alij.

Sed æquè probabiliter respondeo: Eandem Bullæ excommunicationem incurrere. Quia Dominus in tali casu, moraliter rem æstimando, librum legit, quamvis per alterius ministerium. Nam sectio, partim constat ex prolatione, partim ex perceptione eorum, quæ scripta sunt, & re vera talis actio consummatur in perceptione: ille autem, qui audit legentem librum hæreticum, percipit quæ leguntur, & ita quasi consummat illam actionem. Vnde non tantum legit per alium, sed etiam per seipsum, cõsummando actum, & ideo peccat contra dictam prohibitionem. Sic Suar. de fide, disputatione 20. sectione 2. numero 19. Azor tomo 1. libro 8. capite 16. questione 4. (non libro 88. cap. 6. ut inuenies citatum apud Dianam) Sayrus tomo 1. Thesauri, libro 3. capite 5. (non 15. ut apud eundem inuenies) n. 14. Graffius 1. p. decis. libro 4. capite 18. numero 45. (non 34. ut citat ipse Diana) Alterius tomo 1. lib. 5. disp. 2. cap. 6. dub. 2. vers. *Sed an Dominus*. Reginald. lib. 9. c. 14. n. 250. & seqq. Diana 1. p. tract. 11. resolutione 33. & Layman libro 2. tractatu 1. capite 15. numero 6. Megala in 3. parte, libro 3. capite 1. num. 38. & Rocaffull p. 3. Praxis libro 3. capite 8. §. *De legentibus*. dub. 14.

Ad fundamentum oppositæ opinionis, respondeo, quod noc est ad strictam & rigorosam verborum interpretationem confugiendum, quando de mente legislatoris, rationabiliter dubitari non potest: cum

cum ergo in hoc nostro casu, dubitari nequeat, mentem Summorum Pontificum esse, ut etiam Dominus præcipiens legere in dicta prohibitione comprehendatur: nam alioquin cuilibet, in fraudem legis agere, & excommunicationem effugere, perquam facile esset; hinc est, quod non solum legens (modò intelligat, quod legit) sed etiam Dominus cui legitur, excommunicationem Bullæ contrahant. Legantur Suarez & Layman *locis citatis*.

### QVÆSTIO LIX.

*An item incurrant eandem Bullæ excommunicationem, qui audiunt aliquem librum hæreticum legentem, si non iubeant, petant, aut consulant, quod illum legat?*

**N**egant adhuc omnes Authores pro prima sententia citati; & ex citatis pro nostra, Azor, Sayrus, Graffius & Layman.

Sed, æquè probabilius respondeo: Incurrere quoque. Sic Suarez *loc. cit.* per hæc verba: Neque etiam mihi placet distinctio, seu limitatio dicentium, si audiens inducat alium, ut sibi legat, tunc audiendo incurrere, non autem, si dum alter sua voluntate legit, ad audiendum accedat; nam hoc secundum etiam censo falsum: quia transgressio præcepti, non consistit propriè in inductione alterius, sed in participatione lectionis per auditum, & ita in eo casu procedunt rationes factæ. Quo circa in illo casu, tam audiens, quam legens peccat; audiens vno tantum modo iam explicato; legens verò dupliciter, scilicet, & legendo, & cooperando lectioni alterius. Si tamen sic legens non intelligeret, excusaretur à propria culpa legentis, iuxta supra dicta, non tamen excusaretur à culpa cooperantis iniquæ lectioni alterius. Huc vsque Suarez. Quem non citatum sequitur Rocaffull *parte 3. Praxis libro 3. capite 8. §. De legentibus. dub. 15. pag. mihi. 192.*

### QVÆSTIO LX.

*An ab incurrenda excommunicatione Bullæ Cœnæ, in lectione librorum hæreticorum, excuset paruitas materiæ?*

**N**egant aliqui Doctores. Quia existimant in hac re non dari materiæ paruitatem; & ideo incurrere Bullæ excommunicationem, etsi vnam, vel alteram lineam quis legat; quia ex lectione vnius dumtaxat lineæ, potest quis hæresim haurire. Ita Vgolinus 2. p. de Censuris Papa reservatis, verb. Ac eorundem libros. §. 1. versiculo 8. & Toletus libro 1. summ. capite 19. numero 9. Dianæ, mihi 10. hæc verbis: Præterea, siue pauca lineæ, siue multæ legantur, incidunt legentes in Canonem hunc, dummodo tamen scienter legatur, id est, sciendo esse librum hæretici. Ita Toletus in summa, etiam typis mandata Lugduni anno 1606. quidquid dicat Fagundez, ibi non reperiri. Ita etiam sentit Pueronus in Bulla Cœnæ capite 1. numero 184. cum doceat incidere in hanc excommunicationem illum, qui solum titulum alicuius libri hæretici legeret.

Sed longè multò probabilius respondeo: Excusari paruitatem materiæ ab incurfione excommunicationis Bullæ. Quia longè probabilius est, in lectione librorum hæreticorum dari paruitatem materiæ, sicut datur in aliis rebus, in quibus paruitas materiæ à mortali & excommunicatione incurrenda excusat: ergo; sic Sanchez libro 2. summ. capite 10. numero 31. & penes illum, Azor, Sayrus, Rodriguez, Viualdus & Sà, Suarez de fide, disputatione 20. sectione 2. numero 19. Soufa, Hurtadus de Mendoza, Pelantius,

Palao, & alij, quos citant, ac sequuntur Diana 1. p. tractatu 11. resolutione 30. & parte 5. tractatu 5. resolutione 42. & parte 6. tractatu 6. resolutione 55. Fagundez libro 1. in Decalog. capite 14. numero 3. & alij mox citandi. Qui omnes ad fundamentum oppositum respondent, negando, quod statim ac quis vnam, aut alteram lineam legat, etiam si in illis contineatur hæresis, ob quam liber prohibetur, exponit se periculo imbibendi hæresim, nisi etiam fundamenta, & rationem percurrat. Vnde maior difficultas est in assignanda paruitate materiæ: pro quo fit.

### QVÆSTIO LXI.

*Quenam sit paruitas materiæ, qua legendo libros hæreticos, à mortali, & excommunicatione excuset?*

**A**D hanc quæstionem varij variè respondent. Nam in primis Croufers in Regula Sancti Francisci, capite 7. sectione 5. folio 524. quærens, quanta pars libri hæretici requiratur ad incurrendam Censuram Bullæ Cœnæ: ita respondet: Arbitraretur tantam partem libri legi oportere, quæ per se sumpta, verè possit libri nomine censeri: quia sicut epistola hæretica deficit à ratione libri ad effectum incurrendæ huius Censuræ; ita etiam similis quantitas libri lecti, vel retenti, si fortè liber esset mutilus, deficit à ratione quantitatis sufficientis ad eandem Censuram. Ita ille. Sed hanc opinionem, ut nimis laxam profusè esse reiiciendam, meritò putat Diana p. 6. tractatu 6. resol. 55.

Alij verò, secundò respondent, lectionem vnius dumtaxat paginæ, esse paruum materiam, & insufficientem ad incurrendam tam grauem Censuram. Ita Sà verb. excommunicat. in Bulla Cœnæ numero 2. ita scribens: Qui vnam solam paginam hæretici libri legit, non est censendus excommunicatus: parua enim condonantur. Ita Sà. & Rodriguez in addition. ad Bullam Cruc. §. 9. numero 68. & Viualdus in explicatione Bullæ Cœnæ numero 11. Quos omnes citat, ac sequitur Sanchez numero 31. citato. vbi ita loquitur. Et ita credo, vnam solam paginam, quamuis liber sit ex voluminibus maioribus, non sufficere: sed maior quantitas ea pagina voluminis maioris, vulgò, de marca mayor, sufficiens erit. Sic ille. Cuius opinionem etiam approbant Duardus in explicat. Bullæ Cœnæ libro 2. canone 1. quæstione 46. numero 4. Filiucius tomo 2. tractatu 22. capite 7. numero 204. (quamuis tomo 1. tractatu 16. capite 2. quæstione 8. numero 45. quænam, in hac re, æstimanda sit parua materia, iudicio prudentis reliquerat) Portel in addit. ad dub. regul. verb. libri prohibiti. numero 7. Layman libro 2. tractatu 1. cap. 15. numero 5. & nouissimè Fagundez in libro 1. Decalogi capite 14. numero 4. & Diana parte 10. tractatu 12. resolutione 47. vers. Sed hæc opinio.

Sed hanc opinionem Thomæ Sanci, esse parum probabilem; tum quia communiter reiicitur ab Authoribus: tum etiam quia dicta opinio in Viualdo, & Sa emendatis, à Reuerendissimo Magistro sacri Palatii, expurgata fuit, ait Diana parte 3. tractatu 5. resolutione 42. (non 1. p. tractatu 5. resolutione 4. ut citat Rocaffull 3. p. Praxis libro 3. capite 8. dubitatione 3.) Sed immeritò profectò, quia, ut probabilis omnino sit, & segura in praxi, satis est ei, post rationem, habere tot grauißimos authores, qui illam defendunt, quidquid dicant alij. Imò ipsemet Diana eandem Sanci sententiam, postea (licet non ita consequenter) approbavit parte 6. tractatu 6. resolutione 55. his verbis: Ad plurimum, ut à nobis obseruatum est, & docet nouissimè Fagund. in prac. Dec. tom. 1. lib. 1. c. 4. n. 4. vnam

vnam solam paginam ex magnis voluminibus, dicendum est, esse paruitatem materiae. Sic Diana *loc. cit.* & p. 10. allegata, & Rocaffull *loc. cit.*

*Tertio*, à dicta Thomæ Sancijs sententia discedit, sed parum, Trullench *lib. 1. in Decal. cap. 3. dubit. 9. n. 17.* docens, sufficere ad hanc Bullæ Censuram incurrendam, legere vnam integram paginam voluminis maioris (hoc est, *de marca mayor*) quia, moraliter loquendo, censetur (inquit) notabilis quantitas, & legere librum. Vnde iuxta hunc authorem, minor quantitas paginæ voluminis maioris, parua quantitas est, & insufficientis ad incurrendam Cœnæ excommunicationem.

*Quarto*, alij putant, materiae paruitatem esse, legere decem lineas: ita Sayrus *tom. 1. Thes. lib. 3. c. 5. n. 12.* Castr. Palao *tom. 1. tr. 4. disp. 2. punct. 10. §. 2. n. 6.* & penes illum, Suarez *disp. 20. de fide, sect. 2. n. 20.* Sanchez *lib. 2. sum. cap. 10. numero 31.* Egidius, Bonacina, & Azor. Sed ex his non citantur Sanchez & Azor.

*Quinto*, alij dicunt, esse materiam paruam, legere tres, aut quatuor lineas. Ita Merolla *tomo 1. disp. 1. cap. 2. corollar. 7. diff. 3. numero 344.* Pesantius *in 2. 2. quest. 56. artic. 2. disp. 6.* Graffius *tomo 1. libro 4. decis. cap. 18. n. 45.*

*Sexto*, alij sustinent paruam materiam esse, legere vnam, aut alteram lineam. Ita Hurtad. de Mendoza *tomo 1. de fide disputatione 76. subsección 3. §. 311.* (non sección 1. §. 11. vt leges apud Dianam) his verbis? Breuis autem lectio vnus, aut alterius lineæ, non est peccatum graue. Et hanc opinionem esse Dianæ, affirmat Aufonius in eius summa *verb. Hæreticorum liber. numero 39.* Sed certè fallitur Aufonius, vt ex statim dicendis manifestum fiet.

*Septimo*, denique, alij tenent, materiam leuem, seu paruam, esse pauca verba legere. Ita Azor *tom. 1. libro 8. capite 16. questione 3.* Cui consonant Suarez *de fide, disputatione 10. sección 2. numero 19.* & ex illo, Diana 1. *p. tractatu 11. resolucióne 30.* dum dicunt, quod oporteat, vt nimis breuis, nec multarum linearum sit lectio, vt excusationem paruitatis materiae, in hac re, admittat.

Ex his omnibus opinionibus; secundam Sancijs, & tertiam Trullench; vt potè, quæ media via incedunt, vt probabiliores eligo. Nam primam, tanquam nimis laxam, iterum rejicio. Vltimas verò, vt valdè rigorosas, relinquo.

## QVÆSTIO LXII.

*An retinentes scienter hæreticorum libros, qui, vel hæresim continent, vel de Religione tractant excommunicationem Bulla incurrant?*

**R**espondeo tanquam certum: Incurrere. Quia hoc expressè est prohibitum in Cœnæ Bulla. Itaque, si quis, siue in sua domo, siue in aliena; & siue suo, siue alieno nomine, retineat; verè hac excommunicatione ligatur. Quia, siue causa sui, siue causa aliorum, tales libros retineat, verè retinere dicitur. Vnde constat, tali excommunicatione ligari Bibliopolas huiusmodi libros hæreticos retinentes, vt conglutinent; quia verè retinent, etsi nomine alieno. Sic omnes. Graffius 1. *p. decis. capite 18. numero 48.* Sayrus *tomo 1. Thesaur. libro 3. capite 5. numero 16.* & Vgolinus *de Censuris Papæ reseruat. 2. p. capite 1. verb. Aut retinentes. numero 3. vers. 3.* Quos refert, & sequitur Sanchez *libro 2. sum. capite 10. numero 52.* Sic deinde, Suarez, *de fide, disputatione 20. sección 2. numero 21.* Alterius *libro 5. disputatione 2. capite 7.* Fagundez *libro 1. in Decalog. capite 14. numero 31.* Trullench *libro 1. in Decalog. capite 3. dubitatione 9.* R. P. Leand. de Censuris,

*numero 25. Rocaffull p. 3. praxis, libro 3. cap. 8. §. De retinentibus, dubitat. 4. & omnes.*

## QVÆSTIO LXIII.

*An etiam retinens librum hæreticum, scriptum lingua, quam non intelligit, incurrat Cœna excommunicationem?*

**R**espondeo: Etiam incurrere. Quia retentor horum librorum non excusatur à Censura, eo quod illos non intelligat: quia sine intelligentia potest libros conseruare, & retinere, quod est contra finem legis. Nam Sum. Pontifex, ideo tales libros prohibet retineri, quia noluit illos apud aliquem esse, sed penitus, ac funditus exterminari. Sic omnes. Præcipuè Sanchez, Suarez, Fagundez, & Trullench *locis citatis.* & Rocaffull 3. *p. Praxis libro 3. cap. 8. §. De retinentibus. dubitatione 5.*

## QVÆSTIO LXIV.

*An item, hanc excommunicationem incurrant, qui retinent libros hæreticos, non legendi causa, sed curiositatis, aut ornatus Bibliothecæ, aut permutandi cum libris Catholicis?*

**R**espondeo tanquam certum: Incurrere etiam. Quia hi omnes verè retinentes sunt, quam actionem Bulla etiam prohibet. Nec respicit, qua intentione fiat, sed absolute prohibet, ne fiat. Sic omnes. Vgolin. *eod. verb. Aut retinentes à n. 4.* Sanchez *libro 2. sum. c. n. 53.* Suarez *de fide, disp. 20. sect. 2. n. 21.* Fagund. *lib. 1. in Decal. c. 14. n. 31.* Trullench *eod. lib. 1. c. 3. dub. 9. n. 25.* Bonac. *disp. 2. de Censur. q. 5. puncto 4. n. 5.* Duard. *lib. 2. in can. 1. q. 51. n. 17.* Graff. 1. *p. decis. lib. 4. c. 18.* & alij. Qui addunt, eandem quoque Censuram incurrere Aromatarios, & Lanios retinentes huiusmodi hæreticos libros, quibus aromata, carnesue vendenda, obuoluant: quia verè retinent, & in causa sunt, vt librorum folia in plures distribuuntur.

## QVÆSTIO LXV.

*An deinde, incurrat dictam excommunicationem vir doctus librum hæreticum apud se retinens, animo errores hæreticorum confutandi?*

**R**espondeo tanquam certum: Incurrere. Quia lex prohibet factum, quacunque intentione facientis fiat. Nam bona intentio non sufficit honestare actum prohibitum. Sic Sanchez, Suarez, Trullench *loc. cit.* & alij communiter iuxta dicta *sup. q. 51.* & tenet Hurtado de Mendoza ibidem citatus, cum limitatione ibidem relata, quam admittere in casu tali, Suarez *disp. 20. de fide, sect. 2. n. 27.* Azor, Becanus, & Sanchez affirmat ipse. & mihi est satis probabilis. Legatur Palao *tomo 1. tr. 4. disp. 2. punct. 10. §. 2. n. 8. & 9.*

## QVÆSTIO LXVI.

*An quoque, dictam Censuram incurrat, qui partem libri hæretici retinet, si ea saltem pars hæresim non contineat?*

**N**egant incurrere, casu, quo dicta pars libri, hæresim non contineat: (bene tamen aliàs) Vgol. 2. *p. casib. reseruat. Papæ. verb. Ac retinentes. numero 3. vers. 6.* & Pueronus apud Dianam *p. 10. tract. 12. resol. 47. in fine.*

Sed, vt certum respondeo: Incurrere; etiam casu, quo talis libri pars, quam apud se retinet, hæresim non contineat. Ratio est. Quia eo ipso, quod aliqua pars libri hæresim contineat, totus liber est prohibitus. Deinde qui legit partem talis libri, in qua non est hæresis, imò in qua hæresis est delata (non publicè) hanc Censuram incurrit (vt sup. q. 40. est habitum) ergo idem est dicendum de retinente: cum eodem tenore legens, & retinens excommunicentur. Sic Sanchez lib. 2. summa cap. 10. num. 54. Suarez de fide, disp. 20. sect. 2. n. 22. Fagund. lib. 1. in Decal. c. 14. n. 32. Bonac. n. 5. cit. vers. Addo. Trullench lib. 1. in Decalog. cap. 3. dub. 9. numero 25.

### QVÆSTIO LXVII.

*An tandem, eandem excommunicationem incurrat, qui vnum dumtaxat folium libri hæretici apud se retinet?*

**A**ffirmant Vgolinus loc. cit. & Bonac. per hæc verba: Addo cum Vgolino & Filliucio, hanc excommunicationem extendi ad eos, qui partem tantum, vel vnum folium dictorum librorum retinent. Sicut enim legens vnum folium incurrit excommunicationem: ita eam incurrit retinens. Ita ille.

Huic sententiæ adhæret, ex parte, Ægid. Trullench lib. 1. in Decal. c. 3. dub. 9. §. 5. n. 25. vbi ait, illam habere verum, in casu, quo illud folium, quod quis apud se retinet, hæresim contineret; quia tunc imminet periculum legendi & imbibendi hæresim: non verò casu, quo tale folium non contineret hæresim; nam tunc, inquit, non vnum, sed tria, aut quatuor folia retinere, est necessarium, vt excommunicationem Cœnæ retinens incurrat. Ita hic Auctor.

Sed absolutè, & sine limitatione respondeo: Nullo modo incurrere in dictam excommunicationem, qui vnicum folium libri prohibiti continet, siue hæresim contineat, siue non. Quia hæc, morali æstimatione, parua materia in nostro casu, censenda est. Nam quamuis hæc materia sit sufficiens materia, ad hanc Censuram incurrendam, respectu lectionis libri prohibiti, iuxta dicta q. 61. at respectu retentionis vnum folium, parua materia est; quia cum minus periculum sit retinere, quàm legere, minus etiam delictum erit retinere vnum folium, quàm legere. Sic Sanchez lib. 2. sum. c. 10. n. 54. Fagund. n. 32. cit. in fine, quos citat, & videtur sequi Rocafull loc. cit. dub. 6. in fine.

### QVÆSTIO LXVIII.

*An in retentione librorum hæreticorum detur paruitas materia?*

**N**egatiuam sententiam tenere Suarez de fide disput. 20. sect. 2. n. 22. & Hurtadum de Mendoza tomo 1. de fide disp. 76. subsect. 3. §. 3. 12. (non sectione 1. §. 12.) ait Diana parte 5. tractatu 5. resol. 48. necnon & Aufonius in eius summa, verb. Hæreticorum libri. numero 39. Sed falluntur profectò. Nam prædicti Doctores oppositum expresse docent locis citatis. Solùmque dicunt, peccare mortaliter, illum, qui, adhuc per vnicum instans temporis, haberet voluntatem retinendi librum hæreticum longo tempore: quod quidem est verissimum: non tamen dicunt, quod tunc simul incurreret excommunicationem Cœnæ, casu, quo cum illa voluntate retinendi librum longo tempore, non adesset simul exterior retentio magna dicti hæretici libri, cum non incurratur Censura ex voluntate retinendi, sed ex voluntate executioni mandata. Vnde

Tanquam certum respondeo: Quod verè detur par-

uitas materiæ in retentione librorum hæreticorum. Sic omnes communiter. Suarez & Mendoza loc. cit. Sanchez lib. 2. sum. cap. 10. n. 55. vbi sic ait: Excusat quoque ab hac Censura paruitas temporis, quo liber retinetur, expectando tempus breue, quo ad Inquisitores deferri possit commodè. Ita Vgolinus eodem verb. Ac retinentes. §. 1. num. vnico, vers. 2. Sayro d. capite 5. n. 16. Graffis d. capite 18. numero 47. At in hoc casu non est necesse ad temporis paruitatem confugere. Si enim commoditas deferendi ad Inquisitores deesset, & illa absque fraude & negligentia, diù expectaretur, non esset locus huic Censuræ. Quia non dicitur verè retinere contra Ecclesiæ interdictum, qui opportunum tradendi tempus expectat. Sicut nec dicitur rem alienam, inuito domino possidere, eam restituendi commodè occasionem expectans. Et ideo existimo etiam data commoda præsentandi occasione, excusare ab hac Censura breuitatem temporis retentionis per vnam, vel alteram diem. Sic Sanchez. loc. cit. §. 1. p. tractatu 11. resolutione 30. & penes illum Duardus, Reginald. Palaus, & Gordonus. Alterius libro 5. disputatione 2. capite 7. Bonacina, & alij statim citandi.

### QVÆSTIO LXIX.

*Quenam censenda sit parua temporis retentio, quæ à dicta Censura incurrenda excuset?*

**R**espondeo: Esse retentionem vnus, vel alterius diei. Vnde si quis, etiam post datam occasionem præsentandi dictos libros hæreticos Inquisitoribus, per duos dies non traderet eos, sed penes se retineret, non incurreret dictam Bullæ excommunicationem. Quia ad tantam pœnam contrahendam, dicta detentio, modica, & breuis est censenda. Sic Sanchez, vt vidimus, num. 55. & penes illum Sayrus loc. cit. Diana parte 1. & 5. locis citatis. & apud illum Duardus in explicat. Bull. Cœna lib. 2. can. 1. q. 51. n. 33. Reginald. tomo 1. lib. 9. cap. 14. n. 256. & Castro Palao tomo 1. tract. 4. disput. 2. puncto 10. §. 2. num. 11. Quibus addi possunt Fagundez libro 1. in Decal. cap. 14. n. 33. Bonac. disput. 2. quest. 5. puncto 4. num. 5. Trullench libro 1. in Decal. capite 3. dub. 9. n. 25. Ioseph Rocafull in praxi totius moralis Theol. parte 3. lib. 3. c. 8. §. De retinent. lib. hæret. dubit. 3.

### QVÆSTIO LXX.

*An habens librum hæreticum, & illum, propria autoritate comburit; quin tradat Inquisitoribus, incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ?*

**A**ffirmat Soufa in Aphorif. Inquisit. lib. 1. cap. 21. n. 20. apud Trullench, vbi infra.

Sed tanquam ferè certum respondeo, Non incurrere hanc excommunicationem. Quia qui librum hæreticum comburit, verè non est retinens, qui solus excommunicatur in dicta Bulla Cœnæ. (An verò incurrat aliam excommunicationem non reseruatum statim dicemus.) Sic Sanchez cap. 10. cit. n. 56. Suarez de fide disput. 20. sect. 2. numero 23. ita loquens. Respondeo, ex vi huius clausulæ, seu legis Bullæ Cœnæ, satis esse librum statim comburere, quia hæc lex solum prohibet retinere, & non disponit modum abiiciendi librum, & ideo per illam actionem sufficienter impletur. Oportebit autem librum destruere, quia si alteri tradatur, vel alio modo integer conseruetur, planè fit contra intentionem legis. Sic Suar. Portel in addit. ad dub. reg. verb. libri prohibiti n. 13. Fagundez

Fagundez num. 33. cit. Trullench loc. cit. n. 26. Diana 1. p. tract. 11. resol. 37. & parte 4. tract. 8. resol. 99. & Alfonso in summa Diana, verb. Hæreticorum libri, n. 40. Farinac. de hæresi q. 180. n. 4. Palao tomo 1. tract. 4. disp. 2. puncto 10. §. 2. n. 22. & Sanchez lib. 2. sum. cap. 10. numero 56. Duardus, Soufa, Bonacina, Scortia, & Pueronus apud Dianam p. 10. tract. 12. resol. 48.

## QVÆSTIO LXXI.

*An saltem incurrat excommunicationem latam à Iulio III. qui habens librum hæreticum, illum comburit, aut alio modo, propria autoritate, destruit, & non tradit Dominis Inquisitoribus?*

**N**egant adhuc aliqui Doctores, quatenus, sub disiunctione solum, aiunt, teneri, videlicet, eum qui librum hæreticum habet, vel comburere, vel Inquisitoribus tradere: ergo iuxta horum Authorum sententiam, ad effugiendam Censuram, sufficit vnam harum actionem exequi. Ita Repertorium Inquisitorum verbo, Liber. Zanchinus de hæret. cap. 7. num. 7. & Filliuc. tomo 1. tract. 16. cap. 2. q. 8. n. 45. vbi sic ait: Ij, qui retinent libros prædictos, etiamsi non intelligant, & illiterati sint, nec habeant intentionem accommodandi aliis, vt legant; tenentur ad eos comburendos, vel deferendos Inquisitoribus, vel tradendos iis, qui habent facultatem illos legendi, vel retinendi. Sic Filliuc. ibi, quod iterum repetit, tomo 2. tract. 22. cap. 7. n. 208. Horum sententiam esse probabilem clarè insinuant Alterius, Riccius, Ricciullus, Campegius, Peña, Trullench, & alij plures, qui contrariam sententiam tenentes, tantum, illam veriorrem, probabiliorémue, aut tutiorem vocant. Et ita illam nouissimè tenet Dominicus Pueronus in Bull. Cæne c. 1. n. 108.

Sed probabilius longè respondeo: Excommunicationem latam à Iulio III. & à Pio IV. incurrare, casu, quo lata ab iis Pontificibus excommunicatio fit. Quia longè probabilius est, teneri sub præcepto graui, tales libros hæreticos deferre ad Inquisitores, nec posse quem, propria autoritate, illos comburere, aut alio modo destruere. Quia Iulius III. in proprio motu de hac re, qui incipit: *Cum meditatio*; id apertè his verbis præcipit: *Qui verò tales libros habuerint, eos consignare debeant realiter, & cum effectu Inquisitoribus Cunitatum, in quibus eiusmodi libri extiterint: Alioquin tanquam hæretici possint publicari.* Sic Iulius Pontifex. Cuius præceptum confirmauit postea Pius IV. in alia Bulla anni 1564. quæ incipit: *Locum pro munere*: ergo tale præceptum obseruandum est.

An verò qui huiusmodi præceptum infringit, incurrat excommunicationem? Respondeo absolutè; incurrare, si lata ab iis Pontificibus sit: vt patet ex dictis. Dico autem, *si lata sit*: Quia, vt notat Fagundez, mox citandus, in verbis relatis Iulij III. nulla fertur Censura. Fortitan in Bulla Pij IV. est apposita; quamuis Suarez citans eam Bullam, nihil de Censura dicat, sed solum dicit id esse præceptum, & ideo obseruandum. Sic ipse Suarez de fide disp. 20. sect. 2. n. 23. & penes ipsum, Peña in addit. ad Directorium 2. p. Scholast. 1. vers. Præterea, quamuis. Azor tomo 1. lib. 8. c. 16. quest. 11. & Sanchez lib. 2. sum. cap. 10. n. 56. Sic etiam Barbosa de Offic. Episcopi, parte 3. alleg. 90. numero 5. Farinac. de hæresi, quest. 180. num. 40. Ricciul. l. 5. de Iure personar. cap. 24. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 14. num. 33. Riccius parte 4. decis. 255. n. 4. & decis. 260. n. 7. Alterius tomo 1. libro 5. disputatione 2. cap. 7. Soufa in Bulla Cæna, cap. 2. disput. 15. concl. 3. n. 4. Duard. ibid. libro 2. can. 1. questione 52. numero 1. Delrius, Homobonus, & Cherubinus, quos citat & sequitur Diana 1. p. R. P. Leand. de Censuris.

tract. 11. ref. 37. & p. 10. tract. 12. ref. 48. Bonac. disp. 1. de Censuris, questione 5. puncto 4. numero 20. Trullench libro 1. in Decal. capite 3. dubitatione 9. numero 26. Roccaffull in praxi Theol. moral. parte 3. libro 3. capite 8. §. De retinentibus, &c. dubitatione 2. Palao numero 22. citato. Vbi absque dubitatione affirmat, incurrare excommunicationem latam à Iulio III. & Pio IV. Legatur.

## QVÆSTIO LXXII.

*An adminus, licitum sit habenti libros hæreticos, eos propria autoritate comburere, casu, quo, sine graui suo detrimento, aut periculo, nequeas illos Inquisitoribus tradere?*

**N**egat Roccaffull loc. cit. his verbis: Quod verò dicunt Mari. Alterius, & Azor, hoc intelligendum, quando quis id facere potest, absque magno periculo & detrimento; non video quomodo verum habeat, nec quomodo possit esse illud periculum. Hæc ille. Et ante illum, Hieron. Rodriguez in Compend. 99. regul. resolut. 92. numero 1. Quem refert, & non reprobatur Diana parte 4. tractatu 8. resol. 99.

Sed respondeo licitum esse illi, tales libros comburere, casu dato, quo, sine graui damno, aut periculo, nequeat Inquisitoribus dictos hæreticos libros tradere. Cum enim Domini Inquisitores, quando liber hæreticus illis defertur, interrogent deferentem, vnde illum habuerit, an illo vsus fuerit, &c. hinc est, quod aliquando possit contingere, grate aliquod damnum deferenti euenire. Vnde dato casu, sic sentiunt communiter Doctores, & meritò, cum lex humana non obliget eum detrimento tanto. Sic Alterius, Azor, Sanchez, Fagundez, & Trullench locis citatis. Lege Pueronum in Bulla Cæna, capite 1. numero 108. & Dianam parte 10. tractatu 12. resolutione 48.

## QVÆSTIO LXXIII.

*An Domini Inquisitores ab hac Censura excusentur, legendo libros hæreticos?*

**N**egatiuam sententiam tenere Antonium Ricciullum in tractatu de iure person. lib. 5. capite 15. numero 4. Barbosam de potestate Episcop. parte 2. allegatione 90. numero 8. Suarium de fide, disputatione 20. sectione 2. numero 28. & Sanchez libro 2. sum. cap. 10. numero 46. ait Diana parte 4. tractatu 8. resolutione 46. Sed certè prædicti Doctores id absolutè non negant, sed solum dicunt, quod ex vi Bullarum Iulij III. vel Pij IV. non possimus affirmare quod Inquisitores habeant facultatem legendi libros hæreticos; an verò aliunde habeant, illorum notitiæ sit remittendum, quia nobis non constat.

Affirmatiuam ergo sententiam defendunt alij, qui existimant, prohibitionem de legendis hæreticorum libris, non comprehendere Inquisitores, aut eorum Commissarios, saltem auctoritate Apostolica creatos; quia ita, inquiunt, cauit Iulius III. in præcitata Bulla: *Cum meditatio*, his verbis: *Nos pramissis occurrere, & Christi fidelium animarum saluti consulere cupientes, motu proprio, &c. omnes & singulas licentias legendi, & tenendi libros Lutheranorum, aut alios hæreticos, seu de fide suspectos, quibusuis personis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, etiamsi Episcopali, vel Archiepiscopali, aut alia maiori dignitate Ecclesiastica, seu seculari, præeminentia præfulgeant: Inquisitoribus, seu Commissariis, super hæretica prauitate, ab Apostolica Sede, pro tempore deputatis, durante ipsa deputatione, dumtaxat exceptis, &c.*



tenore præsertim reuocamus, &c. Hæc Pontifex. Propter quod, ita sentiunt Azor. *tomo 1. lib. 8. c. 16. q. 13.* Graffis *1. p. decis. lib. 4. cap. 18. n. 45.* Peña in *Director. Inquisit. parte 2. Schol. mihi 1. Dianæ 3. Farinacius de hæresi, q. 180. num. 43.* Bonac. *tomo 3. in explicat. Bull. Cœn. disp. 1. quest. 2. puncto 4. num. 10.* Zanard. Duard. Torreblanca, Naldus, & Soula, quos refert Diana *loc. cit.* Quibus addo Iosephum Rocafull. in *praxi Theol. moral. parte 3. lib. 3. cap. 8. §. De legentibus. dub. 9.* Quia (inquit) aliter non possunt exercere suum officium.

Sed licet hæc sententia olim probabilior mihi esset, nunc autem, post decretum Pauli V. & Urbani VIII. latum die 17. Augusti, anno 1627. ubi reuocantur omnes licentiæ legendi libros Hæreticorum, vel de hæresi suspectos, aut aliàs reprobatos, & damnatos in Regnis Hispaniarum concessæ ab Inquisitore generali, ab Episcopis, imò ab ipso Pontifice, (exceptis Inquisitori generali concessis) quibuscunque personis, quauis conditione & dignitate, fulgentibus & qualificatis, omnino dicendum est cum prima sententia, non excusari à prædicta excommunicationis Censura Inquisitores, legendo libros hæreticos, nisi Inquisitor dumtaxat Generalis: quia hunc solum excipiunt dicta Pauli & Urbani decreta, quæ sunt opposita in indice librorum prohibitorum edito Hispali anno 1632. Sic tandem propter decretum huiusmodi, tenent Diana *resol. 46. cit. in fine,* & Trullench *lib. 1. in Decal. cap. 3. dub. 9. num. 23. & 33.* Palao *loc. cit. §. 3. numero 5.*

#### QVÆSTIO LXXIV.

*An Cardinales possint libros hæreticorum legere, absque incurfione Censura Bullæ?*

**A**ffirmatiua pars suaderi potest. Quia probabile est, quod Cardinales non comprehendantur in excommunicatione generaliter lata, seu promulgata, aut in quauis alia dispositione Pontificia imponente Censuras, aut pœnas, nisi illos in ea exprimat: at sic est quod in Censura lata in primo Canone Bullæ Cœnæ contra legentes libros hæreticos, non fit expressa mentio Cardinalium: ergo non comprehenduntur sub tali Censura. Maiorem, in qua est difficultas, docent Ioan. Andr. Monacus, Geminianus, Barbatius, Iason, Mandosius, Rebuff. Romanus, Oldradus, & alij plures apud Dianam *parte 5. tr. 2. resol. 16.*

Sed probabilius longè respondeo: Non posse Cardinales libros hæreticorum legere absque incurfione Censuræ Bullæ. *Primò.* Quia generaliter loquitur Bulla Cœnæ: ergo omnes personas etiam Cardinalitia dignitate fulgentes, comprehendit. Pater consequentia. Quia probabilius longè est, quod Cardinales comprehendantur in Canone 1. Cœnæ, & in alia quacunque generali constitutione Pontificia imponente Censuras & pœnas, licet in illa Cardinales non explicentur, vt docent Vgolinus *de Censuris, tab. 1. cap. 17. §. 6. num. 10.* Bonac. *de legibus, disp. 1. quest. 1. puncto 6. num. 34.* Filliuc. *tomo 3. tract. 44. cap. 3. n. 79.* & alij quos citat, ac sequitur Diana *loc. cit.* ergo probabilius longè est, quod non possint libros Hæreticorum legere absque incurfione Censuræ Bullæ Cœnæ. *Secundò.* Quia si quæ ad hoc habebant priuilegia Iulius III. *constitut. sup. cit.* Paulus IV. & Pius IV. ea reuocarunt, in suis constitutionibus, quas refert Peña in fine Directorij Inquisitorum: ergo si aliàs de nouo alia priuilegia non obtinuerunt, primis non poterunt uti. Et ideo sentiunt Merolla *tomo 1. disp. 1. cap. 2. corroll. 7. diff. 11. num. 147.* Diana *resol. 16. cit.* & Aufonius in *eius sum. verb. Hæreticor. libri.* Trull. *lib. 1.*

*in Decal. cap. 3. dub. 9. num. 23.* Sanchez *lib. 2. sum. c. 10. num. 45.* Azor *tomo 1. lib. 8. cap. 16. q. 13.* Fagundez *lib. 1. in Decal. cap. 14. num. 22.* Suarez *de fide disp. 20. sectione 2. numero 26.*

#### QVÆSTIO LXXV.

*An etiam Episcopi & Archiepiscopi incurrant Bulla excommunicationem, legendo hæreticos libros?*

**R**espondeo incurrere. Quia priuilegia, quæ antea ad id habebant, iam reuocata fuere per constitutiones Pontificias citatas, & nouissime per decretum Urbani, de quo supra. Si quæ tamen postea priuilegia obtinuerint, eis standum erit, donec denudè reuocentur. Sic tenent Sanchez, Azor, Suarez, Fagundez, Trullench, & alij *sup. cit.* Diana *parte 4. tract. 8. resol. 46.* & omnes. Qui benè inferunt, & à fortiori, minus posse prædictos Prælatos facultatem retinendi, aut legendi libros hæreticorum concedere: & quidem hodie hanc potestatem solam sacram Congregationem S. Officij concedere posse, notat Diana, & ex illo Aufonius *loc. cit.* Quod si est verum, (vt credo) erit, quia priuilegium ad id obtinuerint: nam Bulla Cœnæ, solam licentiã Romani Pontificis excipit. Vnde neque Inquisitores possunt dictam licentiã legendi libros hæreticorum concedere ob eandem rationem, vt docent Azor *cap. 16. cit. q. 12.* Peña in *2. p. Directorij lib. 2. Schol. 1.* Fagundez *lib. 1. in decal. cap. 14. num. 45.* Graffis *1. p. decis. lib. 4. cap. 18. num. 46.* Sanchez *cap. 10. cit. num. 43.* Diana *parte 4. tract. 8. resol. 99.* & alij. Quod intelligendum est, nisi de nouo ad id priuilegium habeant.

#### QVÆSTIO LXXVI.

*An Generales Regularium possint legere, & purgare libros Hæreticorum, & alios prohibitos; necnon, & præbere suis subditis licentiã legendi eos, vel purgandi; non obstante decreto Urbani VIII. anno 1631. edito?*

**A**ffirmat Peyrinus *tomo 2. de priuil. Minimor. constit. 9. Pauli V. num. 10.* Quia Pontifices supra dicti, vt patet ex lectura Bullarum, loquuntur tantum de licentiis particularibus concessis ad legendos libros hæreticorum, vel alias quocunque modo prohibitos, non autem de priuilegiis Regularibus concessis, neque his derogant. Ita ille. Addens, quod in omni casu, libri suspensi donec corrigantur, nec prohibeantur legi ab his, qui aliàs habent per priuilegia facultatem. Hanc sententiam speculatiuè esse probabilem putat Lezana *ubi infra.*

Sed absolute respondeo dicendum, quod nullo modo iam possint. Quia licet olim potuerint ex priuilegio concessio à Gregorio XIII. Generali Societatis Iesu, modò verò, minimè, eo quod illud priuilegium, & alia similia, per priuilegia amplissima S. Inquisitioni Hispaniæ concessa, reuocata sunt, vt pro nunc omittam, quod alij communiter affirmant, etiam nouissime esse reuocata per decretum Urbani VIII. Vnde hanc sententiam tanquam securiorem, & in praxi consulendam, defendit, & tenet Lezana in *Compend. q. Regul. capite 18. n. 96.* (46. apud Aufonium) Emman. Rodrig. *tomo 2. q. 82. art. 3.* Hieron. Rodrig. in *Compend. quest. regul. resol. 92. n. 1.* & Portel in *dub. regul. verb. librorum prohibitio. n. 3.* Quos omnes citat & sequitur Diana *parte 4. tract. 8. resol. 99. & parte 5. tract. 13. resol. 49.* Sed ex his authoribus Rodriguez senior, satis sub dubio docet hanc sententiam. At namque *loc. cit.* ita: Prima autem concessio Greg. XIII. soli

foli Generali referuatur. In his autem partibus Hispaniarum dabitur, an concessionem hæc modò valeant, cum sanctissimæ Inquisitionis Tribunal habeat talia priuilegia, quibus fortè omnia ista sunt abrogata. Et in Bullis Cœnæ, quæ modò publicantur, videtur quod omnes facultates suspendantur. Hæc Rodrig.

## QVÆSTIO LXXVII.

An Inquisitores possint concedere licentiam legendi libros à se prohibitos?

Respondeo tanquam certum: Possè. Quia ipsi sunt, qui immediatè prohibent lectionem huiusmodi: ergo ab ipsis talis prohibitio auferri. Sic Alfonso in sum. Diana. verb. hereticorum libri. Suarez, Portel, Nauarr. Rodriguez, & alij mox citandi, & omnes.

## QVÆSTIO LXXVIII.

An qui ab Inquisitoribus Regni, verbi gratia, Lusitania, habet licentiam legendi libros specialiter ibidem ab ipsis prohibitos; possit eosdem legere in alio Regno, verbi gratia, Castella, casu, quo ibi etiam sint prohibiti ab Inquisitoribus?

Affirmant apud Dianam, ut infra, Nauarr tom. 2. consil. tit. de priuileg. conf. 6. Manuel Rodrig. tom. 3. sum. cap. 250. num. 4. & Hieron. Rodrig. in Compend. 99. Regul. resol. 92. n. 2. eo quod talis facultas, nil aliud contineat, quam gratiam, gratia autem, quæ personæ confertur, personam sequitur, & cum persona extinguitur: ergo.

Sed probabilius respondeo: Non posse. Primò. Quia nec Iudex potest iubere aliquid extra suum territorium. l. ult. ff. de iuris. omn. indic. nec sublato vno impedimento, censetur alterum separatim sublatum. l. si domus. ff. de seruit. urb. præd. cap. ex tuarum. de auctorit. & usu pal. Secundo. Quia omnes præter Papam habent iurisdictionem limitatam ad certa loca: ergo non possunt facere, vt quod est prohibitum, quoad omnia loca, liceat extra illa, in quibus illi habent iurisdictionem. Sic tenet Additionator Nauarri, consil. cit. dicens, hanc sententiam esse nondum tutiorem, sed fortè magis probabilem. Nec oppositum sensisse Nauarrum, cum in citato concilio defuerit sententia illius. Vnde non omnino benè citatur pro parte contraria. Sic etiam sentiunt Suarez de legibus, lib. 8. cap. 26. n. 8. Portel in dub. regul. verbo, libri prohibiti. n. 4. Diana parte 4. tract. 8. resol. 100. & Aulonius in summa Dianæ, verb. Hereticorum libri. n. 44.

## QVÆSTIO LXXIX.

An saltem in casu necessitatis possint Episcopi, & Archiepiscopi legere libros hereticorum, & dare facultatem alijs eos legendi?

Respondeo quod licèt verum sit, quod extra casum necessitatis id nequeant, vt habitum est supra q. 75. & docent Nauarr. lib. 1. consil. tit. de constit. consil. 1. quæst. 36. Azor lib. 8. cap. 16. q. 7. & ex illis Sanchez lib. 2. sum. cap. 10. n. 45. Attamen in casu necessitatis non expectantis licentiam Pontificis, eo quod esset periculum in mora, licèt possint. Ratio est. Quia in his casibus communis est sententia, posse Episcopum circa casus Pontificios. Sic Sanchez loc. cit. & Fagund. lib. 1. in Decal. cap. 14. n. 44.

## QVÆSTIO LXXX.

An Collegium Cardinalium, Sede vacante, possit dare licentiam legendi libros hereticos?

Affirmat Vgolinus, de casib. referu. Papa, 2. p. verb. Ac eorundem libros. §. 1. n. 1. vers. 2. Quia succedit in omnem Pontificis iurisdictionem, sicut succedit Capitulum Episcopi, Sede vacante.

Sed absolutè respondeo dicendum: Non posse, nisi seruat circumsstantiis, quibus dicto Collegio conceditur, vt aliquid possit in casibus Pontifici referuatis, in cap. Vbi periculum. de electione in 6. vbi definitur, vt nullatenus se in aliam causam intromittat, quam electionis Pontificis, nisi tam grande, & tam euidentis periculum immineret, vt omnibus, & singulis Cardinalibus videretur celeriter occurrendum. Vnde ad dandam hanc licentiam exigitur prædictum periculum euidentis, quod rarò dabitur; & etiam, omnes Cardinales esse conformes, & non sufficere maiorem partem illorum, vt dicitur in d. c. vbi periculum ibi omnibus, & singulis: quamuis aliàs factum à maiori parte capituli, dicatur à toto capitulo factum. Sic Sanchez lib. 2. sum. c. 10. n. 44. Fagundez lib. 1. in Decal. cap. 14. n. 47. Suarez de Fide disp. 20. sect. 2. n. 27. in fine. Palao tomo 1. tractatu 4. disputat. 2. puncto 10. §. 3. numero 6. & alij.

## QVÆSTIO LXXXI.

An imprimentes libros hereticorum excommunicentur in primo Canone Bullæ Cœnæ?

Respondeo quod non sunt excommunicati prædicti, per primum Canonem Bullæ: sed etiam per Concil. Trident. sess. 4. de edit. sacr. librorum. & per Concil. Lateranense sub Iulio II. sect. 10. vt legentibus constat, & docent omnes. Legantur Alterius libro 3. disp. 2. cap. 8. Rocassull, in sua praxi part. 3. lib. 3. cap. 8. §. de imprimentibus. in principio. Sanchez libro 2. sum. cap. 10. n. 57. Suarez de Fide, disp. 20. sect. 2. Palao puncto 10. cit. §. 2. n. 13. & alij.

## QVÆSTIO XXXXII.

An nomine imprimentium libros hereticorum, comprehendantur in hoc Canone, omnes, qui ad impressionem eorum proximè cooperantur?

Respondeo comprehendendi. Sunt autem sequentes: Officinæ impressoriæ, dominus, cuius auctoritate libri typis mandantur. Qui typos ordinant, & componunt. Qui sic compositos intingunt atramento. Qui torcularia premunt. Qui chartas madafaciunt, aut madafactas torculari supponunt. Hi namque omnes imprimere dicuntur; & ideo omnes Censura Bullæ Cœnæ innodantur. Sic Grassis 1. p. decis. lib. 4. cap. 18. n. 50. Sayrus tomo 1. Thesauri libro 3. cap. 5. n. 17. & Vgolin. de Censur. Papa referu. parte 2. cap. 1. verbo Imprimentes. initio, n. 1. & 2. & §. 1. n. 1. Quos citat & sequitur Sanchez lib. 2. sum. cap. 10. n. 57. Quibus addi possunt Suarez de fide, disputatione 20. sectione 2. numero 24. Sanctarell. de heresi, capite 13. dub. unico numero 18. Fagundez libro 1. in Decalog. capite 14. numero 35. Rocassull loc. cit. Trullench libro 1. in Decalog. capite 3. dub. 9. numero 27. Layman tomo 1. libro 2. tractatu 1. capite 15. numero 7. versiculo. Quod attinet. & Filliucius tractatu 16. capite 2. quæstione 9. numero 46. Palao loco cit. & omnes.

\*\*\*

Z 4

QVÆSTIO

## QVÆSTIO LXXXIII.

*An hanc Bulla excommunicationem incurrant, Correctores exemplaris impressi?*

**A**firmant Graffis, Sayrus, & Filliuc. & Palao, *locis citatis.*

Sed probabilius respondeo: Non incurrere. Quia tales non sunt propriè Impressores, sed eius rei quæ impressa est, inspectores. Si tamen, dum corrigunt, notabilem libri partem, seu materiam, legant, verè incurrent excommunicationem impositam legentibus, & id, toties, quoties legerint. Sic Vgolinus *loc. cit. §. 1. ad finem.* Sanchez *n. 57. cit.* Suarez *n. 24. cit.* Fagundez *c. 14. cit. n. 36.* Trullench *num. 27. cit.* Rocaffull. *in praxi, libro 5. cit. capite 8. vers. De imprimantibus, dubitatione 4.*

## QVÆSTIO LXXXIV.

*An Bulla excommunicationem incurrant, illi, qui expensas impressionis faciunt?*

**A**firmant Sayrus *tomo 1. Thesauri lib. 3. c. 5. n. 17.* & Filliucius *tractatu 16. capite 2. questione 9. numero 46.*

Sed probabilius respondeo: Nec incurrere, si nil aliud, quàm sumptus præstent. Quia hi propriè non dicuntur imprimere: cum illorum concursus ad id sit valdè remotus, & ideo insufficiens, vt illi imprimere librum dicantur. Sic Sanchez, Suarez, Fagundez, Palao, Trullench, & Rocaffull. *locis citatis.*

## QVÆSTIO LXXXV.

*An saltem dictam excommunicationem incurrat, author libri, qui librum hæreticum imprimendum tradit?*

**N**egat adhuc Fagundez *lib. 1. in Decal. cap. 14. numero 37.* his verbis: Mihi tamen non videtur in illa (*nempe, excommunicatione Bulla*) comprehendi: quia re vera author libri non est impressor illius, nec similiter tradens illum Typographis ad impressionem impressor est: In hac autem clausula, solum imprimentes, seu impressores comprehenduntur. Et quamuis communi vsu, auctores librorum, imprimentes, seu imprimere dicantur, ea est, ad hoc negotium, valdè impropria locutio: nam intentio Summi Pontificis est, solum officiales, seu impressores Censura percellere: auctores enim hæretici cum sint, aliunde alia, & aliis pœnis, iam percussi manebant. Hæc Fagundez.

Sed probabilius multò respondeo: incurrere. Sic Suarez *de fide, disp. 20. sect. 2. n. 24.* ita scribens: Dubitari ergo potest, An Author comprehendatur? quia non videtur per se, sed per alios imprimere, & lex non facit extensionem. Nihilominus dico, sine dubio, comprehendi, vt docent multi ex Doctoribus citatis, nullo contradicente. Tum, quia verba legis intelligenda sunt prout communiter accipiuntur. Tum etiam, quia semper Author habet aliquem immediatum concursus in illa actione, imò est quasi primus motor eius. Tum denique, quia in edictis, quæ ab Inquisitoribus, etiam vniuersalis Ecclesiæ, passim emanant, non solum imprimentes, sed etiam imprimi facientes, siue curantes, nominatim exprimentur. Hæc Suarez. Et ego, qui hanc nostram sententiam confirmo à simili ex dictis *supra q. 58.* Nam ille, qui mandat alicui, vt legat librum hæreticum, verè incurrit Censuram impositam legentibus libris hæreticorum: ergo etiam incurret, qui mandat alicui

tales libros imprimere. Sic præter Suatium, sentiunt Sanchez *c. 10. cit. n. 57.* Trullench *dub. 9. cit. num. 27.* Rocaffull. *loc. cit. dub. 1.* & Vgolinus *verb. Imprimentes, in fine principij. §. 1. n. 1. vers. Postremo.* Palao *tomo 1. tract. 4. disp. 2. puncto 10. §. 2. n. 13.* & alij.

## QVÆSTIO LXXXVI.

*An etiam incurrant excommunicationem hanc latam contra imprimentes, qui prædictis vendunt literas aneas, papyrum, atramentum, & alia ad impressionem necessaria?*

**R**espondeo: Non incurrere. Quia non imprimere dicuntur: nec ad impressionem proximè concurrunt. Sic Vgolinus *§. 1. cit. n. 2.* Sanchez *n. 57. cit.* Palao *n. 13.* Fagundez *lib. 1. in Decal. cap. 14. n. 38.* Trullench *numero 27. citato in fine.* Rocaffull. *loc. cit. dubit. 3.* & alij.

Notandum tamen cum his DD. quod isti, & correctores, atque illi, quorum expensis liber hæreticus imprimitur, quos omnes ab excommunicatione lata contra impressores excusauimus, possint aliunde incurrere in hanc excommunicationem; vt si ministeria illa exhibeant, quo hæresi faueant: tunc enim incurrent, non quasi imprimentes, sed quasi hæreticorum fautores.

## QVÆSTIO LXXXVII.

*An transcribentes libros hæreticos, incurrant eandem excommunicationem, quam incurunt imprimentes?*

**R**espondeo: Incurrere eandem: Quia nulla apparet ratio diuersitatis. Imò incurunt etiam excommunicationem latam contra fautores Hæreticorum: quia hac via student hæreticos adiuuare, ad eorum errores propagandos. Sic Alterius *lib. 5. disp. 2. c. 8. dub. 3.* Filliuc. *tract. 16. cap. 2. q. 9. n. 46.* Rocaffull. *loc. cit. dub. 4.* & alij id intelligentes casu, quo transcribentes intelligant quid transcribant, vt iam dicam.

## QVÆSTIO LXXXVIII.

*An etiam qui deferunt, vel vendunt libros hæreticorum in terris fidelium incurant excommunicationem Bulla?*

**R**espondeo: Incurrere excommunicationem Bullæ latam contra fautores hæreticorum. Quia verè tales censentur, si sciant se deferre, aut vendere libros hæreticorum, aliàs excusabuntur. Sic Alterius *loc. cit.* ita dicens: Idem censeo iudicandum de veredariis nostri sæculi, seu de librorum latoribus, quos sæpè contingit ex Germania, Gallia, vel aliis Hæreticorum Prouinciis libros vetitos clam deferre in terras fidelium. Nam hi fautores hæreticorum procul dubio censeri debent, & acriter sunt puniendi. Est tamen aduertendum in scriptore, & latore horum librorum, tunc pœnis iuste subijci debere, si scientiam in illo præcessisse constiterit. Nam si scriptor pœnitus ignoret quod scribit (vt sæpè contingit) Item, si lator, quid deferat, nesciat, cum clausos libros asportet, immunes esse crederem ab huiusmodi pœnis, quoniam ignoranti nihil imputatur. *l. fideiussor. ff. Mandati.* & ignorantia à pœna excusat *l. 2. ff. in ius vocati, vt eant. &c.* Sic ille. Et ex illo Rocaffull. *loc. cit. dub. 6.*

## QVÆSTIO LXXXIX.

An defendentes libros Hæreticorum excommunicentur, etiam in prima clausula Bullæ?

Respondeo etiam excommunicari. Nam post latam excommunicationem in legentes, retinentes, & imprimentes libros Hæreticorum, additur hæc clausula: *seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore.* Sic omnes Doctores.

## QVÆSTIO XC.

An qui librum hæreticum, scriptis in occulto defendunt, hanc Censuram Bullæ incurrant?

Respondeo tanquam certum: incurrere. Sic Sanchez *lib. 2. sum. c. 10. n. 58.* ita dicens: Incideret quoque tanquam defendens, qui scriptis defenderet. Ut componendo apologiam, quò librum hæretici tueatur: esto id in suo cubiculo solus faciat; nec scripturam in publicum edat, sed apud se custodiat. Quia Bulla publicè, vel occultè defendentem excommunicat. Sic Sanchez, Vgolinus, *de Censur. Papæ referu. 2. p. cap. 1. verb. Eorum libros quomodolibet defendentes. n. 2. vers. 3.* Fagundez *lib. 1. in decal. c. 14. n. 40.* Trullench *lib. etiam 1. in decal. cap. 3. dub. 9. n. 28.* Rocassull *in sua praxi, parte 3. libro 3. cap. 8. §. De defendentibus. dubitatione 1. & alij.*

## QVÆSTIO XCI.

An qui dicit, se velle defendere libros hæreticorum, v. g. Lutheri, hanc Bullæ excommunicationem incurrat?

Affirmat Palao *tomo 1. tract. 4. disput. 2. puncto 10. §. 2. num. 14.* Sed clariùs respondeo: Ex eo precisè non incurrere. Quia id non est defendere. Secus si cum effectu defensionem sit aggressus; aut iam esset quasi in procinctu paratus ad illam, prouocans ad certamen volentes contrarium sustinere: quia hoc iam moraliter defensio actualis reputatur. Sic Vgolinus *2. p. de casib. Papæ referu. cap. 1. verb. Ac eorum libros quomodolibet defendentes, n. 4.* Sanchez *num. 58. cit.* Fagundez *n. 42.* Trullench *n. 28. cit.* Rocassull *loc. cit. dub. 2.*

## QVÆSTIO XCII.

An qui solius disputationis gratiâ, libros hæreticos defenderet, eadem innodaretur Censura?

Negare videri Suarium *de fide disp. 20. sect. 2. n. 25.* dicit Fagundez *loc. cit. n. 41.* Quia is, non defendit propriè & simpliciter, sed impropiè & secundum quid, nempe, disputationis gratiâ: ergo.

Sed oppositum omnino respondeo dicendo. Quod verè, dicta innodetur Censura. Quia apertè hoc indicant illa verba Bullæ: *Quouis quæsito colore, vel ingenio defendentes.* Sic Sanchez & Vgolinus *loc. cit.* Vidual, *in explicat. Bullæ num. mihi 12. vers. Tertio excommunicatur.* Fagundez *loc. cit. n. 41.* Rocassull. *dubit. 3.* Trullench *loc. cit.* & alij. Qui addunt, etiam incurrere illos, qui tales libros defendunt, etiam si id faciant, vt inquirant rationes, quibus hæresis conuincatur, aut, vt dubitationes, si quæ sint, tollantur.

Nec ab hac sententia discedit profectò Suarez; ait enim *loc. cit.* sic: Secunda autem defensio fit, vel argumentis, confirmando prauam doctrinam talis libri, quatenus in illo est, vel respondendo ad argu-

menta, quæ contra illam fiunt; quod etiam locum habet, etiam si talis defensio sub titulo exercitationis, vel maioris inquisitionis veritatis, fieri dicatur: quia Bulla dicit: *quouis quæsito colore.* Hæc ille, ergo non obscure indicat nostram sententiam.

## QVÆSTIO XCIII.

An qui, quavis ratione, impedit præfatos libros, ne ad manus Inquisitorum perueniant, in hanc excommunicationem incidant?

Respondeo tanquam certum: Incidere. Quia hoc est illos libros defendere. Sic Sanchez *n. 58. cit.* per hæc verba: Comprehenduntur autem, qui quouis modo, aut quavis ratione eos libros defendunt, ne ad manus Inquisitorum veniant: aut verbis eos defendunt, dicentes esse bonos, aut vtilis, aut non comburendos. Sic Toledo *in sum. in Bulla Cœnæ. excommun. 1. n. 26.* Sayro *in Thesaur. casuum. tomo 1. lib. 3. cap. 5. n. 18.* Vgolinus *de Censur. Papæ referu. p. 2. c. 1. verb. Ac eorum quomodolibet defendentes. n. 2.* Huc vsque Sanchez. His authoribus addi possunt Suarez *de fide disp. 20. sect. 2. n. 25.* ibi: Denique etiam censetur defendere librum, qui dixerit, talem librum non esse prohibitionem, vel combustionem dignum. Vnde non excusabitur ab hac Censura, qui id dixerit. Fagundez *lib. 1. in Decal. cap. 14. n. 39.* Trullench *eod. 1. lib. in Decal. cap. 3. dub. 9. n. 28.* Alterius *lib. 5. disp. 2. c. 8. vers. in fine.* Rocassull *in sua praxi, parte 3. lib. 3. c. 8. §. De defendentibus. dub. 4. & alij.*

## QVÆSTIO XCIV.

An etiam in eandem excommunicationem incidant, qui id, quod Catholicum est in libro hæretico, defendunt?

Respondeo: Non incidere, si non vt contentum in libro hæretico, sed quatenus in se verum & catholicum est, defendunt. Quia hi nil mali agunt, nec hæreticum opus defendunt, sed solum veritatem, nullo habito respectu ad hæretici opus. Sic Vgolinus, Sanchez, Suarez & Trullench *loc. cit.* Fagundez *loc. cit. n. 43.* Rocassull *loc. cit. dubit. 5.* & Palao *puncto 10. cit. §. 2. numero 14.*

## QVÆSTIO XCV.

An qui stylum libri hæretici, vel ingenium authoris eius, laudarent, excommunicationem eam incurrerent?

Respondeo: Non incurrere, si hæc laudent secundum se, (non vt opus hæretici, nec ad illud defendendum, ne comburatur, aut exterminetur.) Quia id non est librum hæretici defendere. Sic Sanchez, Palao, Suarez, Fagundez, Trullench, & Rocassull, *loc. cit.*

## QVÆSTIO XCVI.

An saltem incurrerent dictam excommunicationem qui absolutè librum hæretici laudarent?

Respondeo: Incurrere illam, si talis hæretici liber contineat malam doctrinam: quia tunc, simpliciter illum laudare, sine dubio est defendere illum. Secus verò si dictus liber tractaret de Religione, siue erroribus, quia tunc si laudatio libri, est solum de doctrina libri, non est mala, nec prohibita, cum, vt supponimus,

ponimus, vera fit, & ideo per se non continet defensionem libri, vt est ab authore tali, nempe hæretico. Oportet autem vt laus non fit tanta, vt per illam, vel Author, vel doctrina eius simpliciter commendari videatur. Sic Suarez *loc. cit.*

## QVÆSTIO XCVII.

*An qui hæreticorum libros prohibitos legerint, retinuerint, impresserint, vel defenderint, ignorando esse in Bulla Cœnae prohibitos, hanc Censuram incurrant?*

**R**espondeo: Non incurrere. Quia clausula Bullæ petit scienter hæc fieri: at quando scientia petitur, excusat à transgressione quæuis ignorantia quantumuis crassa, nisi adeo talis sit, vt ingens temeritas, arbitrio prudentis iudicetur, vt diximus supra *tr. 1. disp. 9. quæst. 18. & 19. & seqq.* ergo. Sic authores ibi citati. Et in specie de hac quæst. tractantes, tenent Sanchez *tomo 1. sum. lib. 2. c. 10. n. 38.* & Fagundez *lib. 1. in Decal. cap. 14. n. 19.* Alterius *lib. 5. disp. 2. capite 8.* Filliuc. *tract. 16. cap. 2. q. 8. n. 41.*

## §. VI.

*De Schismaticis, & Inobedientibus Papæ, qui ultimo loco in prima clausula Bullæ Cœnae excommunicantur.*

## QVÆSTIO XCVIII.

*An Schismatici in prima clausula excommunicantur?*

**R**espondeo: Quod licet olim in Bullis Cœnae ante Pium V. non excommunicabantur Schismatici, vt notat Alterius, *ubi infra*: benè tamen excommunicantur modo, vt constat ex huiusmodi verbis additis in eadem prima Bullæ clausula: *Nec non (excommunicamus, intellige) Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.* Hæc Bulla. Per cuius verba fit extensio huius excommunicationis ad crimen Schismatis prout condistingui solet ab hæresi. Sic omnes; legantur Sanchez *lib. 2. sum. cap. 36. à num. 11.* Suarez *de Censur. disp. 21. sect. 2. à num. 12.* Alterius *lib. 5. disp. 2. c. 9.* Filliuc. *tr. 16. c. 2. q. 10. num. 48.* Trullench *lib. 1. in Decal. cap. 3. dub. 17.* Palao *tomo 1. tract. 6. disp. 4. punct. 6. & alij.*

## QVÆSTIO XCIX.

*An Schismaticus, qui in hac Bulla Cœnae excommunicatur, sit ille, qui spontaneè, ab Ecclesiæ vniuersalis vnitatem, eiusque capite Romano Pontifice, se separat?*

**R**espondeo: Esse. Quia schisma, iuxta D. Thomam *2. 2. q. 39. art. 1.* nil aliud est, quàm disunctio, per quam quis se ab vnitatem Ecclesiæ separat; in quantum Ecclesia est quoddam corpus mysticum ex vniuersis fidelibus, & Romano Pontifice tanquam capite constans. Ex quo clarè colligitur, quod schismaticus est ille, qui spontaneè, pertinaciter ab Ecclesiæ obedientia & vnitatem se segregat, & ab eius capite & Pastore Pontifice Romano, vt Pontifex est. Sic omnes. Legantur citati.

## QVÆSTIO C.

*An etiam sit Schismaticus, & excommunicatus per Bullam, qui se ab Episcopo separat, reuolvens subesse auctoritati Episcopali?*

**A**ffirmare videtur Cyprianus *relatus in cap. Scire debes. 7. q. 1. & capite Loquitur Dominus. 24. q. 3.* quatenus hunc talem, schismaticum appellat. Atque ita tenet Valentia *2. 2. disp. 3. q. 15. puncto 1. post 3. propositionem*, id probans: quia hic etiam tacitè, ac virtute, se separat à Summo Pontifice, cum Episcopus subordinationem & connexionem cum Pontifice, vt quædam pars cum suo capite, habeat.

Sed, vt certum respondeo: Prædictum, nullo modo esse excommunicatum per hanc Bullæ clausulam; eo quod non sit propriè, & in rigore, sed impropiè & largè, schismaticus. Quia, vt constat ex definitione eius, schismaticus est, qui ab vnitatem Ecclesiæ vniuersali, eiusque capite, Pontifice Romano, se separat. Sic Hostiensis. Ananias, Socinus, Azor, & Vgolinus, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 2. sum. c. 36. n. 6.* Trullench *lib. 1. in Decal. cap. 3. dub. 17. numero 4.* Hurtado de Mendoza *tomo 2. de fide, disputatione 168. sectione 1. §. 3.*

## QVÆSTIO CI.

*An vt quis sit Schismaticus, & excommunicatus, sat sit, nolle se subijcere Papæ, vt Domino temporali?*

**R**espondeo: Non esse satis: sed necessariò requiritur, vt nolit se subijcere Papæ, vt capiti Ecclesiæ. Sic Sanchez *cap. 36. cit. n. 4.* ita scribens: Tertio deducitur non esse schismaticum, qui cum sit incola oppidi subiecti temporali Papæ iurisdictioni, non vult ipsi, vt temporali illius oppidi Domino subijci, sed alteri Principi se subdere. Quia (vt optime ait Nauarr. *de datis pro iustitia, vel gratia, notab. 17. n. 29. versic. 3.*) Papa vt Dominus temporalis, non est Papa, & caput Ecclesiæ, sed instar cuiusvis temporalis Principis. Quare seiunctio illa, & rebellio, non est formaliter erga Papam, nec contra eius officium, vt Papa est; Quod ad schismatis rationem diximus *num. preced. exigi.* Sic Sanchez ex Vgolino. Bonacina *disput. 3. quæst. 4. de charit. puncto vlt. §. 5.* Palao *tomo 1. tract. 6. disp. 4. puncto 5. n. 8. & alij.*

## QVÆSTIO CII.

*An hanc Bullæ excommunicationem incurrant, qui ab obedientia Papæ recedunt, non tamen sunt verè Schismatici?*

**A**ffirmatiua pars suaderi potest; eo quod in dicta clausula primæ excommunicationis Bullæ Cœnae, prius excommunicat Pontifex schismaticos; & deinde eos, qui à Romani Pontificis obedientia recedunt: sed sic est, quod si hæc posterior pars, de solis schismaticis recedentibus ab obedientia Pontificis accipienda sit, superflueret vtique; quia illi sub schismaticis comprehensi erant: ergo; ita tenet Toletus *prope citandus lib. 1. cap. 19. n. 14.*

Sed verè respondeo: Non incurrere nisi solos schismaticos recedentes ab obedientia Papæ, aut etiam se separantes schismaticè à reliquis membris Ecclesiæ: Quia hi tantum comprehenduntur in dicta clausula primæ excommunicationis Bullæ: Nam non recedentes ab obedientia Papæ, vt Papa est, ac Christi Vicarius non dicuntur formaliter recedere à Pontificis obedientia. Sic omnino Sanchez *libro 2. sum. c. 36. n. 12.*

numero 12. & penes illum Caietanus in summ. verb. excommunicatione. capite 7. Azor tomo 1. libro 8. capite 20. questione 5. Vgolinus de Censuris Papæ reservatis 2. p. capite 1. vers. Necnon schismaticus. numero 9. Suarez tomo 5. in 3. p. disputatione 21. sectione 2. numero 12. & omnes

## QVÆSTIO CIII.

An qui sola mente est schismaticus, absque aliquo actu externo, hanc incurrat Censuram?

Respondeo negatiuè. Quia, vt sæpè habitum est, Rob solum peccatum internum, nunquam excommunicatio incurritur. Sic omnes comuuniter. Sanchez loc. cit. numero 15. & penes illum, Toledo in Bulla Cœna. excommunicatio 1. numero 16. & Sayrus tomo 1. Thesauri, libro 3. capite 5. Sed certè, ex his, Toletus, qui in impressione Lugdunensi 1606. de hac Censura agit libro 1. capite 19. numero 12. 13. & 14. nil de hac quæstione dicit. Legantur dicta q. 6.

## QVÆSTIO CIV.

An item, non incurrat, qui solo actu externo, non interno, est schismaticus?

Negandum videtur. Quia hæreticus externus tantum, non incurrit excommunicationem hanc, vt supra questione 2. & 6. est habitum: ergo nec schismaticus solum externus incurret.

Sed, vt certum respondeo: Incurrere. Quia ad peccatum schismatis committendum, non desideratur, velle se directa intentione subtrahere ab obedientia Pontificis; sed satis est id velle indirectè, nimirum ipso effectu.

Nec obstat paritas adducta. Quia differentia est. Quod peccatum hæresis, non consumatur in solo actu externo, sed necessariò errorem internum petit, vt supra est habitum: at verò peccatum schismatis, perfectè satis in sua specie consummatur per actum solum externum, vt diximus, & docent Caietanus, Bañes, Valentia, Vgolinus, quos citat, & sequitur Sanchez capite 36. citato, numero 5. & 14. & ideo hanc partem docent ipsi, præsertim Sanchez numero 14. & Suarez de Censuris, disputatione 21 sectione 2. num. 13. Qui benè inferunt, quod Catholici, qui sub hæretico Principe viuunt, verbi gratia, in Anglia, eique vt supremo capiti, & Vicario Christi exterius obediunt, quamuis in conscientia pœnas hæreticorum non incurrant, Censuram tamen latam contra schismaticos, non effugiunt, quia verè sunt schismatici. Sic etiam sentiunt Hurtado de Mendoza volumine 2. de fide, disputatione 168. sectione 1. §. 8. Trullench lib. 1. in Decalog. capite 3. dubit. 17. num. 5. Filliuc. tract. 16. cap. 2. questione 10. numero 48.

## QVÆSTIO CV.

An Fautores, Defensores, & Receptatores schismaticorum, hanc Bullæ excommunicationem contrahant?

Respondeo: Non contrahere. Quia in præsentia Bulla Cœna Pontifex eos non exprimit: ergo minimè comprehenduntur; quia dum excommunicatio alicui delicto infligitur, non extenditur ad adiuuantes, defendentes, & similes, nisi exprimentur, vt cum Nauarro capite 27. numero 51. docent Sanch. libro 3. de matrim. disputatione 49. numero 2. & libro 2. sum. capite 36. numero 16. & Suarez loc. cit. numero 14.

& communir: ergo. Sic Sanchez, Suarez & Trullench locis citatis. Alterius tom. 1. libro 5. disputat. 2. cap. 9. in fine. Hurtado de Mendoza disputatione 168. cit. sectione 3. §. 13. Palao tomo 1. tract. 6. disput. 4. puncto 6. numero 8. Qui tamen addit, dictos Fautores, Defensores, &c. ligari alia excommunicatione lata in capite licèt. de electione capite 1. de schismaticis in 6. & in Constitut. Pauli IV. quæ incipit: Cum ex Apostolatus officio.

## QVÆSTIO CVI.

An schismaticus non hæreticus, absolui possit virtute Bullæ Cruciatæ?

Respondeo: Posse. Sic Sanchez loc. cit. cap. 36. n. 17. his verbis: Possunt tamen absolui schismatici, qui hæretici non sunt, virtute Bullæ Cruciatæ, semel in vita, & semel in mortis articulo. Et similiter possunt absolui virtute Iubilei concedentis absolutionem à casibus Cœna. Quia id solum hæresis speciale est, vt non comprehendatur sub generali casuum Cœna concessione, vt probaui hoc 2. libro c. 12. numero 12. Sic ille. Trullench loc. cit. & alij. Et hæc dicta sufficiant de prima clausula, & excommunicatione Bullæ.



## DISPUTATIO II.

De secunda Excommunicatione Cœna, lata contra appellantes à mandatis Papæ ad futurum Concilium?

## QVÆSTIO PRIMA.

Contra quas personas, secunda excommunicatio Bullæ fulminatur?

RESPONDEO: Quod contra omnes singulares, (quocunque nomine nuncupentur) quæ ab ordinationibus, & mandatis Romani Pontificis pro tempore existentis, ad futurum Concilium generale appellant. Necnon, contra eos quorum auxilio & fauore appellatum fuerit. Et tandem contra personas vniuersales, vt vniuersalitates, Collegia & Capitula (quocunque etiam nuncupentur nomine, quia excommunicari nequeunt) fulminatur interdictum, vt patet ex textu Bullæ, qui sic se se habet: Excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cuiuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint: Vniuersitates verò, Collegia, & Capitula, quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium, ad vniuersale futurum Concilium appellantes: Necnon eos, quorum auxilio, vel fauore appellatum fuerit. Sic textus. Et cum eo omnes. Legantur Suar. diss. 21. de Censur. sect. 2. à n. 15. Nauarr. in sum. c. 7. à n. 57. Vivald. in explic. Bulla Cœna, à num. 14. Filliuc. tom. 1. tr. 16. c. 3. Toletus lib. 1. sum. c. 20. n. 1. 2. & 3. Bonac. disp. 1. q. 3. à puncto 1. Palao tom. 6. de Cens. disp. 3. puncto 3. Alterius tom. 1. lib. 5. disp. 3. per totam. & alij. Qui omnes, vt certum docent hanc excommunicationem incurrare omnes appellantes ad futurum Concilium generale; necnon & fauentes, & auxiliantes, ad appellandum, & appellatio cum effectu sequatur. Sed de aliis dubitant, de quibus in sequentibus.

## QVÆSTIO

## QVÆSTIO II.

*An qui à sententia, seu mandato iniusto Papæ appellaret ad generale Concilium, in hanc excommunicationem incideret?*

**A**ffirmarent forsitam Parisienses Doctores, & alij, qui olim sensere Concilium generale esse supra Papam, de quo agunt Syluester verb. *concilium. q. 5. & excommunicatio 7. in fine. Viualdus loco citato. numero 15.*

Sed, vt certissimum omnino respondeo: Incidere in excommunicationem hanc. Quia certissimum omnino est, Papam esse supra omne Concilium & Ecclesiam, sicut Pastor super gregem; & vt Christi Vicarius, vt docent cõmuniter Doctores cum S. Thom. *contra errores Græcorum cap. 63.* & contrariam opinionem esse hæreticam, dicit Paulus Gryfal. *verb. Papa. n. 19.* ergo certissimum omnino est incidere in excommunicationem illum, qui à quacunque sententia, seu mandato Pontificis ad Concilium appellat. Nam, vt benè Suarez, Censura hæc, seu Constitutio Pontificis, indistinctè & absolute loquitur, & non fundatur in eo, quod res à qua appellatur, iusta, vel iniusta sit; seu talis, vt ab ea appellari posset, si esset Superior ad quem possit appellari; sed in eo, quod sic appellans iniuriam facit Apostolicæ Sedi: nam videtur profiteri generale Concilium esse superius illa, quod tam fit à sententia iniusta appellando, quam à iusta. Huc vsque Suarez: & benè. *disp. 21. sect. 2. n. 15.* Sic etiam Viualdus *loc. cit.* & Alterius *disp. 3. cit. cap. 4. q. 3. Palao loc. cit. n. 3. Bonac. disp. 1. q. 3. puncto 2. num. 10. Filliuc. Duard. & alij penes ipsum. Diana p. 10. tractatu 11. resolutione 60.*

## QVÆSTIO III.

*An hac Censura feriatur, qui à mandatis Papæ ad Concilium Prouinciale appellat?*

**N**egat Filliucius *tractatu 16. capite 3. questione 4. numero 56.* Quia, inquit, standum est verbis legis, quæ exprimit, *Concilium generale, & futurum:* & iure, quia Prouinciale, constat non esse tantæ auctoritatis, nec vllus vnquam dubitauit, quod prouinciale sit inferius Papa, at aliquis dubitauit de generali. Ita ille, & Bonacina *puncto 2. citato, numero 5. Palao disputatione 3. de Censuris, puncto 3. numero 6. & alij penes ipsos.*

Sed probabilius respondeo: Feriri tali Censura, & fortius, quàm illum, qui appellat ad generale Concilium. Quia, si maior est auctoritas, & iurisdicção Papæ, quàm Concilij generalis, & propterea non licet appellare à Papa ad Concilium generale, quia tunc interponeretur appellatio à maiori ad minorem, contra naturam appellationis, vt supra est habitum; multò magis damnata erit appellatio ab eodem Papa ad Concilium particulare, quod longè inferius est auctoritate & iurisdicção, ipso Papa. Sic Alterius *libro 5. disputatione 3. capite 4. questione 2. Gambarupta de excommunic. Bullæ, cap. 2. n. 11.*

## QVÆSTIO IV.

*An etiam feriatur hac Censura, qui ad presens Concilium generale, iam legitime congregatum, à mandatis Papæ appellat?*

**A**ffirmant etiam Gambarupta *capite 2. numero 11. citato,* & Vgolinus *in Bulla Cœnæ Canone 2. §. 1. versu. Quinto.*

Sed respondeo probabilius: Non feriri Censura huius Canonis. *Primò.* Quia Papa dicit: *Ad futurum Concilium.* *Secundò.* quia talis appellatio, cum esset ad eundem Papam (nam Concilium nil agit sine consensu Papæ) potius esset prouocatio extraiudicialis, vt idem Papa corrigeret grauamen, causa diligentius in Concilio discussa. Sic Filliuc. & Alterius *loc. cit. Bonac. etiam loc. cit. n. 4. Sayrus lib. 3. c. 6. n. 4. Regin. n. 263. Duard. q. 7. n. 10. Palao loc. cit. & alij plures, quos citat, & sequitur Diana p. 9. tr. 7. ref. 66. & p. 10. tr. 11. ref. 60.*

## QVÆSTIO V.

*An qui auxilium, vel fauorem prebet post appellationem interpositam à sententia Papæ, vt appellans possit tueri appellationem, incurrat hanc excommunicationem?*

**R**espondeo: Non incurrere. Quia non præstat Opem ad appellandum quod prohibet Bulla; sed ad ea quæ sequuntur post appellationem. Sic Suarez, Alterius, Filliuc. *loc. cit. Villalob. tract. 17. diff. 20. n. 11. Bonac. tomo 3. de excom. disp. 1. q. 3. fine. Palao disp. 3. de Censur. puncto 3. num. 10.*

## QVÆSTIO VI.

*An qui dat consilium ad appellandum, hanc Bullæ excommunicationem incurrat?*

**A**ffirmat Nauarr. *cap. 27. num. 58. & 59.* Quia (inquit) licet hæc Bulla non includat consulentem specialiter, tamen generaliter includere videtur: quia includit auxiliantes & fauentes, & negari non potest, eum, qui consulit; auxiliari, & fauere. Ita Doctus Nauarr. cuius sententiæ est etiam Toletus *lib. 1. cap. 20. in fine. Grassius, & Vgolinus apud Dianam infra.*

Sed æquè probabiliter respondeo: Non incurrere hanc Cœnæ excommunicationem. Quia cum extensio fit ad consulentes, expressa fit eorum mentio, vt fit in *Can. 7. & 10.* ergo quando consulens non exprimitur, non est mens Pontificis illud comprehendere: at non fit mentio consulentis in hoc Canone: ergo. Sic Suarez *loc. cit. n. 17. Alterius disp. 3. cit. cap. 5. Filliuc. cap. 3. cit. n. 56. Viualdus loc. cit. Qui notat quod quamuis consulens non maneat Censura Bullæ innodatus, manet tamen excommunicatus per Extrauag. Iulij II. Sic etiam nobiscum sentit Diana p. 9. tr. 7. resolut. 66. & p. 10. tract. 11. resolutione 60.*

\*\*\*

## DISPVATIO III.

*De tertia Censura Cœnæ, lata contra Pyratas, Cursarios, ac Latrones maritimos.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*Contra quas personas hæc excommunicatio fertur?*

**R**ESPONDEO: Quod contra Pyratas, Cursarios & Latrunculos maritimos, discurrentes per mare Summi Pontificis, præcipuè à monte Argentario, vsuè ad Tarracinam. Necnon contra fautores, receptores, & defensores Pyratatum, &c. Sic habetur expressè in Bulla Clem. VIII. *anni 1595.* &

& Pauli V. anni 1606. per hæc verba: *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Pyratas, Cursarios, ac latrunculos maritimos, discurrentes mare nostrum, præcipuè à Monte Argentario, vsque ad Tarracinam: ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.* Hæc in dictorum Pontificum Bullis. Quamuis in aliis Bullis ante Sixtum V. sic legebatur: *Excommunicamus, &c. omnes Pyratas, Cursarios, latrunculos maritimos: & illos præcipuè qui mare nostrum à Monte Argentario, vsque ad Tarracinam discurrere, & nauigantes in illo depradati, mutilare, interficere, ac rebus, & bonis suis spoliare præsumpserint hæctenus, & præsumunt: ac omnes receptatores eorundem, & eis auxilium scienter dantes, vel fauorem.* Sic in Bulla Gregorij XIII. Legantur Nauarr. cap. 27. à num. 59. Suarez disputat. 21. sect. 2. à num. 18. Alterius lib. 5. disputatione 4. per totam. Viualdus in explicat. Bullæ, casu 3. à num. 20. Filliucius tractat. 16. cap. 4. Luyfius lib. 3. de Censur. disputatione 28. dubio 2. Toletus lib. 1. capite 20. à num. 3. Bonacina disput. 1. quest. 4. Palao disput. 3. punct. 4. & alij.

Q V Æ S T I O II.

*Quidnam per Pyratas, Cursarios, & latrones maritimos, intelligat Pontifex?*

**R**espondeo quod intelligit latrones, qui in mari versantur, vt prædentur, & spolient eos, qui vel negotij causa, vel alio fine, nauigant. Nam Pyrata, Græcè, est Prædo marinus. Pyratæ verò, sermone italico, Cursarij maritimi vocantur, eo quod huc, & illud percurrant. Latrones autem; quia vel à latere adoriuntur nauigio vectos, vel, & melius, quia latenter insidiantur. Sic Alterius loc. cit. cap. 1. Filliucius cap. 4. cit. quest. 2. num. 74. Bonacina disput. 1. quest. 4. punct. 1. num. 2. Palao punct. 4. cit. n. 2. & alij.

Q V Æ S T I O III.

*An omnes, qui in mari prædantur, etiam si non percurrant mare, intentione speciali furandi, sed ob alium finem licitum; hanc excommunicationem contrahant?*

**A**ffirmat Angel. verb. excommunicatio 5. casu 18. his verbis: Casus 18. est contra Pyratas, Cursarios, & Latrunculos marinos, ac omnes receptatores eorundem, cum dantibus eis auxilium, consilium, vel fauorem. Et dicitur Pyrata, quicumque in mari deprædatur, nisi habeat iustum bellum, contra eos, quos deprædatur. Quod nota, quia pauci aduertunt credentes, quod nisi quis indifferenter deprædetur in mari, non sit Pyrata, & non incidit in hanc pœnam: sed est falsum. Hucusque Angelus. Cui adherere videntur Armilla excommunicat. 13. & verb. Pyrata. Caietan. de excommunicat. cap. 18. Sayrus lib. 4. cap. 7. num. 3. Reginaldus lib. 9. num. 264.

Sed probabilius multò respondeo: non contrahere hanc Bullæ excommunicationem, nisi illos, qui nauigant, & percurrunt mare intentione principali furandi. Quia hæc conditio requiritur ad Pyratam constituendum. Vnde si aliqui Mercatores, suæ negotiationi incumbentes, nauigantes, interim, fortuito, & incidenter, spolient aliquos, non ideo dicendi sunt Pyratæ, & consequenter nec censendi excommunicati: nisi aliàs iam hoc latrocinium procederet ex intentione habita furandi, si occasio opportuna occurreret, quia tunc reuera remaneret excommunicatione obstricti. Sic Tolet. lib. 1. cap. 20. n. 4. Alter. lib. 5. disput. 4. cap. 1. Syluest. excommunicat. 7. casu 20. & penes ipsum Rosella, Ioan. Andr. & alij. Filliucius tractatu 16. cap. 4. quest. 4. num. 82. Nauarrus cap. 27. R. P. Leand. de Censuris,

num 59. his verbis: Qui gerunt sua negotia, aut mercimonia cum amicis, aut bella iusta, vel iniusta, cum inimicis, & deprædantur aliquando incidenter, non includuntur hic, iuxta omnium sententiam. Sic ille. Suarez etiam disputat. 21. sect. 2. num. 26. Luyfius lib. 3. disputat. 28. dub. 2. Villalobos tract. 17. diff. 20. num. 14. Bonacina quest. 4. citat. punct. 1. num. 2. & 3. Palao disput. 3. punct. 4. num. 2. & alij.

Q V Æ S T I O IV.

*An, qui animo depradandi vnã tantum nationem, non omnes indifferenter, percurrunt mare, hanc excommunicationem incurrant?*

**N**egant Syluester verb. excommunicatio 7. §. 56. Tabiena excommunicatio 5. casu 25. num. 4. & Rebuffus in explicatione huius Canonis. Quia existimant necessarium esse ad Pyratam constituendum, vt non tantum vnus nationis homines depræderetur, sed indifferenter omnes cuiusque Prouinciæ, & nationis, sine aliquo delectu.

Sed longè multò verius, & probabilius respondeo Tales dictam excommunicationem incurrere. Quia multò verius est, quod, qui per mare vagantur intentione spoliandi tantum Venetos, aut Gallos, aut Hispanos, verè Pyratæ, aut latrones maris dicantur, vt benè ait Nauarrus cap. 27. num. 59. in explicat. huius Canonis: ergo. Sic ipse. Suarez loc. cit. num. 24. Alterius, Toletus, Filliucius, & Luyfius loc. citat. Viualdus in explicat. huius tertij casus, num. 23. Bonacina loco citato, numero 8.

Q V Æ S T I O V.

*An, qui titulo belli spoliant in mari suos inimicos, incurrant etiam hanc Censuram?*

**A**ffirmatiuam sententiam tenere Angelum vbi supra, aiunt Alterius lib. 5. disput. 4. cap. 1. §. Angelus, & §. vtraque opinio. & Filliucius tract. 16. cap. 4. §. 4. & 5. Qui dicit esse probabilem, probatque: Quia tale latrocinium, quacunque intentione fiat, verè est in mari commissum: ergo obstrictum excommunicationi. Sed certè malè adducitur ab iis auctoribus Angelus pro hac parte, cum oppositum teneat, vt ex eiusdem verbis relatis quest. 3. conuincitur.

Probabilius ergo respondeo: non incurrere hanc Censuram in dicto casu. Quia probabilius est, quod illi, qui titulo belli veri, etiam iniusti, inimicos suos spoliant armis, & victualibus, ad debilitandos eos, & vim eorundem minuendam, cum id non agant intentione principali furandi, non possint dici Pyratæ, nec latrones, & ideo nec sunt excommunicati. Sic Angel. loc. cit. Suarez sect. 2. n. 25. Alter. Filliucius, & Toletus loc. cit. Villalobos tract. 17. diff. 20. n. 14. Bonacina quest. 4. punct. 1. num. 4. Palao num. 2. citat. Nauarrus, Duardus, & Sayrus penes illum.

Q V Æ S T I O VI.

*An, qui in solis fluminibus, animo principali prædandi, rapinam exercent, incidant in hanc excommunicationem?*

**A**ffirmatiuam sententiam tenere Angelum, verb. Pyrata, dicunt Nauarrus, & Luyfius mox citandi. Sed non benè. Nam Angelus expressè ait, hanc Bullæ excommunicationem esse contra eos, qui deprædantur in mari. Vnde

Abolutè respondeo: dicendum, quod non incurrant



dant in hanc excommunicationem Cœna. Quia clausula nostræ Bullæ, solum loquitur de latronibus per mare vagantibus. Sic Nauart. *cap. 27. n. 59. vers. Tertia.* Luylius *lib. 3. de Censur. disp. 28. dub. 2. vers. Dubitant verò.* Suarez *disp. 21. sect. 2. num. 26. in fine.* Alterius *lib. 5. disput. 4. cap. 3. dubit. 2.* Filliucius *tract. 16. cap. 4. quest. 6. num. 86.* Toletus *lib. 1. cap. 20. num. 4.* Bonacina *quest. 4. punct. 1. num. 9.* Reginaldus *num. 265.*

## QVÆSTIO VII.

*An saltem inciderent, qui in fluminibus propè mare discurrerent, animo depradandi nauigantes in mari, & deinde regredendi ad flumina?*

**R**espondeo incidere. Quia in hoc casu verè dicentur isti Pyratæ, & latrones maritimi; cum verè depradarentur in mari. Sic Filliuc. *num. 86. citato.* Alterius *dubit. 2. cit. ibi:* Sed si reuera sunt latrunculi fluminales, non incidunt, nisi prædentur in mari. Reginaldus *num. 266.* Duardus *canon. 3. quest. 9. & 10.* Bonacina *loco citato,* & alij.

## QVÆSTIO VIII.

*An item inciderent in eandem excommunicationem, qui discurrentes mare, in fluminibus depradarentur?*

**R**espondeo incidere etiam. Quia verè sunt latrones maritimi. Sic Alterius *loc. cit.* ita scribens: Respondeo, si sunt maritimi latrones, & inuenta occasione nauis fugientis ingrediuntur flumen ad prædam capiendam, puto eos incurrere; quia verè sunt latrunculi marini; præsertim si cœperunt insequi nauem, cum esset in mari, & fugientem in flumen, sunt depradati. Sic ille. Et etiam Filliucius *num. 86. citato.* Toletus *lib. 1. cap. 20. num. 8.* Bonacina *hic disputat. 1. quest. 4. punct. 1. num. 9.*

## QVÆSTIO IX.

*An Pyrata nauigantes, si descendentes in terram, prædentur homines in illa degentes, hanc excommunicationem incurrant?*

**R**espondeo quod non. Quia Bulla excommunicat Pyratas, & latrunculos mare discurrentes, aut in mari prædantes. Et in antiqua Bulla, quam refert Syluester, erat, *Qui nauigio vectos prædantur,* & pœna excommunicationis non est extendenda. Sic omnino Alterius *lib. 5. disputat. 4. cap. 3. dubit. 3.* Secus est dicendum de Pyratæ, aut latronibus marinis, casu quo mare discurrentes, intentione furandi, prædentur nauigantes, qui descenderunt in terram ad cibum solum capiendum, vel etiam nocte quiescendum: & præcipuè, si compulsos in terram se recipere, & insequentes, eos spoliènt. Sic Filliucius *tractatu 16. capite 4. questione 6. numero 86.* Qui dicit ita sentire etiam alios ex Recentioribus viros doctos.

## QVÆSTIO X.

*An Pyrata Christianus, qui alium Christianum Pyratam in mari spoliat, hanc excommunicationem incurrat?*

**N**egant Graffius *lib. 4. decis. cap. 18. num. 65.* Vgolinus *cap. 3. §. 2. vers. 2.* Filliucius *tract. 16. cap. 4. num. 91.* & Bonacina *loc. cit. num. 14.*

Sed probabilius respondeo: vtrumque Pyratam

excommunicationem incurrere. Quia cum vterque supponatur latrunculus marinus, vterque manebit excommunicatus, etiam si vnus ab alio spoliatus sit; nam vterque commisit actionem, cui annexa est excommunicatio. Sic Alterius *lib. 5. disputat. 4. cap. 3. dubitatione 7.* Bauny *in explicat. Bullæ Cœna, quest. 1. vers. Item putat Agraphiis.* Gambarupta *hic capite 3. num. 3.* & Duardus *Canone 3. quest. 6. & Canon. 4. q. 4. & alij.*

## QVÆSTIO XI.

*An Pyrata, qui non Christianos, sed solum Turcas, Iudæos, vel alios Infideles in mari spoliat, hanc Censuram incurrant?*

**A**ffirmatiua pars suaderi potest. Quia hæc Censura absolute, & sine vlla restrictione fertur in Bulla, contra omnes Pyratas, & latrones maris: at qui spoliant infideles, propriè exercent artem pyratam: ergo sunt excommunicati.

Sed probabilius respondeo: non incurrere hanc Censuram, quando spoliant infideles: sed solum quando spoliant Christianos. Quia certum est, quod sub hac Censura non comprehendantur nisi Pyratæ Christiani, cum alij non subdantur præceptis Ecclesiasticis: ergo eadem ratione non intelligitur ferri hæc Censura, nisi contra Pyratas spoliantes Christianos. Patet consequentia; quia æquitas postulat, vt tam ex parte offendentium, quàm offensorum, æqualitas feruetur: sicut ergo tantum Pyratæ Christiani subiiciuntur Censuræ; ita tantum in Christianos sæuientes, non autem in alios Infideles. Sic Suar. *disp. 21. sect. 2. n. 21.* Alterius *cap. 3. cit. dubit. 1.* Filliucius *tract. 16. cap. 4. q. 3. n. 78.* Luylius *lib. 3. de Censur. disp. 28. dub. 2.* Tolet. *lib. 1. sum. cap. 20. num. 6. in fine.* Machado *tom. 1. lib. 1. part. 3. tract. 6. docum. 5. num. 2.* Bauny *loc. citat. vers. Ad hanc ergo Censuram.* Bonacina *disputat. 1. quest. 4. puncto 1. num. 10.* Palao *disput. 3. punct. 4. num. 6.* & alij.

## QVÆSTIO XII.

*An Pyrata, in quouis mari, etiam extra loca ad dominium Papæ pertinentia, prædantes, hanc excommunicationem incurrant?*

**A**ffirmant Suarez *disput. 21. de Censur. sect. 2. n. 18.* Graffius *lib. 4. cap. 18. num. 67.* & Alterius *lib. 5. disput. 4. cap. 2.* existimantes, excommunicari in hoc tertio Canone Bullæ Pyratas vbicunque depradantes in mari, etiam extra loca Pontificis iurisdictioni subiecta, licet præsertim illos, qui discurrent mare sub potestate Ecclesiæ à Monte Argentario vsque ad Tarracinam.

Sed probabilius respondeo: dicendum. Quod, licet olim iuxta Bullam Gregorij XIII. omnes Pyratæ, quodcumque mare discurrentes, essent excommunicati, vt constat ex illis verbis: *Excommunicamus omnes Pyratas, cursarios, & latrunculos marinos, & illos præcipuè qui mare nostrum à Monte Argentario vsque ad Tarracinam discurrere, &c. præsumunt,* & docent omnes DD. At verò loquendo iuxta Bullas Clementis VIII. & Pauli V. probabilius est, quod solum incurrant hanc excommunicationem Pyratæ discurrentes Mare Sedis Apostolicæ, aut Principis alterius, cuius ex ditione, facilis sit transitus ad Mare quod Papæ subest. Quia id solū exigunt Bullæ dictæ, vt hæc verba indicat: *Excommunicamus Pyratas, &c. discurrentes mare nostrum,* & hinc est coma; & deinde sequitur; *Præcipuè à Monte Argentario vsque ad Tarracinam,* vt aperte constet, tantum excommunicari nunc eos Pyratas, qui discurrent Mare, quod alluit terras Sedi Apostolicæ immediatè,

immediatè, vel mediatè subiectas, vt est Mare supremum, & Mare inferum, Tyrrenum, scilicet, Ionicum, & Adriaticum, quod alluit Regnum Neapolitanum, Siciliam, Sardiniam, Corsicam, mediatè Sedi Apostolicæ subiecta: præcipuè tamen, eas, quæ sibi immediatè subiiciuntur, & partent incurribus Pyratarum. Ea autem sunt, quæ interiacent montem Argentarium, & Terracinam. Sic tenent Tolet. lib. 1. c. 20. n. 5. Filliuc. tr. 16. cap. 4. q. 2. dict. 2. n. 75. Bauny q. 1. cit. in explicat. casus secundi, vers. Ad hanc ergo. Machado docum. 5. citat. num. 6. Bonac. loc. cit. punct. 2. num. 4. Duardus can. 3. quest. 3. Vgolinus hîc cap. 3. §. 2. vers. Tertio. Palao disput. 3. punct. 4. num. 3. & alij.

## QVÆSTIO XIII.

*An in hanc excommunicationem incidant Pyrata, statim ac Mare incipiunt discurrere animo prædandi, etiamsi reipsa non sequatur prædatio?*

**N**egant plures Doctores existimantes, necessarium esse ad contrahendam hanc Censuram, vnam harum actionum, nempe deprædari, mutilare, aut interficere, aut spoliare bonis suis aliquem; ideoque non sufficere solam maris discursionem, nisi deueniatur ad aliquam actionem ex prohibitis per Bullam Gregorij XIII. relatam sup. quest. 1. Ita Caietanus verb. excommunicatio cap. 18. Viualdus in explicat. tertij casus n. 20. & penes illum, Armilla. Luyfius lib. 3. de Censur. disput. 28. dub. 2. vers. Mihi verò. Sayrus lib. 3. cap. 7. num. 5. Palao punct. 4. cit. num. 5.

Sed probabilius respondeo: dicendum. Quod, licet iuxta tenorem Bullæ Gregorij XIII. non incidere in excommunicationem Pyratæ discurrentes Mare animo prædandi, nisi præda, aut mutilatio, aut interfectio, aut spoliatio bonorum, cum effectu sequeretur, vt patet ex verbis Bullæ quest. 1. adductis: At tamen, nunc iuxta Bullam Clementis VIII. & Pauli V. loquendo, dicendum est incidere in dictam excommunicationem Pyratas, qui suscipiunt navigationem in Mari ditioni Papæ, (iuxta nuper dicta) subiecto, animo furandi, & deprædandi, quamuis reipsa, nullum committat furtum, aut latrocinium. Quia in Bulla hac, sola actio discurrendi mare exprimitur: ergo illa sola sufficit. Antecedens constat ex verbis Bullæ, quæ sic se habent: *Excommunicamus omnes Pyratas, &c. discurrentes mare nostrum, præcipuè à Monte Argentario, vsque ad Terracinam.* Et ibi perficitur clausula, & nil aliud additur. Ideoque ita sentiunt Filliucius num. 75. cit. & penes illum Suarez sect. 2. cit. num. 29. Sic etiam Toletus lib. 1. cap. 20. n. 6. Alterius lib. 5. disputat. 4. cap. 2. difficultate 2. per totam. Bauny loc. cit. vers. Sunt autem Pyrata, & penes illum, Graffius, Bonacina quest. 4. cit. punct. 2. num. 3. Vgolinus cap. 3. §. 1. num. 1. Reginaldus num. 265. Duardus can. 3. quest. 4. num. 2. & Graffius lib. 4. cap. 18. num. 67.

## QVÆSTIO XIV.

*An Nauta, vel Remigès Christiani, qui in Nauibus Infidelium Pyratarum versantur in mare, sint excommunicati per hanc clausulam Bullæ?*


**R**espondeo negatiuè. Quia isti, vt supponimus, vi compelluntur ad exercendum hoc ministerium, ad euitandum mortis periculum: propter quod eis parcat Ecclesia. Sic Alterius loc. cit. dubit. 4. Bauny loc. cit.

## QVÆSTIO XV.

*An non solum Fautores, Receptatores, & Defensores Pyratarum, sed etiam consulentes excommunicentur in hac clausula Bullæ?*

**A**ffirmat Nauar. cap. 27. num. 59. & antea Angel. excommunicat. 5. casu 18. & Caietan. eod. verb. cap. 18. Quia licet verbum, *consilium* ablatum sit in Bullis nouioribus à tempore Gregorij XIII. tacitè tamen includuntur, nomine auxiliantium, & fauentium, cum negari nequeat, eum, qui consulit, aliquo modo adiunare, & fauere.

Sed probabilius respondeo: dicendum, quod licet olim, etiam consulentes essent per Bullam excommunicati, eo quod expresse nominarentur in illa his verbis: *Ac omnes receptatores eorundem, & eis auxiliium dantes, consilium, vel fauorem;* Modo verò nullatenus sint excommunicati consulentes, sed solum Fautores, Receptatores, & Defensores: quia, vt diximus, in nouioribus Bullis, sublata est illa dictio, *consilium*, ex quo constat noluisse Pontifices, dantes consilium excommunicari. Nec valet dicere, quod tacitè includantur nomine Auxiliantium, vel fauentium: quia, vt bene Suarez, & alij plures solum consilium præbere, non est moraliter conferre auxilium, vel fauorem. Sic Suarez disputat. 21. sect. 2. num. 22. Alterius disput. 4. citat. cap. 4. Luyfius lib. 3. disput. 28. dub. 2. Qui dicunt, Angelum, & Caietanum loquutos fuisse iuxta Bullas antiquas, in quibus erat Verbum, *Consilium*.



## DISPUTATIO IV.

*De quarta excommunicatione Cœnæ, lata contra Rapientes bona Christianorum naufragantium.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*Contra quos hæc quarta excommunicatio feratur?*

**R**espondeo dicendum cum eodem textu Bullæ; quod *contra omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcunque nauibus tempestate, seu in transuersum (vt dici solet) iactatis, vel quoquomodo naufragium passis, siue in ipsis nauibus, siue ex eisdem eiecta in mari, vel in litore inuenta, cuiuscumque generis bona, tam in nostris Tyrreni, & Adriatici, quam in cæteris cuiuscumque maris regionibus, & litoribus surripuerint.* Sic Bulla. Et cum illa omnes Authores, præcipuè infra citandi. Qui omnes notant hanc excommunicationem prius latam fuisse in Concilio Lateranensi sub Alexand. III. Et habetur in cap. *Excommunicamus, de Raptoribus*, quamuis non esset tunc referuata.

## QVÆSTIO II.

*An incurrant hanc excommunicationem, qui bona Christianorum ex navi pereunte non ex tempestate, sed ex vetustate, vel ex imperitia Naucleri, aut aliàs, surripiunt?*

**R**espondeo incurrere modo. Quia in Bullis nouioribus Cœnæ latis à tempore Sixti V. aperte fit sermo de Nauibus quoquomodo naufragium passis, vt constat ex verbis nuper relatis. Vnde quicumque bona Christianorū ex nauibus naufragium passis,

siue vi ventorum, aut tempestatis, siue ex vetustate, siue ex eo, quod in scopulum incidant, siue ex culpa nauarum, bona surripiunt, dictam excommunicationem incurrunt. (Secus fortassis dici posset attempta Bulla Gregorij XIII. vbi non habentur hæc verba: *Quoquomodo naufragium passis.*) Sic Viualdus in explicat. Bullæ, casu 4. num. 28. Filliucius tract. 16. cap. 4. quæst. 8. num. 89. Alterius lib. 5. disputat. 5. cap. 1. vers. *Qua in re notandum est.* Bonacina disputatione 1. quæst. 5. puncto 2. num. 8. Palao disputatione 3. punct. 5. num. 6. in fine, & communis.

### QVÆSTIO III.

*An etiam incurrant eandem excommunicationem, qui bona Christianorum, ex nauis ab hostibus, bombardis confracta, aut igne cremata, surripiunt?*

**N**egat cum aliis Filliucius, his verbis: *Quartò.* Si ab hostibus nauis dirumpantur bombardis, vel incendio pereant, probabile est non comprehendi: quia nulla ratione videntur dici posse, naufragium passæ. Hunc autem casum tanquam alienum à verbis Bullæ, & ideo, etiam à mente Conditoris, omissum esse, censeari potest; Et ita sentiunt aliqui Recentiores. Ita Filliucius num. 69. citato.

Sed certè probabilius respondeo: etiam incurrere. Quia reuera surripiunt Christianorum bona ex nauibus, aliquo modo, naufragium passis, quod sufficit, vt constat ex Bulla. Nam si concedit Filliucius, quod nauis, quæ ex vetustate aperitur, aut rumpitur, dicitur aliquomodo naufragium passæ, vt ex illo est habitum quæst. 2. quare non concidit etiam, cum eadem sit ratio, quod nauis, bombardis rupta, aut consumpta incendio, dici queat naufragium aliquo modo passæ? Naufragium namque, nil aliud significat, nisi submersionem rerum, vel corporum, ex fractura, aut nauis periclitatione, quocumque modo fiat prouenientem, leg. *Deprecatio, & peritorum, ff. ad leg. Rhod. de iactu, l. 2. Codice de Naufrag.* Sic tenet Vgolin. part. 2. cap. 20. §. 1. Qui citat Viualdum, & alios. Bonacina loco citato, & penes ipsum, Viualdus, & Duardus. Palao etiam num. 6. cit. Legatur Machado lib. 1. part. 3. tract. 6. docum. 5. in fine, vbi refert vtramque sententiam, more solito.

### QVÆSTIO IV.

*Quid intelligitur in Bulla, nomine, bonorum naufragantium?*

**R**espondeo intelligi omnia, quæ sunt in Naui, & ipsa Nauis, Scaphæ, & quæcumque merces, & instrumenta, vt funes, anchoræ, remi, & ipsa ligna fracta Naui, si nauis saluatur. Vnde si quis rapiat in Mari, vel in littore aliquid dictorum bonorum, incidit in hanc excommunicationem. Sic omnino Alterius lib. 5. disputat. 5. cap. 2. dubit. 5. & etiam Duardus Canon. 4. quæstione 3. num. 3. Bonacina disputatione 1. quæst. 5. punct. 2. num. 10.

### QVÆSTIO V.

*An incurrant hanc Bullæ Censuram, qui Iudeorum, Turcarum, & aliorum Infidelium, qui naufragium subiere, bona surripiunt?*

**R**espondeo quod non, (quamuis aliàs surripientes omni iure teneantur ad illorum restitutionem. Quia Bulla Cœnæ expressè loquitur de sutri-

piens bona Christianorum naufragantium. Sic Alterius cap. 2. dub. 7. Luysius lib. 3. disputat. 28. dub. 2. vers. *Secundò notant,* & communiter omnes, præcipuè mox citandi quæst. sequentibus.

### QVÆSTIO VI.

*An saltem, qui prædantur nauim naufragatam Infidelium, onustam tamen fidelium bonis, sint hac excommunicatione innodati?*

**R**espondeo sub distinctione dicendo; quod non sint excommunicati, qui rapiunt ipsammet nauim, aut eius instrumenta: quia sunt bona Infidelium; (quamuis, vt diximus, teneantur sub mortali restituere rem ablatam.) Benè tamen, qui rapiunt bona fidelium ex Naui infidelium: quia quod Pontifex, præcipuè voluit, fuit prouidere conseruationi bonorum fidelium: parum autem refert ad id, quod ea bona deferantur in Nauibus Christianorum, an infidelium. Sic Filliucius tract. 16. cap. 4. quæst. 8. num. 88. Alterius lib. 5. disputat. 5. cap. 2. dubit. 8. Qui benè addit ad eundem modum, vice versa, esse dicendum, quando Nauis est fidelium, & merces infidelium. Sic etiam Bonacina quæst. 5. citat. punct. 3. num. 2. & 4. & Duardus hic quæst. 3. & 4. num. 12. & alij.

### QVÆSTIO VII.

*An saltem sint hac Censura ligati, qui rapiunt bona hereticorum naufragantium?*

**A**ffirmant aliqui, quos tacitis nominibus refert Alterius vbi infra. Quia inquit, Canon generaliter loquitur de bonis Christianorum quorumcumque: at sic est, quod hæretici annumerantur inter Christianos, ratione characteris: ergo.

Sed probabilius multò respondeo: non esse. Quia non est mens legislatoris Bullæ protegere bona hæreticorum, cum constet, eos aliàs tanquam ab Ecclesia præcisos execrari potius, ac persequi Censuris. Adde quod in fauorabilibus, nomine Christianorum solum veniunt Catholici, non hæretici, qui propriè non vocantur Christiani, cum nec ratione characteris maneant actu coniuncti cum Ecclesia. Sic Vgolin. cap. 20. cit. §. 2. Viuald. in explanat. Bullæ Cœnæ, casu 4. num. 30. Alterius lib. 5. disputat. 5. cap. 2. dub. 7. & Filliucius tract. 16. cap. 4. quæst. 9. num. 90. Qui idem à fortiori negant esse excommunicatos, rapientes bona Apostolorum naufragantium, id est, illorum Christianorum, qui fidem Christi negantes, facti sunt Sarraceni, vel Mauri. Et merito, cum hi, nec sint propriè, nec soleant vocari Christiani. Sic etiam Bonacina hic disp. 1. q. 5. punct. 3. n. 5. Sayrus lib. 3. cap. 8. n. 7. Reginald. lib. 9. num. 270. & Duard. hic quæst. 3. num. 6.

### QVÆSTIO VIII.

*An saltem incurrant hanc Bullæ Censuram, qui bona latronum maritimarum, & Pyratarum naufragantium rapiunt?*

**A**ffirmat Alterius cap. 2. citat. dub. 6. Quia inquit, licet in Bulla Pij V. fuerit hic casus exceptus, & sic qui accipiebant bona Pyratarum naufragantium non erant excommunicati: Nunc verò, quia in aliis posterioribus Bullis Clementis VIII. & Pauli V. non excipitur, dicendum est, bona Pyratarum comprehendi in hoc Canone, & eos, qui rapiunt illa, incurrere hanc excommunicationem; aliàs exceptio illa non esset sublata. Ita ille, & sanè probabiliter.

Sed non minus respondeo: non incurrere. *Primò*, qui, qui horum bona requirunt non incurrunt excommunicationem latam cap. *Excommunicamus*, de *raptor*. vt docent Hof. Ioan. And. Anan. Angel. Sylu. & alij, quos citat, & sequitur Filliuc. *ubi infra*: at sic est, quod illa excommunicatio est eadem cum ista: ergo. *Secundò*, quia hoc genus personarum æquiparantur hostibus fidei, & sunt publicè diffidati, itaut bona ipsorum ab omnibus surripi possint, ex Baldo, in *Authentica Nauigia. C. de furtis*. Vbi declaratur, non habere locum in surripientibus, bona dictorum Pyratarum naufragantium, pœnam constitutam in surripientibus bona naufragantium. Sic omnino Filliucius *q. 9. cit. n. 91*. vbi id confirmat, ex eo, quod olim id in Bulla Pij V. fuerit expressè declaratum. Ex quibus constat ad fundamentum Alterij. Sic etiam Bonacina *punct. 3. cit. num. 2.* & Duardus *hic quest. 4.*

## QVÆSTIO IX.

*An rapietas bona proiecta è Nauibus ad eas alleuandas, sint hac Censura comprehensi?*

**N**Egant Palao *disput. 3. punct. 5. num. 6.* Vgolinus, Duardus, Reginaldus, & alij apud ipsum.

Sed probabilius respondeo: esse comprehensos. Quia dominium horum bonorum, cum non omnino liberè ea iacent, remanet apud proicientes: ergo surripientes ea bona non excusantur à furto: ergo nec à Censura. Atque ita est cautum iurè Ciuili, *l. 2. §. l. Qui leuanda, ff. ad legem Rhod. de iactu, l. Quaratione, l. Quacunque, ff. de acquir. rer. domin. & alibi*. Sic Filliucius *q. 9. citat. dicto 3. num. 92.* Alterius *lib. 5. disputat. 5. cap. 2. vers. Secunda propositio, post 8. dubitat.* Viualdus *in explicat. huius Canonis, numero 35.* Bonacina *puncto 3. citat. numero 9.* quamuis *tomo 3. disputat. 1. questione 5. puncto 2. num. 6.* oppositum dicat.

## QVÆSTIO X.

*An casu, quo bona eiecta ad alleuandas Naues, sint statim peritura, vt sunt sacharum, farina, papyrus, &c. possit quis, absque incurusione Censuræ, statim ea sibi sumere?*

**R**espondeo posse. Quia talia, eo ipso quod proiciuntur, haberi solent pro derelictis, ex *l. falsus, §. Si iactum, ff. de furt.* Sic Abbas *in cap. Cum dilecti, num. 11.* & Felin. *num. 16. de Accusat.* Alexand. *in l. Qui allenanda, ff. ad leg. Rhod. de iactu. & in leg. Interdum.* Filliucius *loco citato, dicto 4. numero 93.* & alij. Secus dicendum est, si bona eiecta non essent peritura statim, sed possent aliquo modo ad litus trahi, vt sunt res, quæ per aquas possunt natate, vt dolia plena vini, vtres olei, & farina, sacharo, & sale, in vase ligneo conseruata; quia qui hæc, & similia bona sibi usurparet, verè esset excommunicatus, quia verè non haberentur pro derelictis. Sic Filliucius *num. 96.* Alterius *lib. 5. disputat. 5. cap. 2. dub. 2. post 9. dubitationem,* & alij Doctores, nuper citati.

## QVÆSTIO XI.

*An, qui bona naufragantium, quæ diu in littore maris iacuerunt, rapiunt, hanc Bullæ Censuram contrahant?*

**R**espondeo non contrahere eam. Quia rationaliter præsumi potest, quod ea bona habeantur ab eorum dominis pro derelictis; cum taceant, nec per se, nec per alios ea perquirant: at sic est, quod ea, quæ habentur pro derelictis sunt capientis: ergo.

R. P. Leand. de Censuris.

Sic Panormit. & Glossa, quos citat, & sequitur Angel. *verb. Inuenta, & verb. Naufragium.* Syluest. & Armilla *ibid.* Filliucius *loc. cit. dicto 5. num. 94.*

## QVÆSTIO XII.

*An, qui ex Navi in mari, onusta mercibus, mersa, aliquid accipit, sit excommunicatus?*

**A**ffirmat Alterius, esse excommunicatum, nisi casu quo Dominus, machinis adhibitis, & tentatis omnibus, illam derelinquat; nam tunc, inquit, si quis inueniretur, qui arte aliqua aliquid ex navi extraheret cum vitæ suæ periculo, posset illud sibi retinere: secus si accipit sine periculo vitæ, nam tunc debet locare operam suam, & naufraganti subuenire. Ita ille *lib. 5. disputat. 5. cap. 2. dub. 3. post 9. dubitationem,* & antea Vgolinus apud Filliucium *loco citato, num. 93.*

Sed probabilius respondeo dicendum: esse quidem excommunicatum illum, qui ex tali navi, statim ac mersa est in profundum maris, aliquid accipit; quia tunc non est habenda pro derelicta, cum possit dominus eam aliqua extrahere arte. Secus verò, si ex ea aliquid accipiat postquam dominus, tentatis, sed in vanum, omnibus modis, ad extrahendam illam, eam derelinquat, & nil amplius de illa curat. Quia tunc habenda est pro derelicta, & ideo ab excommunicatione excusabitur quisquis ex tali navi aliquid accipiat, vt constat ex habitis *quest. 10. & 11.* Legatur Filliucius *tract. 16. cap. 4. quest. 9. & 10.*

## QVÆSTIO XIII.

*An casu, quo in euidenti periculo naufragij, nauis deseratur ab omnibus, etiam à Domino, & solus Nauta remaneat, & industria conseruet illam, possit, absque incurusione peccati, & Censuræ, sibi nauim acquirere?*

**R**espondeo quod non possit sibi illam acquirere, sed teneatur sub pœna peccati mortalis, & excommunicationis restituere Domino. Quia iste deserendo nauim, & merces, non cedit iuri suo, sed relinquit illas arbitrio fortunæ, & tempestatis, itaut si contingat seruari illas, velit eas recuperare, & ideo non habentur pro derelictis. Sic omnino Alterius *cap. 2. cit. dub. 5. post 9. dubitat.* Addens idem dicendum esse, casu, quo alij Nautæ inueniant illam nauim absque suo Domino.

## QVÆSTIO XIV.

*An, si quis bona naufragantium, iam ex mari extracta, & in terra exposita, atque in domo alicuius conseruata, sibi surriperet, in excommunicationem huius Canonis incideret?*

**A**ffirmatiuam sententiam esse probabilem clarè insinuat Alterius mox citandus, & tenet Suarez *disput. 21. sect. 2. num. 33.*

Sed certè probabilius respondeo: talem raptorem non incidere in dictam excommunicationem. *Primò*, quia in hoc Canone, vt expressè vidimus *questione 1.* solum veniunt bona in nauibus inuenta, & ex ea eiecta, & inuenta in mari, vel littore: at bona in casu nostro posita, nullibi ex dictis locis erant: ergo. *Secundò*, quia in terra facilius possunt bona naufragantium custodiri, & difficilius accipi: ergo non fuit necessarium, vt Bulla per excommunicationem id prohiberet. Sic Alterius *disputatione 5. capite 2. dubio 6. post dubitationem 9.* Filliucius *num. 98.*

num. 98. Bonacina *disputatione 1. questione 5. punct. 1. numero 5. & alij.*

### QVÆSTIO XV.

*An, qui huiusmodi naufragantium bona accipit putans sibi licere, ab excommunicatione hac excusetur?*

**R**espondeo ex sæpè dictis: excusari, quamdiu est in hac probabili ignorantia: Nam hæc, sicuti bona fides, quemadmodum à culpa & peccato excusant: ita ab excommunicatione. Sic Alter. *loc. cit. dub. 7.* Filliuc. *tract. 16. cap. 4. ques. 10. n. 95.* Qui benè addit excusari etiam casu quo raptor inuincibiliter hanc Censuram ignoret. Et antea Angelus *verb. Naufragium, numero 3. in fine.*

### QVÆSTIO XVI.

*An etiam excusetur ab hac excommunicatione, qui bona Naufragantium accipit, ubi id permis- sum est ex consuetudine introducta?*

**A**ffirmatiua pars suaderi potest. Quia (vt refert Couar. *ad regul. peccatum, p. 3. §. 1. n. 5.*) apud Gallos extat consuetudo, vt Dominus Prouinciæ, & Territorij, bona Naufragantium, vti oberrantia, & dominum incertum habentia, occupet, & sibi acquirat, secundum Guillelm. Benedict. *in cap. Raynuinus, verb. Et uxorem nomine Adelasiam, n. 93 5.* Huius opinionis videtur esse Filliucius *n. 95. cit. vbi agens de causis, quæ excusare possunt accipientes bona Naufragantium ab excommunicatione, dicit, primam esse, si verè furtum non committatur, vel quia probabiliter credatur esse licitum, vel permillum vigore alicuius consuetudinis, ex Angelo, & Syluestro verb. Naufragium.* Ita ille. Sed malè omnino.

Vnde tanquam certum respondeo: nullum raptorem bonorum Naufragantium excusari ab excommunicatione vigore alicuius consuetudinis. *Primò*, quia talis consuetudo, si alicubi viget, nec est valida, nec legitima, sed potius iniqua, cum approbet, & faciat licitum furtum, vt inquit Glossa *in cap. Cum dilecti, de Accusat. verb. Dilapidatione.* Nec certè apparet causa, quare talis consuetudo à culpa furti excusare possit. Quid enim obsecro (ait Couar.) Naufragus miser fecit, vt dignus sit amissione rerum, quæ ad ipsum lege naturæ pertinet? Quid itè Principem Christianissimū mouere potest, vt tam impiam, & crudelè consuetudinè probauerit, aut eà à Iudicibus seruari permiserit?

*Secundò*, quia Pontifex expressè in Bulla hac, declarat irritum, & inane quodcunque priuilegium, & consuetudinem in contrarium inductam, his verbis: *Ita vt ob quodcunque priuilegium, consuetudinem aut longissimi, etiam immemorabilis temporis possessionem, seu aliam quemcunque pretextum excusari possint: ergo.* Ideo hanc sententiam tenent in primis Angel. & Syluest. *loc. cit.* pro se à Filliucio, Couarruias *loc. cit.* Nauarr. *in man. cap. 27. num. 60. & 117.* Alterius *lib. 5. disput. 5. cap. 8. in fine.* Lessius *lib. 2. de Iustit. cap. 5. dubio 18. numero 67. & cap. 14. dubio 7. numero 48.* Suarez *disputatione 21. sect. 2. num. 35.*

### QVÆSTIO XVII.

*An saltem excusetur ab excommunicatione, qui bona Naufragantium accipit, animo restituendi ea veris dominis?*

**R**espondeo tanquam certum: excusari. Quia in hoc Canone Bullæ, non excommunicantur sim-

pliciter qui dicta bona accipiunt; sed qui furripiunt, hoc est, animo sibi retinendi accipiunt. Verum est, quod iuxta probabiliorem opinionem si dictus Acceptor, repertis dominis, moram faceret, absque rationabili causa, incideret in excommunicationem, cap. *Excommunicamus, de Raptorib.* Sic omnes. Caiet. *excommunic. cap. 23.* Nauarrus *cap. 27. num. 118.* Alterius *disputat. 5. cit. cap. 1. in fine.* Filliucius *num. 95. cit. vers. Secunda, si caperentur.* Luysius *lib. 3. de Censur. disput. 28. dub. 2.* Suarez *disputat. 21. sect. 2. num. 32.* Alterius *lib. 5. disp. 5. cap. 2. dubit. 2. & 4.* Bonacina *disp. 1. quest. 5. punct. 2. num. 4. & alij.*

### QVÆSTIO XVIII.

*An etiam excusetur ob materia leuitatem?*

**R**espondeo tanquam certum: excusari etiam. Vnde si quis raperet gladiolum; aut quid simile, non incurreret hanc Censuram, nam ad illam incurrendam, requiritur quod furtum sit mortale, vt constat ex dictis supra *tract. 1. de Censur. in communi.* Sic omnes communiter. Filliucius ex Vgolino *loco citato, vers. Quarta, ratione materia.*

### QVÆSTIO XIX.

*An item excusetur ab hac excommunicatione qui bona Naufragantium in flumine, vel lacu, surriperet?*

**R**espondeo item excusari. Quia leges pœnales non sunt extendendæ ultra proprietatem verborum: at in hac Bulla expressè fit sermo de bonis inuentis in mari, aut litore: ergo. Sic Regin. *lib. 2. n. 270.* Duardus *hic quest. 8.* Bonac. *punct. 2. cit. n. 7. & Filliuc. tract. 16. cap. 4. quas. 11. num. 97.* Qui oppositum sentit casu quo naufragium factum esset in ingressu fluminis è mari; quia tunc perinde esset ac in mari, cum fluminis cursus ea bona deferret in mare, & ad litus eius. Sed hæc limitatio non placet Bonacina, quia tunc (inquit) non dicuntur surripi bona naufragantium in mari, aut in litore inuenta.

### QVÆSTIO XX.

*An deinde, ab eadem Censura excusetur, qui accipit in custodiam bona præfata à surripientibus?*

**R**espondeo excusari itidem. Quia hæc actio omifsa est in Bulla à Pontificibus post Gregor. XIII. in cuius Bulla aderat, vt refert Nauarrus *capite 27. numero 60.* Verum est, quod dicti in custodiam accipientes teneantur, si id scienter faciant, reddere ea veris dominis, iuxta *leg. 3. §. Non tamen, ff. de Incend. ruin. & naufr.* Sic Filliucius *loco citato, num. 98.* Alterius *lib. 5. disputatione 5. cap. 3.* Viualdus *in explicat. huius 4. canonis, num. 33.*

### QVÆSTIO XXI.

*An, qui iniuste hæc bona Naufragantium accipit, & etiam iniuste retinet, duas incurrat excommunicationes alteram Bullæ Cœna, & alteram cap. Excommunicamus?*

**A**ffirmat Suarez *disputat. 21. sect. 2. num. 31.* Quia Censura Bullæ & Censura capitis citati, late sunt propter diuerlas causas, & peccata; nam excommunicatio Bullæ fertur propter furtum, seu iniustam acceptionem bonorum Naufragorum: excommuni-

catio

catio verò illius Decretalis fertur propter iniustam retentionem eorundem bonorum: ergo.


Sed probabilius respondeo: Vnam solam incurrere excommunicationem, quia probabilius est, quod vtraque excommunicatio lata sit contra surripientes naufragantium bona; cum hoc tamen discrimine, quod excommunicatio iuris lata est contra surripientes, si fuerint morosi ad restituendum: excommunicatio verò Bullæ statim afficit surripientes nulla expectata mora. Et ideò quando hæc Bullæ excommunicatio concurrit cum excommunicatione iuris de eadem re non multiplicantur censuræ, & ideò non erit necessaria duplex absolutio, sed vna. Sic Alterius lib. 5. disp. 5. cap. 2. dubit. 2.

## QVÆSTIO XXII.

*An hæc Bulla excommunicatio extendatur ad eos, qui fauent, aut adiuuant Raptores bonorum Naufragantium?*

**N**Egat absolutè Luyfius lib. 3. de Censur. disput. 28. dub. 2. in fine, eo quod de his nulla sit mentio in hoc Canone, sicut fit in Canone præcedenti, & aliis: ergo signum manifestum est, mentem Pontificis fuisse non extendere ad prædictos hanc excommunicationem, Negant etiam Vgolinus, & Duard. quos sequitur Palao punct. 5. cit. n. 10.

Sed absolutè loquendo respondeo extendi. Quia, licet expressè, & formaliter, non fiat mentio in dicto Canone, de Fautoribus, seu Adiutoribus Raptorum bonorum Naufragantium; fit tamen mentio illorum implicitè, & virtualiter, vt constat. Nam eo ipso quod Raptores excommunicantur, simul etiam excommunicantur Fautores, & Adiutores eorum, cum verum sit, quod qui fauent, & adiuuant Raptores, ipsi verè & propriè quoque raptores sint: sicuti omnes, qui aliquo ex his modis, ad committendum furtum concurrunt, dicuntur verè fures & tenentur ad pœnam furti. Sic Alterius lib. 5. disp. 5. cap. 3. & in idem sentiunt Suarez disp. 21. sect. 2. n. 33. Filliuc. tr. 16. cap. 4. quæst. 14. n. 101.



## DISPUTATIO V.

*De quinta Excommunicatione Cœnæ, lata contra imponentes iniusta, & iniqua Pedagia, seu Gabellas.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*Contra quas personas hæc excommunicatio feratur?*

**R**ESPONDEO quod contra tria personarum genera, nempe contra imponentes noua pedagia seu gabellas inter ris suis. Secundò contra augentes pedagia. Et tertio contra exigentes prohibita pedagia imponi, & augeri. Sic colligitur clarè ex verbis Bullæ, quæ sunt hæc. *Excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis, noua pedagia, seu gabellas præterquam in casibus à iure, seu speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, aut imponi, seu augeri prohibita exigunt.* Sic Canon Bullæ, apud Vivaldum, Villalob. & alios. Et sic ex illo docent omnes, præcipuè statim citandi.

## QVÆSTIO II.

*Quid prohibere velit Summus Pontifex in hoc Canone, nomine Pedagiorum, seu Gabellarum?*

**R**ESPONDEO voluisse generaliter prohibere omnem impositionem cuiuscunque generis tributorum, & exactionum, quomodocunque vocentur. Quia hæc nomina, Pedagium, videlicet, & Gabella, inter alia, quibus in iure, significantur tributa, quæ à subditis Principi soluuntur ratione Regiæ, vel Imperialis potestatis, præcipua sunt, & magis vsitata, & comprehendunt omnes tributorum species, quorum nomina sunt Guidagium, Vestigal, Teloneum, Duana, Datium, Salinarium, Portorium, Tallia, Collecta, Pensio, Censuræ, Decima, Munus, Angaria, & Perangaria, de quibus omnibus agit Alterius lib. 5. disp. 6. cap. 1. & alij citandi. Sic ipse. Et Filliucius tract. 16. cap. 5. Luyfius lib. 3. disp. 28. dub. 3. Toletus lib. 1. cap. 21. num. 4. Vivaldus in explicatione huius quinti Canonis, quæst. 2. n. 37. Nauarrus cap. 27. n. 61.

## QVÆSTIO III.

*Quæ genera personarum habeant, iure ordinario, potestatem imponendi Pedagia, & Gabellas?*

**R**ESPONDEO quod omnes illi, qui non habent Superiorem in temporalibus, & qui ex privilegio, aut consuetudine immemoriali id habent. Vnde Pontifex, Concilium generale, Imperator, Rex, non solum Romanorum, vt existimarunt Hostiens. Angel. & Syluester, apud Alterium *ubi infra*, sed quicumque, & etiam Princeps supremus, habent potestatem imponendi Pedagia, & Gabellas: Necnon & alij, qui ius eas imponendi acquisierunt consuetudine legitime præscripta tempore immemorabili, hoc est, cuius initij non extet memoria. Exceptis ergo his personis, omnes alij, qui imponunt gabellas, vel augent antiquas, innodantur excommunicatione huius Canonis. Sic communiter omnes. Legantur Suarez disput. 21. de Censur. num. 37. Alterius lib. 5. disp. 6. cap. 2. Nauarrus cap. 27. num. 61. & 202. Syluester verb. Vestigal. Vivaldus loc. cit. quæst. 1. num. 36. Sà in excomm. Bullæ, num. 9. & alij Summistæ verb. Gabella, Pedagium, & Vestigal. Dicastillo tom. 2. de iustit. lib. 2. tract. 20. disp. 1. dub. 1. & alij plures penes ipsum.

## QVÆSTIO IV.

*An præfati Principes, qui iure ordinario habent potestatem imponendi gabellas, incurrant hanc censuram, quando iniusta tributa imponunt?*

**N**Egat Nauarrus cap. 27. num. 61. vers. Tertia, docens in hoc Canone, non comprehendi Principes supremos, qui non agnoscunt in temporalibus superiorem; sed solos illos, qui superiorem in temporalibus recognoscunt, ad quem ab eis appellari potest. Negant item Syluester verb. Gabella 3. §. 7. quem citat, & sequitur Toletus lib. 1. cap. 21. num. 6. Quia, inquit, in hoc Canone, non iniusta pedagia, sed noua imponentes excommunicantur. Filliucius tract. 16. cap. 5. quæst. 2. dicto 2. n. 105. Sayrus cap. 9. n. 7. Reginald. lib. 9. n. 274. & alij.

Sed nunc iam probabilius respondeo incurrere dictam excommunicationem Principes etiam supremos, si in casibus sibi à iure non permissis gabellas imponunt. Ratio est, quia, licet iuxta tenorem

Bullæ Gregorij XIII. (quam declarauit Nauarrus) eius opinio esset satis probabilis, eo quod solum excommunicabat eos, qui tributa imponebant, non habendo ad id potestatem aliquam: Attamen iuxta tenorem Bullæ Sixti V. & Clementis VIII. contraria opinio non videtur probabilis, cum non excommunicentur in ea qui potestatem non habent; sed illi, qui in casibus sibi non permissis gabellas imponunt: ergo etiam si aliàs habeant potestatem ad imponenda tributa, si ea vtuntur in casibus è iure non permissis, contra hanc prohibitionem agunt, & consequenter hanc excommunicationem contrahunt. Sic Suarez *disp. 21. sect. 2. num. 38. Alterius lib. 5. disp. 6. cap. 3.* & anteà Angel. *verb. Pedagogium, §. 5. & excommunicatio 5. casu 19. Tabiena eod. verb. Pedagogium, §. 6. D. Anton. 2. part. tom. 1. cap. 13. §. 7. Duard. in exposit huius Can. lib. 2. q. 6. Bonacina disp. 1. de Censur. Bullæ, q. 6. punct. 3. n. 6. Palao disp. 3. de Censur. punct. 6. n. 7. & alij.*

#### QVÆSTIO V.

*An casu, quo Rex imponat tributum suis subditis ex causa iusta; sed tamen quoad personas, generalius illud imponat, quàm iuste possit, comprehendendo Clericos, vel alias personas exemptas, in hanc Bullæ censuram incidat?*

**A**ffirmant apud Alterium, Angelus, & Tabiena *locis citatis* nuper, eo quod sentiant, per hunc quintum Canonem esse excommunicatos imponentes Gabellas quouis modo iniustas. Affirmat etiam Palao *disp. 3. punct. 6. num. 8.* qui citat Toletum *lib. 1. cap. 22. num. 12.* Duardum, & Bonacinam. Sed ex his malè citat Toletum, nam *c. 22. cit. nec habet numerum 22.* nec aliquid pro hac parte affirmat, imò benè oppositum, *vbi infra.*

Vnde probabilius respondeo non incidere in excommunicationem huius Canonis (licet benè in aliam contentam infra Canone 18. attinentem ad libertatem Ecclesiasticam, vbi id explicabimus. Ratio est, quia in dicto casu; propriè dici non potest, quod Rex imponat, in terra sua, tributum in casu sibi à iure non permissio (quod solum damnatur in hoc Canone) sed modo sibi non permissio, hoc est, circa personas non permissas, quas Rex grauate non potest, quæ circumstantiæ non puniuntur per hunc Canonem, vt ex verbis dictis patet. Sic Suarez *sect. 2. cit. num. 40.* ex Nauarro *loc. cit.* Alterius *lib. 5. disput. 6. cap. 4. dub. 4. & 5.* ex Syluestro *verb. Gabella 1. §. 7.* Toletus *lib. 1. cap. 21. n. 5.* Villalobos *tract. 17. diff. 10. n. 18.*

#### QVÆSTIO VI.

*An qui absque auctoritate imponendi tributa, augent vetera, sint per hunc Canonem excommunicati?*

**N**egant Rosella *verb. excommunicatio 44. §. 5.* & Armilla *verb. Gabella, §. 8.* vbi sic ait: Imponentes noua pedagia, vel augentes aliqua sine legitima auctoritate, mortaliter peccant peccato rapinæ, & sunt excommunicati quoad noua imponentes, non autem quoad augentes. Ita ille. Ratio est, quia hi non imponunt noua, quod Canon requirit.

Sed, vt iam certum, respondeo iam esse excommunicatos, quia in Bullis post Sixtum V. non solum excommunicantur qui imponunt noua tributa, sed etiam qui illa augent, vt constat ex contextu Canonis relati *quæst. 1.* Sic Syluester *excommunicatio 7. §. 54.* & Tabiena *verb. Pedagogium, §. 5.* quos citat & sequitur Toletus *lib. 1. cap. 21. num. 8.* vbi huic quæstioni respondens, sic ait: Hoc tamen dubium habebat in Bullis

ante Pium V. iam verò non est dubitandi ratio: nam à tempore Pij, additum est illud, *imposita augent*, quod adiectum fuit ad tollendas dubitationes, & opinioniones: at quamuis adiectum non esset, verè erat etiam prohibitum: nam ex alteratione, & augmento, resultat nouum tributum, & noua impositio. Sic Toletus *ibi, & lib. 5. cap. 73. aliàs 74. num. 2.* & ante illam Nauarr. *cap. 27. n. 61. declarat. 1.* Suarez *disp. 21. sect. 2. num. 43.* Palao *de Censur. disp. 3. punct. 6. num. 5.* & communis.

#### QVÆSTIO VII.

*An non solum imponentes Gabellas seu tributa, hæc lege prohibita; sed etiam exigentes illa, sint hoc Canone excommunicati?*

**R**espondeo tanquam certum: Vtròsque esse excommunicatos, quia id patet ex verbis Bullæ; *imponunt, vel augent; aut imponi, vel augeri prohibita exigunt.* Sic omnes. Nauarrus *cap. 27. num. 61.* Vbi per exigentes tributa, seu gabellas, intelligit has personas, nempe Hæredem Imponentis, Publicanum, Conductorem, Atrendatorémve, & famulum recipientem dictas gabellas prohibitas. Sic etiam Suarez *sect. 2. cit. n. 44.* Alterius *lib. 5. disp. 6. cap. 4. dub. 6.* Toletus *loc. cit. n. 9.* Filliucius *tract. 16. cap. 5. quæst. 5. n. 112.* Palao *punct. 6. cit. n. 9.*

#### QVÆSTIO VIII.

*An per hunc Canonem Bullæ, simpliciter excommunicentur omnes exigentes Gabellas, quomodocumque iniuste impositas, & auctas, extra casus sibi à iure permissos: an verò solum illi qui exigunt gabellas iniustas defectu potestatis illas indicentis?*

**A**ffirmant solum hos vltimos esse excommunicatos per hunc Canonem, Authores citati pro prima sententia *quæst. 4.* Inter quos expressius Toletus *lib. 1. cap. 21. num. 9.* per hæc verba: Aliud dubium est, qui sunt isti exactores, qui excommunicantur? Dico esse ministros, & officiales, qui talia pedagia prohibita, id est, absque auctoritate imposita exigunt, qui sunt etiam excommunicati. Vnde illud verbum, *prohibita*, refertur ad pedagia absque auctoritate imposita, vel aucta. Ita Toletus.

Sed probabilius respondeo dicendum: quod, quamuis, iuxta tenorem Bullarum ante Sixtum V. sit verum, solos esse censendos excommunicatos per hunc Canonem, illos qui exigebant gabellas iniustas ex defectu potestatis ipsius Imponentis, vt diximus loquendo de ipso imponente *quæst. 4.* At verò modo post Sixtum V. aliter asserendum est: quia ex tenore Canonis huius temporis, simpliciter excommunicantur omnes imponentes, vel augentes noua tributa in casibus simpliciter sibi à iure non permissis, siue habeant potestatem imponendi tributa, siue illa careant; ex quo clarè deducitur, idem esse dicendum de ipsis exigentibus, aut exactoribus, nempe excommunicari omnes exigentes nouas gabellas, vel antiquas auctas, in casibus in quibus licitum non erat illas imponere, aut augere, siue imponens habuerit potestatem legitimam ad illas imponendas, siue non. Sic omnino Alterius *lib. 5. disp. 6. cap. 4. dub. 5.* qui tamen malè citat

Toletum pro hac parte *lib. 5. cap. 73. vers. 2.* cum ibi non de hac quæstione, sed de sexta

à nobis supra habita, loquatur.

Suarez *disp. 21. sect. 2.*

*num. 44.*

## QVÆSTIO IX.

*An qui plures gabellas exigunt, quàm ab impo-  
nente sunt impositæ, incidant in hanc  
censuram?*

**N**egatiuam sententiam esse probabilem, ait Filliuc. tract. 16. cap. 5. quæst. 5. dicto 2. n. 113. Quia, inquit, non videtur certum contrarium, propterea quod tantum videntur comprehendi in hoc Canone, qui exigunt tributa imposita, vel aucta, publica auctoritate, absque licentia superiorum, vt docuit Rebuff. hoc loco. & postea Palao n. 9. cit. & Bonac. tom. 3. de Censur. disp. 1. quæst. 6. punct. 3. num. 14.

Sed probabilius respondeo incidere, quia re vera prædicti, de facto exigunt gabellas non impositas, vel nondum auctas, & etiam prohibitas imponi de nouo, vel augeri, quod est expressè contra dispositum in hoc Canone; in quo absolutè, & sine distinctione excommunicantur omnes, qui exigunt gabellas non impositas, aut prohibitas, &c. Sic sentit Glossa in l. fin. ff. ad leg. Iuliam, de vi publ. quæ, legem punientem eos, qui noua vectigalia instituunt, interpretatur etiam de iis, qui plus exigunt. Et hanc sententiam, vt probabilem tenet Filliucius loc. cit.

## QVÆSTIO X.

*An accipientes gabellas supra damnatas ab spontè  
dantibus, hanc excommunicationem  
incurrant?*

**N**egant communiter Doctores, quia solùm prohibentur exigentes, hi autem sunt, vel qui extorquent ab inuitis, vel petunt eas tanquam rem debitam, & adsunt in locis, vbi exiguntur, & idè reputantur à prætereuntibus exactores: ergo non comprehenduntur in hoc Canone, qui gabellas prædictas ab spontè dantibus illas accipiunt. Ita sentiunt communiter DD. in Clement. Quoniam, de immunit. Eccles. Angel. excommunic. 5. num. 19. Syluester excommunic. 7. §. 4. Caietan. cap. 71. Nauarr. cap. 27. num. 61. vbi addit, inuitum etiam vocari, & nolentem soluere, qui soluit, rogatus soluere, tanquam debitum. Toletus lib. 1. cap. 21. n. 9. in fine.

Sed certè communiter loquendo, respondeo tales esse excommunicatos, quia secundum prædictos Doctores, extorquens ab inuito dictas prohibitas gabellas, incurrit hanc censuram, etiam casu, quo alter rogatus soluat gabellam tanquam debitam: at sic est quod nemo communiter loquendo, se spontè obligat, aut offert ad soluendam non debitam gabellam, nisi saltem rogatus, vt soluat: ergo omnis exigens illas, aut accipiens ab spontè præfato modo dantibus, excommunicationem incurret, quia in re ab inuitis eos extorquet. Sic Alterius lib. 5. disp. 6. cap. 4. dub. 6. Palao disp. 3. punct. 6. sine, Suarez disp. 21. sect. 2. num. 43. & alij. Imo credo sic sentire Authores citatos pro sententia opposita, & non aliud, si rectè intelligantur.

## QVÆSTIO XI.

*An non solum Principes supremi; verùm etiam ci-  
uitates, aut communitates imponentes noua  
pedagia in casibus sibi à iure non permissis, ex-  
communicentur per hunc Canonem?*

**N**egandum videtur, quia communitas excommunicari non potest, ex cap. Romana, de sententia

excommunicationis in 6. & constat ex dictis supr. tract. 1. de Censur.

Sed vt certum respondeo etiam excommunicari per hunc Canonem, communitates, quæ absque auctoritate gabellas imponunt, &c. Quia textus Bullæ expressè ait: *Omnis, qui in terris suis, &c. absque distinctione vlla: at sic est, quod dictio omnis, est vniuersalis, neminem excludens: ergo.*

Nec obstat argumentum factum, quia respondetur, quod in hoc Canone, non excommunicatur tota communitas collectiue, sed vnusquisque seorsum, qui huius criminis est reus. Vnde illi, qui consensum non præstiterunt, non erunt excommunicati. Sic omnino Alterius lib. 5. disp. 6. cap. 4. dub. 3.

## QVÆSTIO XII.


*An ciuitas, aut communitas, qua recognoscit su-  
periore temporalem, possit absque incurfione  
huius censuræ, imponere collectam pro necessi-  
tatibus occurrentibus eiusdem ciuitatis, aut  
communitatis?*

**N**egatiuam sententiam esse probabilem, clarè insinuat Filliucius tract. 16. cap. 5. quæst. 3. dicto 2. num. 107. cum solùm dicat, probabile esse, non incurrere.

Sed certè, non solùm probabiliter, sed ferè certum, respondeo posse dictam ciuitatem, aut communitatem imponere, absque incurfione censuræ, collectam ad subueniendum necessitati publicæ occurrenti. Primò, quia huiusmodi collectæ, aut taxæ, non sunt propriè tributa, & gabellæ, quæ ab omnibus Principi tribuantur, sed sunt portiones quædam, quæ pro rata à singulis ipsius ciuitatis conferuntur in vnum, ad occurrendum necessitati, & communi indigentia ciuitatis; quod constat, quia vt benè Caietanus, collectæ tantum imponuntur ciuibus; gabella verò, seu vectigal, etiam peregrinis, & exteris: ergo, &c.

Secundò, quia ciuitates de iure communi habent, quod possint imponere collectas, occurrente publica vtilitate, & necessitate, absque auctoritate superioris: vt praxis ipsa etiam docet, cum Glossa in Authent. Qui mo. nat. eff. sui, §. Si quis secundo, & in l. 1. §. fin. ff. quod cuiusque vniuers. nomin. verb. Proconsul. Bartol. in l. 1. C. de muliere, & in l. 4. §. Actor. ff. de re indicata, & ibi Ioan. Imol. Bertach. tract. de gabell. part. 1. num. 20. Abbas, & Luc. de Pen. quos citat, & sequitur Filliucius locis citatis, Alterius etiam lib. 5. disput. 6. cap. 1. in fine, & cap. 4. dub. 3. in fine. Valquez opuscul. de restitut. cap. 6. §. 1. dub. 1. num. 4. Dicastillo lib. 2. de iustitia, tract. 20. disput. 1. dub. 2. num. 20. & 21. Qui aduertunt, quod vt ciuitates possint imponere tales collectas, pro necessitate & bono publico, debeant seruare consuetudinem congregandi populum generalibus Comitibus, Hispanè, *consejo abierto*; nisi aliàs consuetudo obtinuerit, vt fiat à primatibus, seu Regentibus ciuitatem; aut hi, potestatem hanc, ab ipsa ciuitate, & generali illius conuentu iam habuerit. Legantur prædicti Doctores, qui tandem aduertunt quod in imponendis huiusmodi Collectis, seruare debeant easdem condiciones quas obseruant, qui potestatem imponendi gabellas habent.





## DISPUTATIO VI.

De sexta Excommunicatione Cœna,  
lata contra Falsarios literarum  
Apostolicarum.

## QVÆSTIO PRIMA.

Contra quot genera personarum hæc excommuni-  
catio feratur?

**R**ESPONDEO quod contra quatuor. *Primo.* Contra falsificantes literas Apostolicas, etiam in forma Breuis. *Secundo.* Contra falsificantes supplicationes signatas per Papam, aut per Vice-Cancellarium, aut per alios vices eorum gerentes; aut etiam signatas de mandato Papæ, concernentes gratiam vel iustitiam. *Tertio.* Contra falsò signantes huiusmodi supplicationes sub nomine Papæ, vel Vice-Cancellarij, vel alterius gerentis eorum vices. Et tandem *quarto.* Contra falsò fabricantes literas Apostolicas, etiam in forma Breuis.

Sic colligunt omnes DD. ex verbis textus, quæ sunt hæc. *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarium, seu gerentis vices eorum; aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum: Necnon falsò fabricantes literas Apostolicas, etiam in forma Breuis: & etiam falsò signantes supplicationes huiusmodi, sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarij, aut gerentium vices prædictorum.* Hæc Canon Bullæ.

## QVÆSTIO II.

An falsans literas Nuntij Apostolici, aut Legati  
à latere, aut Summi Penitentiarij, aut  
Episcopi, incurrat hanc Canonis  
excommunicationem?

**R**ESPONDEO tanquam certum: Non incurrere, quia per hunc Canonem solum excommunicantur falsificantes literas Pontificias, & Apostolicas: at sic est quod literæ Nuntij, Legati, & aliorum, non sunt literæ Papæ, aut Apostolica: ergo illas falsificantes non erunt hac lege excommunicati. Minor constat, quia literæ Nuntij, Legati, aut Episcopi, &c. non expediuntur nomine Papæ, sed prædictorum: ergo non sunt literæ Apostolica; nam hæc, solum dicuntur illæ, quæ nomine Romani Pontificis, seu Sedis Apostolicæ, in Curia Romana, & Cancellaria expediuntur; quales sunt Bullæ, in quibus est plumbum pendens; & Breuia Apostolica, signata cum sigillo cereo per annulum Piscatoris. Sic docent omnes. Paludan. in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 2. Nauarrus cap. 27. num. 62. in tertia declarat. huius Canonis. Rebuffus, Abbas, Bernardus Diaz, & Felinus, quos citat, & sequitur Alterius lib. 5. disp. 7. cap. 1. vers. Hinc sequitur. Toletus lib. 1. cap. 22. num. 2. Suarez disp. 21. sect. 2. num. 49. Filiucius tract. 16. cap. 8. quæst. 1. num. 184. Viualdus in explicat. huius Canonis, num. 71. vers. Nota septimo. Luysius lib. 3. de Censuris, disputat. 28. dub. 3.

Palao disp. 3. punct. 7. n. 6.

& omnes.

\*\*\*

## QVÆSTIO III.

An falsantes supplicationes à Papa signatas hæc  
excommunicatione comprehendantur?

**N**Egat Nauarrus cap. 27. num. 62. in declarat. prima huius Canonis, quem citat & sequitur Viualdus in hoc eodem Canone num. 49. Quia, inquit, tales supplicationes, aut signaturæ, non veniunt, in materia odiosa, appellatione literarum Apostolicarum: ergo illarum falsificantes non incidunt in hanc Bullæ excommunicationem, licet benè in excommunicationem latam in cap. Ad falsariorum, de crim. falsi, non reseruatam Papæ.

Sed, vt certum sîam, respondeo etiam incidere in hanc Bullæ excommunicationem. *Primo:* quia non desunt, qui affirmant, huiusmodi supplicationes, esse literas Apostolicas, & secundum eommunem vsûm Curia, ita appellari. Ita Luysius ubi infra: ergo.

*Secundo,* quia licet verius sit, quod supplicationes propriè, non possint dici literæ Apostolicæ, cum ab illis plurimum differant. Nam supplicatio, seu signatura, est scriptura in papyro conscripta à Papa, absque sigillo, quæ quidem continet partis supplicationem, & Papæ concessionem per verbum: *fiat, vt petitur.* Literæ verò Apostolicæ, quales sunt Bullæ, & Breuia, scribuntur in membrana, & pergameno. Quod si aliquando Breue describatur in papyro, semper tamen decoratur sigillo cereo (quod annulum Piscatoris vocant) at verò supplicatio semper caret sigillo, & subscribitur à Papa, vel ab eius Delegato, seu Vice-Cancellario nomine, & mandato ipsius Papæ. Quamuis, inquam, sit verius, quod supplicationes, ob hanc rationem, non possint dici propriè literæ Apostolicæ, vt benè Nauarrus; nihilominus tamen asserendum est illas falsificantes incurrere etiam hanc Bullæ excommunicationem; quia Pontifex, non solum excommunicationem fulminat, contra falsantes literas Apostolicas; sed etiam contra falsantes supplicationes, vt ex contextu Canonis constat: ergo. Sic Alterius lib. 5. disp. 7. cap. 1. Luysius lib. 3. disp. 28. dub. 3. Filiucius num. 184. citato in fine. Machado lib. 1. part. 3. tract. 6. docum. 11. num. 2. Bonacina in Bull. Cœna, disp. 1. quæst. 7. punct. 1. n. 1. Palao disp. 3. punct. 7. n. 6. qui tamen confuse citat aliquos Authores.

## QVÆSTIO IV.

Quis dicatur falsare literas Apostolicas, ad in-  
currendam excommunicationem  
huius Canonis?

**R**ESPONDEO quod ille, qui veras literas Summi Pontificis, siue sint Bullæ, siue Breuia, ab earum, sicut emanatæ sunt, sincera veritate, mutat, & variat ab eo sensu quem habebant; necnon qui vero sigillo, seu signo literarum Apostolicarum, ad falsas literas consignandas vtitur, vt colligitur ex cap. licet, de crimine falsi. Sic Suarez disput. 21. sect. 2. in explicat. huius Canon. num. 45. Alterius, & Luysius loc. cit. Bonacina loc. cit. num. 3. Villalob. tract. 17. diff. 20. num. 22. Machado docum. 11. cit. num. 4. vbi notat, Quæ por quatro modos se pueden falsear dichas letras. El primero, anadiendo en el escreuir, ò sobre escriuir las dichas letras Apostolicas. El segundo, rayendole algunas. El terzero poniendo sello verdadero à falsas letras. Y el quarto, signandolas con sello falso.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO V.

*An qui corrigeret unam dumtaxat literam, vel punctum, in literis Apostolicis, ex quorum correctione immutaretur sensus à Pontifice intentus, censuram hanc contraheret?*

**R**espondeo tanquam certum: Affirmatiuè, quia per hunc Canonem excommunicantur omnes falsarij literarum Apostolicarum: at ille, qui corrigendo, aut mutando etiam vnicam literam, aut apicem, facit vt sensum alium habeant, quam antea habebant, verè est falsarius: ergo verè remanet excommunicatus. Patet, quia talis mutatio, cum sit substantialis, semper est peccatum mortale sufficiens ad hanc excommunicationem contrahendam. Nec enim grauitas illius in atramento, & literis consistit, sed sensu. Sic omnes. Suarez *disp. 21. sect. 1. num. 46.* Alterius *lib. 5. disp. 7. cap. 2. vers. Prima propositio*, ex Abbate *in cap. Ex parte, de fide instrum. n. 1.* Filliuc. *tract. 16. cap. 8. quæst. 3.* & omnes præsertim mox citandi.

## QVÆSTIO VI.

*An item contraheret hanc excommunicationem, qui mutaret, aut corrigeret unam literam, aut punctum, etiam casu, quo ex tali mutatione, aut correctione, non mutaretur sensus, quem Pontifex in Bulla, aut Breui intendit?*

**A**ffirmant quamplures Doctores, contrahere hanc excommunicationem illum etiam, qui mutat vnam literam, vel punctum in literis Apostolicis, vel ad corrigendum errorem commissum vitio scriptoris contra regulas linguæ Latinæ, vel bonæ orthographiæ, vel quacunque alia intentione, sine vlla sensus mutatione, quem tenent verba literarum iuxta mentem Summi Pontificis. Quia (inquiunt) ille, qui in huiusmodi literis, postquam eas recepit ab officiali, mutat aliquid, etiam minimum, verè falsat illas: ergo verè est excommunicatus. Antecedens colligitur non obscurè ex *cap. licet, de crim. falsi.* Vbi imponuntur nouem modi falsandi literas Papales, ex quibus quintus est; *Cum literis bullatis, ac redditis in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur.* Vbi Glossa *verb. Tenuem*, notat, nulla adhibita distinctione asserendum esse radentem, vel immutantem rescriptum Papæ, falsarium esse, & excommunicatum. Ideoque hanc partem tenent Hostiens. *in summa, de crim. falsi, §. Porro.* S. Anton. *3. part. tit. 24. cap. 16.* Felinus *cap. Ex parte, §. Stilus, num. 20. de rescript.* Abbas ex Hostiens. *in cap. Ex literis, num. 3. de fide instrum.* Alexand. *consil. 34. lib. 1.* Caiet. *verb. Excommunicatio, cap. 27. in fine.* Syluester *excommun. 7. §. 8. vers. Corrigenes.* Rebuffus *in explicat. huius Canon.* quos, & alios citat, & sequitur Alterius *lib. 5. disp. 7. cap. 2.*

Sed probabilius respondeo: In dicto casu non contrahere hanc Bullæ excommunicationem, quia probabilius est, in eo, non inueniri peccatum mortale commissum à corrigente; cum mutatio facta ab illo, non sit substantialis, sed accidentalis: ergo non est sufficiens, vt talis Corrector incurrat hanc censuram; cum nulla incuratur nisi ob mortale, vt supra est habitum. Sic oprimè Suarez *disp. 21. sect. 2. num. 46.* per hæc verba: Quando sensus non variatur contra mentem Pontificis, dupliciter id potest accidere: *Primo*, vt mens Pontificis, etiam vt expressa in talibus literis non varietur, sed solum materialis, seu grammaticalis error corrigatur: & tunc non censeo esse peccatum mortale, nec incurri censuram: imò vix cernitur ibi aliqua culpa: quia si naturam rei inspiciamus, ibi nihil contra iustitiam, charitatem, aut

aliam virtutem, aut reuerentiam Pontifici debitam fit: imò videretur prospici honoris, seu decentiæ literarum eius. Si verò consideramus ius posituum, illud prohibet, & damnat falsificationem: hæc autem reuera non est falsificatio. Quod si dicatur prohibere mutationem, rectè id interpretamur de mutatione formali, & quoad sensum non de materiali, præsertim, quæ in melius fit. Hucusque Suarez. Ex quo constat ad fundamentum contrariorum. Sic etiam Nauarrus *cap. 27. num. 62.* Angelus *excommunicatio 5. casu 3. num. 3.* Graffius *1. part. decis. lib. 4. cap. 18. v. 78.* Tolerus *lib. 1. cap. 22. num. 7.* Filliucius *quæst. 3. cit. n. 190.* Duardus *hinc quæst. 7.* Reginaldus *num. 288.* Vgolinus *hinc §. 2.* Sayrus *num. 11.* Gambarupta *cap. 7.* quos omnes citat, & sequitur Bonacina *in explicat. Bullæ Cænæ, disp. 1. quæst. 7. punct. 2. num. 4.* Vbi malè citat etiam pro hac parte Alterium, loco supra à nobis pro contraria adductus. His addi adhuc possunt Viualdus *hinc, casu 6. num. 53.* & penes illum, Gerson. Luylius *lib. 3. de Censur. disp. 28. dub. 3.* Villalob. *tract. 17. diff. 20. num. 22.* Sà *in excommun. Bullæ Cænæ, num. 11.* & Palao *disp. 3. punct. 7. num. 3.*

## QVÆSTIO VII.

*An saltem hanc excommunicationem incurreret, qui in Bullis Apostolicis plures literas mutaret, etiam si non mutaret sensum?*

**A**ffirmant, & à fortiori Auctores primæ sententiæ, & nonnulli alij.

Sed probabilius adhuc respondeo: Nec istum incurrere, quia mutatio quorumcumque verborum, non est mortalis, dummodo per illam non mutetur sensus Pontificis. Nam (vt bene Bonacina *loc. cit. n. 3.*) ad cognoscendam in hac re materiæ grauitatem sufficientem ad censuram, non est attendenda verborum quantitas, quæ additur, vel detrahitur, sed significationem: quia fieri potest, vt additione vnus verbi, vel puncti, vel apicis, mutetur sensus à Papa intentus, aliquando verò non mutetur mutatione nonnullarum literarum, iuxta *cap. Ex conscientia, de crim. falsi.* Sic Bonacina. Et etiam Luylius *dub. 3. cit. vers. Item sciendum est.* Palao *loc. cit.* & alij.

## QVÆSTIO VIII.

*An dictam excommunicationem incurrat, qui extendit tempus in literis Apostolicis expressum?*

**R**espondeo tanquam certum: Incurrere. Vnde, qui literas Summi Pontificis concessas ad triennium, in quinquennium mutauit, verè in hanc excommunicationem incidit, quia verè eas falsificauit. Sic Bonac. *disp. 1. cit. quæst. 7. punct. 1. num. 6.*

## QVÆSTIO IX.

*An qui corrigit literas Apostolicas, iuxta Pontificis mentem; hac censura ligetur, v. g. Papa concessit dispensationem in tertio gradu consanguinitatis, & vitio scriptoris, positum est, affinitatis; an si hunc errorem corrigat impetrans, hanc excommunicationem incurrat?*

**A**ffirmant Alterius *lib. 5. disp. 7. cap. 2. vers. Ex dictis sequitur*, & Suarez *disp. 21. sect. 2. vers. Alio modo, n. 47.* Quia (inquit) licet voluntas Pontificis fuerit talem gratiam concedere; non est tamen voluntas eius, vt literæ, quæ eius testimonium continent per alios, quam per ministros suos ad id deputatos, corrigantur. Sed

Sed probabilius respondeo non ligari hac Canonis censura corrigentem literas in eo casu, quia tunc corrigens literas non potest propriè dici illas falsificare, cum potius falsitatem tollat, apponendo veritatem contentam in supplicatione, vt supponimus, à Papa signata: ergo nec potest dici, quod ligetur censura, contra falsarios lata.

Verum est, quod cauendum sit, vt hæc correctio non fiat propria auctoritate, sed per Officiales ad hoc in Curia deputatos, nisi fortè difficilis ad ipsos aditus esset. Quamuis, certum sit, quod si, etiam propria autoritate fiat, literæ erunt validæ quantum ad effectum, vt docet etiam Suarez, siquidem reuera continent voluntatem concedentis; nec corrigens sic contrahet dictam censuram. Sic docent Duard. Sayrus, Reginaldus, Vgolinus, & Gambarupta *quæst. 6. cit.* & Bonacina *punct. 2. cit. num. 7.* quibus addo Filliucium *tract. 16. cap. 8. quæst. 3. num. 190.* sic dicentem: Corrigentes, quod malè & vitiosè scriptum esset, vel non secundum supplicationem signatam, non incurrerent, vt docet Rebuffus *hoc loco*, & Graffius, aliique Recentiores. Sic ille. Et etiam Palao *punct. 7. cit. n. 5.*

#### QVÆSTIO X.

*An falsificans literas Pontificis, quæ iam euanuerunt, ac expirarunt, incurrat hanc excommunicationem?*

**R**espondeo non incurrere, nisi aliàs per dictam falsificationem, reddat literas vtilis, & intendat abuti illis. Sic ex Nauarro, Vualdo, Vgolino, Reginaldo, & Duardo docet Bonacina *hic disp. 1. quæst. 7. punct. 3. num. 2.* his verbis: Tertio limitatur, modo non falsificentur literæ, quæ iam euanuerint; perinde enim est, ac si literæ amplius non sint, cum iam euanuerint. Hoc tamen sublimita, modò non ita falsificentur, vt in futurum vtilis reddantur; tunc enim mutatur sensus à Papa intentus, & consequenter est vera literarum Apostolicarum falsificatio; vt si Sum. Pontifex priuilegium ad quinquennium concessit, & impetrans eo elapso, quinquennium mutauit, in septennium, decennium, &c. Sic ille. Et antea Ricard. *in 4. dist. 18. art. 12. q. 4.* D. Anton. *3. p. tit. 24. cap. 16.* Felinus, & Syluester, quos citat, ac sequitur Alterius *lib. 5. disp. 7. cap. 4. dubit. 1.*

#### QVÆSTIO XI.

*An saltem hanc excommunicationem incurrat, qui falsificat literas, quibus nemo vnquam vtetur?*

**N**egat adhuc Reginaldus *lib. 9. cap. 17. num. 288. versu.* *Extenditur quoque*, ibi: Attamen si id ita fieret, vt nemo vnquam eiusmodi literis vteretur, locus esse posset exculpationi ab hac excommunicatione. Ita ille.

Sed probabilius respondeo incurrere in hoc casu, quia in eo, verè datur falsificatio literarum Apostolicarum, & per accidens est, quod nemo illis vtatur. Sic Bonacina *num. 2. citato.*

#### QVÆSTIO XII.

*An comburens, aut dilacerans literas Apostolicas, incurrat etiam hanc excommunicationem?*

**R**espondeo non incurrere, quia unicuique licet iuri suo renunciare: ergo licebit impetranti literas, sine vlla culpa, & censura illas comburere, aut dilacerare in totum, si eis vti nolit. Sic Abbas *in c. Ex*

*literis, de fide instrum. n. 3.* Alterius *c. 4. cit. dub. 2.* Filliuc. *tract. 16. cap. 8. quæst. 3. dicto 3. n. 190.* Qui benè addunt, idem esse dicendum, casu, quo tales literæ fauorem alterius continerent; quia quamuis malè faceret, si absque Domini licentia illas dilaceraret, aut combureret; tamen non esset propterea falsarius, & ideo non incurreret hanc pœnam, quidquid sit de aliis.

#### QVÆSTIO XIII.

*An saltem hanc censuram incurreret, qui antequam has literas Apostolicas combureret, aut dilaceraret, eas, mutando sensum, corrigeret?*

**N**egat absolute Syluester *verb. excommun. 7. §. 8. in fine.* Quia non censetur literas Apostolicas corrigere, aut falsare, qui statim post correctionem illas dilacerat, aut comburit. Negant etiam Alterius, & Duardus *ubi infra*, non absolute, sed cum distinctione: Aiunt enim: quod vel ille, qui apposuit manum in literis, eas corrigendo, habebat propositum illis vtendi, sed postea pœnitens illas deleuit, & dilacerauit, & in hoc casu affirmant, in censuram huius Canonis incidisse; quia deliberatè in huiusmodi Canonem prohibentem mutationem dictam deliquit. Aut non habebat propositum illis vtendi, sed à principio statuit illas destruere & dilacerare, & tunc negant incidisse: quia qui literas corrigit animo statim eas perdendi, propriè non dicitur corrigere, sed destruere. Sic Alterius *lib. 5. disp. 7. cap. 4. dubit. 2. pag. 516.* & Duardus *hic q. 10. n. 2.*

Sed probabilius respondeo prædictum sic corrigentem literas, etiam animo illas comburendi, aut perdendi illico, hanc excommunicationem incurrere, quia iste verè dicitur literas Apostolicas falsificare quoad substantiam: ergo verè remanet excommunicatus. Nec obstat animus, quem statim eas perdendi, prædictus corrigens habebat, quia Ecclesia non punit animum internum: sed actum externum peccaminosum. Sic Bonacina *hic disp. 1. q. 7. punct. 3. in fine.*

#### QVÆSTIO XIV.

*An etiam hanc excommunicationem incurrat, qui ex literis Apostolicis, volens eas falsificare, verbum aliquod abrasit, animo addendi aliud; sed pœnitentia ductus, non addidit, sed abrasum verbum, iterum apposuit?*

**N**egat Bonacina *loco nuper cit. n. 12.* Quia in hoc casu (inquit) non dicitur ille propriè falsificator, cum idem in literis sensus perseueret, appositione verbi antea subtracti, & abradi. Ita ille. Et penes illum Reginaldus *n. 288.* Graffius *1. p. decis. lib. 4. cap. 18. n. 94.* Duardus *hic q. 10. n. 3.* & Vgolinus *hic §. 2. versic. 3.*

Sed certè probabilius respondeo incurrere, si subtractione vnici etiam verbi, sensum Pontificis mutat. Quia ille verè dicitur falsificator literarum Apostolicarum, qui aliquid addit, vel minuit, quod antea in eis non erat: at sic est quod per abrasionem, & subtractionem, etiam vnici dumtaxat verbi, additur aliquid, vel minuitur, quod antea non erat secundum mentem Pontificis: ergo, si hæc additio, vel mutatio est notabilis, sufficiens erit ad contrahendam censuram. Consequentia tenet, maior verò est etiam Bonacina *quæst. 7. cit. puncto 1. num. 3.* Minor quoque ex eodem *ibidem num. 4.* probatur, quia falsificatio, non solum fit addendo aliquid, seu scribendo, vel subscribendo; sed etiam radendo, secando, vel lauando aliquid verbum, vel punctum, aut apicem, quo mutetur sensus Pontificis: ergo, qui per abrasionem, etiam vnici verbi, illum mutat, verè falsificator literarum erit, ac per consequens excommunicatus.

*Confir*

*Confirmatur.* Quia statim quod verbum abrafum fuit, fuit mutata, vt supponimus, significatio verborum, & intentio Pontificis: ergo statim fuit contracta excommunicatio. Nec obstat quod respondet Bonacina huic argumento, nempe, non censi in eo casu mutatam verborum significationem, eo quod actio completa non fuerit per abrafionem verbi, quod subtractum fuit intentione addendi aliud distinctam habens significationem. Nam contra est: quia Ecclesia non iudicat intentionem internam: sed factum externum prohibitum, quod ibi completè in abrafione verbi est completum, vt in simili falsus fuit ipsemet Bonacina *quæstione precedenti* adductus: ergo.

## QVÆSTIO XV.

*An item excommunicationem incurrat, qui cepit falsò fabricare literas Apostolicas; sed facti pœnitens, antequam illas perficeret, ab incepto opere desistit?*

**A**ffirmandum etiam videtur ex nuper dictis. Quia sicut excommunicationem huius Canonis incurrit, qui committit falsitatem in literis Apostolicis, per inceptionem delendi aliquod illarum verbum: ita ob similem rationem erit excommunicatus, qui cœpit fabricare literas falsas, etiam casu quo mutato animo desistat ab opere incepto; antequam compleat illas.

Sed omnino oppositum respondeo dicendum, in hoc casu non incurrere excommunicationem huius Canonis. Quia in hoc Canone, qui excommunicantur, sunt falsò fabricantes literas Apostolicas: sed qui hac intentione inchoavit actum fabricandi literas Apostolicas, & non absoluit, non potest dici falsas literas Apostolicas fabricasse, sed solùm habuisse intentionem fabricandi, & inceptisse operari: ergo neque potest dici, talem excommunicationem huius Canonis incurrisse. Minor patet, quia literæ Apostolicæ, non appellantur, nisi postquam sunt perfectæ, itaut eis nihil desit ex requisitis, iuxta consuetudinem & stylum Curia: ergo qui cœpit fabricare, & componere literas falsas, & non compleuit, modo præfato, illas, non potest dici illas fabricasse.

Ex quo iam constat ad rationem dubitandi: Neganda namque est paritas, Quia ad falsificandas literas Apostolicas, cum hæ iam perfectè omnino supponantur, sufficit mutare sensum Pontificis quouis modo fiat, etiam per subtractionem vnus verbi, aut puncti, &c. at verò ad falsò fabricandas, requiritur in casu præfati, vt quis perfectè cum omnibus requisitis vsque ad finem, componat illas sub nomine Papæ, sine eius consensu & mandato, quocunque modo falsitatis ex enumeratis *in capite licet, de crimine falsi*. Sic Alterius libro 5. *disputatione 7. cap. 3. in fine*. Duardus *hic quæstione 10. numero 21*. Bonacina *disputatione 1. quæstione 7. puncto 3. num. 12.*

## QVÆSTIO XVI.

*An excommunicationem hanc contrahant, qui literas Apostolicas falsant, antequam omnino sint expeditæ, hoc est, antequam sint signatæ, ac munitæ sigillo cereo, seu plumbeo?*

**R**espondeo: Non contrahere excommunicationem huius Canonis. Quia Summus Pontifex, solùm excommunicat falsantes literas Apostolicas: at sic est, quod nec sunt, nec appellantur literæ Apostolicæ, quæ nondum sunt perfectæ, & tales certè non sunt, quousque sint signatæ & bullatæ, nec deest illis aliqua alia conditio & qualitas necessaria, vt ap-  
R. P. Leand. de Censuris.

pellari possint literæ Apostolicæ: ergo. Sic Alterius *capite 3. citato & capite 4. dubitatione 6*. Qui idem ait loquendo de supplicationibus. Sayrus, Duardus, & Vgolinus, quos citat, & sequitur Bonacina *punct. 3. citato. numero 9. & 11.*

## QVÆSTIO XVII.

*An illi, qui falsitatem narrando, aut veritatem silendo, impetrant à Pontifice literas surreptitias, sint excommunicati per hunc Canonem?*

**R**espondeo tanquam certum: Non esse excommunicatos Censura huius Canonis (nec alterius capitis Iuris) Quia tales impetrantes, nec falsificant, nec falsò fabricant, aut signant prædictas literas Apostolicas; sed solùm vtuntur falsitate ad obtinendas literas à Sede Apostolica, quæ verè sunt literæ Pontificiæ quantum ad expeditionem, licet inualida ex defectu expressionis falsitatis, aut silentij veritatis: ergo. Sic omnes Ricard. B. Anton. Syluest. Caiet. Rebuff. Bern. Diaz, quos citat, & sequitur Alterius *lib. 5. disput. 7. cap. 4. dub. 4*. Qui idem dicunt de illo, qui vtitur literis Apostolicis, sub alio nomine impetratis *vt infra*. Nauarr. *cap. 27. n. 62. vers. Quarta*. Toletus *lib. 1. cap. 22. num. 5. vers. Tertio impetrantes*. Suarez *disputatione 21. sect. 2. n. 50*. Sayrus *lib. 3. c. 10. n. 5*. Bonac. *disput. 1. q. 6. puncto 3. n. 3*. Filliuc. *tract. 16. c. 8. q. 2. n. 185*. Duardus *q. 4. num. 4. & alij.*

## QVÆSTIO XVIII.

*An saltem sint excommunicati, qui sub nomine alieno, quod sibi falsò imponunt, impetrant veras à Pontifice literas, aut ipsi vtuntur?*

**R**espondeo: Nec hos esse excommunicatos: Quia etiam si huiusmodi sint mendaces & falsarij, proprij & alieni nominis, ideòque debeant carere commo illarum literarum, & condemnari in expensis, tamen non sunt falsarij literarum Pontificum; nec ideò ob hoc excommunicati. Sic omnes citati, præcipuè Alterius, Ricard. Filliuc. & Bonac.

## QVÆSTIO XIX.

*An ad minus, hæc excommunicatio afficiat illos, qui prædictas literas, inualidas ob subreptionem, aut ob aliam causam, falsificant?*

**N**egat Duard. *hic q. 5. n. 2. & q. 10. ad finem*, existimans, non esse excommunicatos falsificantes literas Apostolicas iniustas, aut alia ratione inualidas.

Sed, vt certum respondeo: Hanc excommunicationem tales personas afficere. Quia hæ verè dicuntur veras literas Apostolicas falsare: at hoc solùm requirit Pontifex, vt excommunicatio huius Canonis afficiat; ergo verè tales afficit personas; quamuis aliàs dictæ literæ omni careant valore. Sic Alterius *lib. 4. disp. 7. c. 4. dub. 6. vers. Quod si literæ*. Bonac. *hic disp. 1. q. 7. puncto 3. num. 9*. Machado *lib. 1. parte 3. tr. 6. docum. 11. n. 7.*

## QVÆSTIO XX.

*An in hanc excommunicationem incidant, qui literis Apostolicis, per alium falsificatis, vtuntur?*

**R**espondeo tanquam certum: Non incidere. Quia in hoc Canone solùm fit sermo de falsantibus literas  
B b

Literas Apostolicas, non de illis ventibus: ergo hi vigore dicti Canonis non sunt excommunicati; patet, nam aliud est falsare literas, & aliud uti falsis literis, ut constat. Verumtamen est quod si huiusmodi, laici sint, excommunicationem aliam latam in capite Dura, de crimine falsi: si verò Clerici, priuandi sunt officiis & beneficiis Ecclesiasticis. Sic Abbas in d. cap. n. 6. Syluest. excomm. 7. §. 9. Caiet, verb. excommun. cap. 26. Nauarr. cap. 27. n. 62. vers. Quarta. Alterius lib. 6. disp. 7. cap. 4. dub. 5. & cap. 5. Filliuc. loc. cit. n. 185. Bonacina puncto 3. cit. n. 7. Toletus libro 1. c. 22. n. 8. Viualdus hic, numero 50. & alij.

### QVÆSTIO XXI.

*An saltem ligentur huius Canonis Censura, qui retinent apud se literas ab alijs falsificatas?*

Respondeo: Nec hos tali Censura ligari. Quia nec in Bulla est sermo de retinentibus, sed de falsantibus literas Apostolicas. Verum tamen est, quod in cap. Dura, cit. §. Adycentes. sit excommunicatio contra illos, qui literas falsas apud se habere cognoscentes, intra viginti dies, eas non destruunt, aut resignant. Quamuis huiusmodi excommunicatio, non feratur per illud ius à Summo Pontifice, sed iubetur ferri, & promulgari per singulas Parochias; post cuius tamen promulgationem, si incurratur, eius absolutio reseruatur Pontifici in eodem textu. Sic Suarez disp. 21. sect. 2. n. 48. Duard q. 2. n. 19. Regin. Gambarupta, & alij, quos citat, & sequitur Bonac. puncto 3. cit. n. 6. Toletus loc. cit. & Palao disp. 3. punct. 7. n. 2.

### QVÆSTIO XXII.

*An falsificantes literas, quas Summus Pontifex tanquam persona priuata scribit, hanc Censuram Canonis contrahant?*

Affirmare videtur Llamas 1. parte Meth. c. 7. §. 17. vers. Quintò. pag. 91. per hæc verba: Quintò anathematizantur falsantes literas Apostolicas, hoc est, Epistolam Summi Pontificis clausam aperientes, vel falsò eius nomine scribentes; vel in quacunque scriptura, Bulla, Rescripto, Priuilegio, vel quacunque scriptura Sum. Pont. vel eius Tribunalis, in parte radentes, & subscribentes, vel in toto falsas scribentes. Huc vsque Llamas.

Sed probabilius longè respondeo: Non contrahere huius Canonis excommunicationem. Quia prædictæ literæ, non dicuntur, propriè loquendo, Apostolicæ: ergo falsificantes illas, non contrahunt excommunicationem huius. Secus est dicendum casu, quo literæ sint scriptæ à Pontifice tanquam persona publica, seu supremo Prælato, quia hinc falsificantes eius literas, verè dicerentur falsificatores literarum Apostolicarum, & ideo excommunicati per hunc Canonem. Sic Vgolinus hic. §. 2. numero 5. vers. Sextò. Duardus quaestione 10. numero 15. Bonacina disputatione 1. quaest. 7. puncto 3. numero 10.

### QVÆSTIO XXIII.

*An mandantes, aut consulentes falsificare literas Apostolicas, hanc excommunicationem incurrant?*

Affirmat Viualdus hic, casu 6. n. 48. per hæc verba: Nota quod Abbas in cap. Ad falsariorum, de crim. falsi. dicit, quod falsificans literas Papæ, per se, vel per alium est excommunicatus cum fautoribus. Ita

ille. Quem sequuntur Reginald. libro 9. num. 289. & alij apud Sayrum & Duardum.

Sed probabilius longè respondeo: Non incurrere. Quia in hoc Canone nulla fit mentio de mandantibus, aut consulentibus, sed solum de falsariis & fabricantibus falsas literas, qui propriè & in rigore sunt illi, qui per se ipsos hæc faciunt, non qui per alios: ergo non hi, sed illi sunt excommunicati in hoc Canone. Sunt tamen ex vi cap. Ad falsariorum, de crim. falsi, quia ibi expressè excommunicantur, qui per se, vel per alium vitium falsitatis exercent, necnon fautores & defensores eorum. Hæc tamen excommunicatio nulli reseruata est. Sic Suarez disp. 21. sect. 2. n. 49. Alterius lib. 5. disp. 7. cap. 4. dub. 3. Graffius 1. p. decis. lib. 4. cap. 18. n. 95. Vgolin. hic §. 2. Filliuc. tract. 16. cap. 8. q. 2. n. 188. Sayrus & Duardus, quos citat, & sequitur Bonac. disp. 1. q. 7. puncto 3. n. 8. Machado lib. 1. parte 3. tract. 6. docum. 11. n. 6. Villal. tr. 17. diff. 20. n. 23. Palao disp. 3. puncto 7. num. 7. & alij.



## DISPUTATIO VII.

*De septima Excommunicatione Cœnæ, lata contra dantes auxilium Infidelibus, aut Hereticis, aduersus Christianos.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*Contra quot genera personarum hæc excommunicatio feratur?*

RESPONDEO: Quod contra tria. Primò, contra deferentes, seu transmittentes ad Saracenos, Turcas, Mauros, Iudæos, Paganos, & alios Infideles; necnon ad hæreticos, expressè & nominatim declarationem, per Pontificem, Equos, Arma, Ferrum, Filum ferri, Stannum, Chalybem, & omnia alia genera metallorum, quæ armorum materia sunt. Necnon Instrumenta bellica, Lignamina, Cannabem, Funes; tam ex ipso Cannabe, quam ex alia quacunque materia; ipsam quoque materiam funium, aliaque huiusmodi, quibus præfati inimici Crucis Christi, Christianos & Catholicos impugnat.

Secundò, hæc excommunicatio fertur contra certiores facientes prædictos Turcas, & alios Infideles, & Hæreticos, per se, vel per alios, de rebus ad statum Christianæ Reipublicæ concernentibus, in damnum & perniciem Christianorum & Religionis Catholice.

Tertio, contra dantes, quomodolibet auxilium, consilium, vel fauorem, prædictis Infidelibus & Hæreticis in damnum & perniciem Christianorum. Sic expressè habetur in hoc Canone septimo, & ita, ut non sit necessarium illius verba præferre. Legantur Nauarr. c. 27. à n. 63. Viuald. hic à n. 55. Suarez disp. 21. sect. 2. à n. 51. Filliuc. tr. 16. cap. 6. per totum. Alterius lib. 5. disp. 8. Bonac. hic disp. 1. q. 8. & alij mox citandi.

### QVÆSTIO II.

*An Christiani viuentes in terris Turcarum, Hæreticorum, &c. ligentur excommunicatione huius Canonis, si vendant equos, arma, aut alia prohibita Turcis, aut hæreticis, &c.*

Affirmat Bonacina hic disput. 1. quaest. 8. puncto 2. numero 17. & penes ipsam Nauarrus, Toletus, Duardus,

Duard, Reginald. & Sayrus, eo quod hi, in simili casu, de quo statim, id doceant.

Sed probabilius respondeo: Non ligari Censura huius Canonis, casu quo dicta Turcis vendant, eo fine, vt illis ad vsus licitos vtantur. *Primò*. Quia non est verisimile, Papam voluisse prohibere, vt Christiani viuentes in terris Turcarum, non possent dicto bono fine, vendere arma, equos, & alia prohibita; cum etiam illa non venderent, possent Turcæ, quando eis videretur, è manibus ipsorum eripere.

*Secundò*. Quia nullo iure est prohibitum, vt Christiani habitantes in terris Turcarum, non possint arma fabricare, & illa vendere: ergo. Sic Alterius lib. 5. disp. 8. cap. 1. in fine. Hurtadus de Mendoza volum. 1. de fide, disput. 76. sect. 3. subseccione 5. §. 93. ita scribens: *Tertiò*, arbitror excusari eos, qui necessitate aliqua compelluntur degere inter Saracenos: exempli gratia, captiuus dignoscitur esse Armifaber, nisi arma fabricet, aut peribit, aut tam malè mulctabitur, vt vix possit, nisi cum ingenti dolore viuere. Huic licet arma facere quocunque tempore: primum, quia §. 107 ostendam licere captiuo remigium agere: ergo & arma facere, quia immediatius cooperatur remiger ad pugnam, quàm Armifaber. *Secundò*. Quia ipse, nec arma defert, nec transmittit; & quamuis est aliqua ratione auxilio: at non tenetur tanto incommodo cessare ab opere de se honesto, licet eo abutantur alij: quia ipse immediatè non concurrat ad pugnam, sed præcisè circa opera inanimata versatur; quæ nisi mota ab aliis nihil efficiunt mali: at ille motus non oritur ab Armifabro; nec tenetur illum vitare, vt iam probo §. sequenti. Si tamen videat à se posse propulsari graue Reipublicæ damnum, tenetur non fabricare arma. Huc vsque Hurtadus. Et benè.

### Q V Æ S T I O III.

*An Christiani, qui in vna terra Hereticorum, aut Infidelium existentes, deferunt arma, equos, & alia prohibita, ad aliam terram eorundem, censeantur excommunicati per hunc Canonem?*

Affirmat esse excommunicatos, si ex tali translatione damnum sequatur Christianis, Bonac. disp. 1. quest. 8. puncto 2. numero 17. & penes illum Nauarr. in cap. Quorundam. de Iudæis, notab. 6. num. 27. Toletus libro 1. capite 23. numero 6. (mihî 4.) Sayrus libro 3. capite 33. numero 31. Duardus libro 2. can. 7. questione 8. & Reginald. libro 9. capite 18. numero 200. His addi possunt Luysius libro 3. de Censuris, disputatione 28. dubit. 3. in explicat. septima excommunicat. & Palao disp. 3. puncto 8. n. 9.

Sed probabilius respondeo: Non censeri excommunicatos per hunc Canonem. Quia ille solùm prohibet delationem armorum, &c. ad Infideles, &c. at sic est, quod hæc prohibitio non comprehendit Christianos subditos Infidelium, aut Turcarum, &c. vt patet ex verbis, quibus Canon vitur, nempe, deferre, & transmittere, nam his significatur ministratio armorum ab extraneis & aduenis proueniens: ergo non includuntur Christiani incolæ in terris Turcarum, cum isti nec deferant, nec transmittant. Sic omnino Alterius lib. 5. disp. 8. c. 1. in fine. licet cap. 5. dub. 3. id limitet ad casum, quo de vno loco ad alium eadem arma in substantia quantitate permanentia, transferat. Filliuc. tract. 16. cap. 6. quest. 3. num. 132. & antea Angelus. verb. excomm. n. 11. Sylu. excommunicat. 7. numero 64. in fine. vbi sic ait: Nec incidunt secundò portantes ferrum, vel arma & huiusmodi de vna terra Saracenorum ad aliam, secundum declarationem Gregorij IX. Hæc ille. Tabiena etiam excommunicat. 6. numero 7. Vivaldus hic, casu 7. num. 66.

R.P. Leand. de Censuris.

citat etiam Bonac. pro hac parte Reginaldum, n. 300 quem postea citat pro sua loc. cit. n. 200.

### Q V Æ S T I O IV.

*An incidant in excommunicationem huius Canonis, qui arma, vel alia, in illo expressa, tradunt Saracenis, aut alijs Infidelibus, habitantibus in terris Christianorum, vendendo ea, seu permutando?*

Affirmat etiam Bonacina puncto 2. citato, num. 31. citans pro hac sua sententia Syluestrum excomm. 7. n. 64. Filliuc. cap. 6. cit. n. 144. Duard. quest. 7. num. 3. & quest. 18. n. 2. Vgol. hic. n. 4. & Alterius lib. 5. disp. 8. cap. 2. q. 3. col. 3. & cap. 3. Et probat, quia in hoc Canone, non solùm excommunicantur deferentes, vel transmittentes, sed etiam præstantes auxilium Infidelibus ad impugnandos Christianos: at isti præstant auxilium Infidelibus, tradendo eis arma, quibus probabiliter iudicantur vsuri contra Christianos: ergo. Sic ille. His authoribus possunt adhuc addi Palao disputatione 3. puncto 8. n. 12.

Negant verò contra alij, existimantes, non incidere: eo quod in hoc Canone, prohibetur, deferre, aut transmittere: at sic est, quod vendere arma Infidelibus, inter Christianos degentibus, non est eis illa deferre, nec transmittere: ergo. Sic sentiunt absolute Nauarrus super cap. Ita quorundam, de Iudæis, notab. 10. n. 41. Caiet. verb. excommunicat. cap. Toletus libro 1. cap. 23. n. 3. vers. Primum dubium. Sayrus loc. cit. numero 26. Azor tomo 1. libro 8. capite 23. questione 7. Gambarupta hic, casu 7. num. 18. Luysius libro 3. disputatione 28. dub. 3. in excomm. 7. vers. Circa priorem partem.

Sed probabilius cum distinctione respondeo dicendum: Hanc secundam sententiam esse veriore regulariter loquendo. Primam verò, aliquando, & ex accidenti. *Prima pars* huius nostræ responsionis, constat, quia in casu nostræ quæstionis regulariter cessat ratio præcipua huius Constitutionis (& consequenter eius prohibitio) quoniam Saraceni degentes in terris Christianorum, non occupant res Christianorum, neque impugnant eos actu, neque habitu, quod requiritur ad incurrendam huius Canonis excommunicationem.

*Secunda verò pars* etiam patet. Quia aliquando potest probabiliter præsumi, quod dicti Saraceni accipiant arma, vt ea deferrent & transmitterent ad alios Saracenos, extra ditionem Christianorum habitantes, quibus actu, vel habitu possent in perniciem Christianorum vtî, in quo casu, qui dicta arma Saracenis traderent, verè inciderent in excommunicationem huius Canonis. Tunc autem probabiliter posset id præsumi, in casu quo Saraceni accipientes arma habitarent in terris Christianorum vicinis Prouincijs Saracenorum: secus verò si longè distarent. Id, & non aliud docet Alterius cap. 2. & 3. cit. à Bonac. pro sua sententia.

### Q V Æ S T I O V.

*An in hanc excommunicationem incidant, qui in terras Saracenorum euntes, deferunt arma ad sui tuitionem?*

Respondeo tanquam certum: Non incidere. Quia Pontifex non vult obligare hoc præcepto, cum tanto rigore & incommodo. Sic Nauar. quem citant, & sequuntur Sayrus lib. 3. c. 11. n. 34. & Filliuc. tr. 16. c. 6. q. 7. n. 147. Vgol. §. 1. n. 6. Duard. q. 36. & 38. num. 14. Bonac. disp. 1. q. 8. puncto 4. num. 13.

## QVÆSTIO VI.

*An saltem incidant, qui euntes ad terras Saraceno-  
rum, extulerunt arma sibi necessaria,  
sed postea existentes inter illos, ea  
vendiderunt, lucrandi gratiâ,  
aut donarunt?*

**N**egatiuam sententiam tenere Syluestrum *excom.* 7. n. 64. ait Hurt. de Mend. volum. 1. de fide, *disp.* 76. *sect.* 3. §. 98. Quia censet, inquit, prædictos non incidere in hanc excommunicationem, eo quod delatio armorum non sit prohibita, nisi gratiam venditionis contingat. Alterius verò, Sayrus, Filliuc. & alij, contra existimant, & pro affirmatiua parte illum citant. Et certè non miror, quod in citando Syluestrum, hoc in casu, Doctores varient. Obscurè namque loquitur, sed meo videri, negatiuam sententiam tenere eius verba magis insinuant. Sunt enim hæc: Et secundo, qui deferunt arma ad sui tuitionem tantum: & deinde occasione pecuniæ vendunt ea Saracenis: quia hic habet locum huius sententiæ, cum non sit prohibita delatio, nisi gratia venditionis aut donationis, vel cuiuscunque traditionis. Hæc Syluest.

Sed probabilius absolute respondeo: Incidere prædictos in Censuram huius Canonis. Quia Pontifices voluerunt hostes non esse à nobis armatos: at tunc sine vrgenti necessitate armantur: ergo. *Confirmatur.* Quia prædicta actio, verè est delatio armorum in subsidium inimicorum, quod in hoc Canone aperte interdicitur, in quo nil dicitur de intentione deferentis: ergo. Sic Hurt. *loc. cit.* & antea Nauarr. *in cap. Ita quorundam. de Iud. notab.* 8. n. 22. Sayrus *lib.* 3. c. 11. n. 17. Filliuc. *tr.* 16. c. 6. q. 6. n. 140. Alterius *lib.* 5. *disp.* 8. *cap.* 3. *vers.* Sextò comprehenduntur. Azor *tom.* 1. *lib.* 8. c. 23. q. 13

## QVÆSTIO VII.

*An item incideret in hanc excommunicationem,  
qui permutaret arma cum Saracenis; vel re-  
cipiendo ab ipsis arma alterius generis, ut gla-  
dium pro arcu; vel eiusdem generis, ut equum  
pro equo, &c.?*

**N**egat Rossella, apud Syluestrum & Viualdum, existimans illum, qui deferret arma Infidelibus, vt commutet pro aliis armis, non incurrere hanc excommunicationem.

Sed longè multò verius, & probabilius respondeo. Incidere. Quia nihil refert, ad hoc vt præsentur Saracenis vires ad impugnandos Christianos, qualiter eis arma tradantur, scilicet venditione, aut commutatione. Sic Syluester *v. excommun.* 7. num. 64. *vers.* Et quartò. Nauarr. & Alter. *loc. cit.* Viuald. *hic.* n. 60. *vers.* Sextò nota. limitant tamen aliqui, nisi aliàs recepta arma à Christianis essent utiliora & aptiora ad bellum, quàm data Saracenis: quia tunc, cum non inuarentur Saraceni aduersus Christianos, non ligarentur Censura Christiani, sic arma permutantes. Sic Nauarr. & Alterius *loc. cit.* Sayrus, Filliuc. Gambar. & Reginald. quos citat & sequitur Bonac. *disp.* 1. q. 8. *puncto* 4. n. 14. Azor *tom.* 1. *lib.* 8. c. 23. q. 13. Palao *disput.* 3. *puncto* 8. n. 1. & alij.

## QVÆSTIO VIII.

*An feriatur hac Canonis Censura, qui ab vno In-  
fideli arma capiens donatione, aut emptione,  
eadem vendit alijs Infidelibus?*

**N**egare Syluestrum num. 64. cit. quia ita declarauit Greg. IX. dicit Hurtadus de Mendoza volum. 1.

*de fide, disp.* 76. *sect.* 3. §. 101. Sed malè; quia Syluester *loc. cit.* non loquitur de casu præsentis quæstionis, sed de illo, de quo *supra quæst.* 3. egimus, vt constat ex verbis eiusdem Syluestri ibidem adductis.

Alij tamen, cum distinctione huic quæstioni respondent, dicendo, quod casu, quo Christianus arma, aut equos, in eadem substantia emat, & vendat nihil meliores effectos, tunc mercator Christianus non feriatur huius Canonis Censura: quia hostes æquè manent armati, aut inermes, nec talis actio in nostram perniciem vertitur, sed potius in utilitacè; cum ex sola industria, augeat Christianus suas fortunas, ex hostium ipsorum bonis. Secus verò in casu, quo arma, aut equi meliores & aptiores ad bellum reddantur, quia tunc cum talis venditio cedat in perniciem Christianorum, verè incurreret venditor in hanc Censuram Canonis. Ita tenent Azor *lib.* 8. *cap.* 23. q. 9. & Mendoza *loco citato.* Quibus assentire debent Reginald. *libro* 9. *numero* 301. & alij apud Bonacinam *numero* 54. *cit.*

Sed probabilius respondeo dicendum, quod verè feriatur huius Canonis Censura, qui ab vno fideli donatione, aut venditione, capiens arma, aut equos; alijs etiam non meliores effectos vendat. Ratio est. Quia prædicta arma, capta, modo prædico, à Christianis, verè abierunt in eorum dominium: ergo si postea ea deferant Infidelibus; ac si ea non emissent deferunt: ergo & eadem Censura, qua feriuntur qui absolute arma Infidelibus vendunt, illi feriuntur. Sic Nauarr. *in c. Ita quorundam. notab.* 8. n. 23. & 27. Alterius *lib.* 5. *disp.* 8. c. 3. *vers.* Decimò incidunt.

## QVÆSTIO IX.

*An incurrant hanc excommunicationem, qui arma  
deferunt Infidelibus non indigentibus; eo  
quod armis omnis generis ad bellum  
necessarijs, sint optimè muniti?*

**N**egat, apud Viualdum, Tabiena, verbo *excommunicatione.* Et apud Bonacinam, Duardus *hic quæst.* 38. n. 15. Quia Infideles, in hoc casu, non redduntur potentiores ad pugnandum contra Christianos, occasione armorum, quæ ab ipsis acceperunt: ergo.

Sed longè multò probabilius & verius respondeo: Incurrere. Quia Papa simpliciter & absolute prohibet huiusmodi delationem armorum ad Infideles. Quare licet finis Summi Pontificis in hoc Canone sit, non solum non augere, verum etiam minuire vires Infidelium, ne possint impugnare Christianos; tamen id quod in illo prohibetur est, ne deferantur arma, & alia verita, simpliciter, & sine vlla distinctione; & in obseruatione legum attendendum est id quod percipitur, aut prohibetur. Sic Nauarr. *in cap. Ita quorundam. de Iudeis. notab.* 10. n. 4. quem citat, & sequitur Viualdus *hic, casu* 7. *numero* 65. *vers.* Vndecimò nota. Alterius *capite* 3. *citato. vers.* Nonò ob eandem causam. Bonac. *disp.* 1. q. 8. *puncto* 4. n. 14. Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 23. *quæst.* 14.

## QVÆSTIO X.

*An etiam, qui arma, & alia prohibita, deferrent  
Saracenis, aut alijs Infidelibus, tempore pacis,  
hanc excommunicationem contrahant?*

**N**egatiuam sententiam tenuisse Glossam *in cap. Significauit. de Iudeis.* dixit Abbas *in cap. Quod olim. de Iudeis, num.* 1. *in fine.* Sed non bene, certè, Nam Gloss. oppositum expresse dicit *in d. c. Significauit, in fine casus enarrati,* per hæc verba: Nota, quod qui portant

portant merces prohibitas Saracenis, sunt ipso iure excommunicati: & nullo tempore pacis, vel treguæ excusantur. Ita Glossa ibi. licet, vt verum fatear, verb. *Post treguam*, oppositum haud obscure indicet. Sed quidquid Glossa velit,

Tanquam certum respondeo: Hanc excommunicationem contrahere. Quia in omni tempore, etiam pacis, vrget ratio prohibitionis habitæ in hoc Canone. Nam quamuis tunc actu Saraceni, aut alij Infideles, non sint vsuri armis, & alijs rebus prohibitis; possunt tamen postea illis vti in damnum Christianorum, quod sufficit: omni ergo tempore contrahitur hæc excommunicatio, quando deferuntur huiusmodi prohibita, Sic Abbas *loc. cit.* Gotfred. *in sua sum. tit. de Iudeis*, n. 21. Syluest. *verb. excommunic.* 7. num. 62. & 64. & penes ipsum, Ioan. Andr. & alij. Alterius *lib. 5. disp. 8. c. 3. in fine* Filliuc. *tr. 16. c. 6. q. 7. n. 148.* Suar. *disp. 21. sect. 2. n. 36.* & penes illum Rebuff.

## QVÆSTIO XI.

*An incurrant hanc Censuram, qui arma deferunt Infidelibus, vt contra alios Infideles pugnent?*

Affirmat Toletus *lib. 1. cap. 23. num. 11.* incurrere; quia huiusmodi (inquit) arma manent, quibus postea impugnare possunt ipsos Christianos: secus ait, si certum sit illis non posse vti contra Christianos. Toletum sequitur Luyfius *lib. 3. disp. 28. dubit. 3. vers. Item dubitatur.*

Sed clarius respondeo cum Nauarro dicendo. Non incurrere casu, quo arma deferant Infidelibus, v. g. Saracenis, pugnantibus contra alios Saracenos, bellum gerentes contra Christianos: secus verò si deferant Saracenis, impugnantibus alios Saracenos, qui non impugnant actu Christianos. Quia in primo casu Saraceni, quibus arma conferuntur, vere adiuuant Christianos contra alios Saracenos, à quibus actu impugnantur; & hæc ratione non possunt appellari inimici Christianorum, sed potius amici: & ideò in hoc casu, non habet locum excommunicatio huius Canonis. Benè tamen, in secundo, de quo loquendo vera est sententia Toleti, & habet vim eius ratio. Sic Nauarr. *in cap. Ita quorundam. de Ind. notab. 4. n. 15. & 27.* Quem citat, & sequitur Alterius *lib. 5. disp. 8. c. 2. quest. 4. & cap. 5. vers. tertia propositio.* qui bene aduertunt, quod, quando Christianus Princeps iungit sibi Saracenos, vt eorum auxilio vtatur contra alios aduersarios nominis Christi; tunc ne tradat Saracenis, ea, quæ bello absoluto possint illis vsui esse contra Christianos; & arma, quæ ad bellum subministravit, & debeat, si potest, absoluto bello ab ipsis auferre: aliàs si id negligeret, incideret in excōmunicationem, quia cessaret causa excusationis. Sic etiam tenet Azor *lib. 8. instit. c. 23. q. 7.*

## QVÆSTIO XII.

*An Christianus, qui suis armis munitus Principem Saracenum adit, incidat in hanc Censuram, si ab ipso Principe rogatus, vel munere donatus, in gratiam redonat arma?*

Affirmat Azor *loco nuper citato.* Quia in hoc Canone Bullæ (inquit) comprehenduntur, non solum hi, qui exportant prohibita, sed etiam ij, qui vendunt, qui permutant, & qui, quouis alio modo prohibita Saracenis tradunt.

Sed longè multò probabilius, & verius respondeo: Non incurrere. Quia huius legis prohibitio non vrget tanto cum dispendio ciuili. Si enim Princeps

R. P. Leand. de Censuris.

significasset sibi placere gladium, aut sclopetum, non potest vir ingenuus, sine rubore id negare. (omitto nunc quod posset etiam excusari ob paruitatem materiae, vt infra dicam) Sic Hurtadus de Mendoza *vol. 1. de fide, disp. 76. sect. 3. §. 99.* Qui idem asserit, in casu, quo Rex Hispaniæ excipiat legatum Principis Saraceni, cum quo grauia negotia gerat, & postea illum remittat donatum sex, aut octo equis; quia aliàs inciuiliter eum, contra morem Principum, remitteret. Hæc namque sunt Principibus familiaria officia, sine quibus vix possunt agere mutuo cum dignitate. Sic ille. Et alij mox citandi.

## QVÆSTIO XIII.

*An in hanc Censuram incidat, qui absolute, exiguam, & paruam rem ex prohibitis, ad Infideles refert?*

Affirmatiua pars (quam probabilem esse, insinuat satis, Filliucius) suaderi potest. Quia prohibitio est generalis, & absque vlla exceptione. Deinde quia gladius, aut cultellus ad scindendum panem, & alia parua instrumenta, possunt ad pugnam deferri: ergo sub pœna excommunicationis prohibentur deferri.

Sed longè multò probabilius: imò vt mihi certum respondeo: Non incidere in talem Censuram. Quia certum est, paruitatem materiae excusare ab hac Censura incurrenda, cum excuset à graui culpa, requisita ad incurfionem illius. Sic docent communiter omnes. Nauarrus *in cap. Ita quorundam. de Iudeis notab. 8. n. 31. & in Man. cap. 27. n. 63. vers. Sexta.* Toletus *libro 1. cap. 23. num. 7.* Felin. Syluest. & Rebuff. quos citat, & sequitur Alterius *lib. 5. disp. 8. cap. 5. dubit. 4.* Vivaldus, Sayrus, Filliuc. & Duardus, quos affert, ac sectatur Bonac. *disp. 1. q. 8. punct. 4. n. 1.* Hurt. de Mend. *§. 100. cit.* Filliuc. *tr. 16. c. 6. q. 8. n. 146.* Palao *disp. 3. puncto 8. n. 18.* & omnes.

## QVÆSTIO XIV.

*Quenam sit censenda hac in re, grauis, & leuis materia?*

Respondent aliqui, illam censendam esse grauem materiam, ex cuius traditione, notabile damnum ab hostibus afferri potest: leuem verò ex qua leue damnum timeretur. Ita Bonac. *n. 1. cit.* inquit, hac de causa qui titulo gratitudinis, vel ob negotia benè gesta, pugionem, galeam, vel arcum, vel aliud id genus donaret Infidelibus, non ligaretur Censura, ob materiae paruitatem. Nauarr. *n. 22.* Sayrus *n. 17.* Reginald. *libro 9. cap. 18. num. 298.* Secus si donaret equum, vel vnam hominis armaturam, vel nauim, vel triremem, hæc enim non videtur leuis materia. Ita ille.

Hurtadus verò *§. 100. cit.* sumendam esse grauitatem, & leuitatem materiae, ex quantitate magna, vel parua armorum, quæ donantur, his verbis, pronunciat. Si arma sint in magna quantitate, vt illis posset infidelis nobis inferre graue damnum, nullus potest ea donare, nisi urgente graui aliquo damno vitæ, aut fortunarum: nec tunc Christianus esset inciuilis, cum possit se canonica lege tueri. Si verè arma sint in quantitate non magna, vt gladius, sclopetum, aut clypeus, aut elegans equus, tunc non præstringitur donans hac lege: tum, quia hæc parum nocent; tum quia Ecclesia non curat de ijs leuibus, raris, & non nocentibus casibus, &c. Ita ille.

Huic modo dicendi, non in totum, adhæsit antea Filliuc. *tract. 16. cap. 6. quest. 7. n. 146.* vt probant hæc



eius verba : Paruitas materiæ regulariter secundum probabilem opinionem , excusat ab incurſu huius Censuræ , modò tamen , non tantùm numerus rerum quæ traduntur , verùm etiam quantitas attendatur. Nam etiam donatio vnius equi , vnius armaturæ hominis , & multò magis vnius nauigij , vnius triremis , vtique prohibita videtur. Debet ergo efferes vna , & parua quantitatibus , vel potiùs parua vtilitatis infidelibus contra Christianos , vt si quis , v. g. ex gratitudine , vel negotio benè gesto , dono daret pugionem , vel galeam , vel quid simile , quod etiam passim reperiatur apud ipsos , & sit res parui momenti , omnibus consideratis. Huc vsque Filliucius.

Ego verò , omiſſis aliis modis dicendi , respondeo : Quod , quamuis certum sit , quod ad cognoscendam in hac re materiæ grauitatem , aut paruitatem , sit attendenda quantitas armorum , quæ Infidelibus donantur , an videlicet sit magna , vel parua ; aut magnæ vtilitatis , vel non , &c. vt benè docent Doctores omnes citati nuper , addendum tamen sit , hanc magnitudinem , aut paruitatem , non debere esse æqualem pro omnibus donantibus arma , sed potiùs , inæqualem , considerata qualitate & grauitate personæ , quæ donat : aut cui donatur ; ideoque potest contingere , quod eadem materia sit grauis & leuis , respectu diuersarum personarum donantium , aut quibus donantur. Quod satis constat ex quæst. superioribus , habitis.

#### Q V Æ S T I O X V.

*An qui arma , equos , & similia , ad terras Infidelium derulit ; pœnitentia tamen ductus , retulit inuendita , excommunicationem contraxerit ?*

**A**ffirmant Vgelinus hic §. 1. n. 12. & Alterius lib. 5. disputat. 8. c. 4. Propositione 3. & 4. Quia , inquit , Summus Pontifex prohibet in hoc Canone delationem & transmissionem armorum , equorum , &c. illis verbis : *Deferunt , seu transmittunt* : sed qui iter suscepit , & detulit prædicta Saracenis , & peruenit cum illis ad locum destinatum , verè & propriè dicitur , detulisse , & transmississe , quamuis ea Saracenis non tradiderit , quia mutato consilio , cum eisdem rebus reuersus est : ergo.

Sed probabilius longè respondeo : Non contraxisse in dicto casu excommunicationem Bullæ. Quia verba legis accipienda sunt cum effectu , nisi aliud constet de mente legislatoris : at in casu proposito non fuit sequutus effectus : ergo per illum non fuit contracta excommunicatio.

Nec obstat ratio Alterias. Quia translatio non dicitur perfecta , nisi quando res peruenit ad eum , ad quem destinata est. Nam litteræ non dicuntur ad me delatæ , vel transmissæ , nisi re ipsa mihi tradantur. Vnde absolutè neganda est minor argumenti. Sic docent Nauarrus in cap. *Ita quorundam de Indeis notab. 8. n. 29.* Syluest. & Angel. quos citat , & sequitur Vivaldus hic casu 7. num. mihi 67. in nouis , 17. Azor libro 8. cap. 23. q. 13. Hurtad. de Mendoza volum. 1. de fide , disputatione 76. sect. 2. §. 95. Sayrus lib. 3. c. 9. n. 21. Filliuc. tract. 16. c. 6. q. 7. n. 143. Duard. hic Can. 7. q. 10. n. 6. Bonac. disp. 1. q. 8. puncto 4. n. 2. & 3. Qui addunt , secus dicendum , si quis dictas res prohibitas semel Infidelibus tradat , aut vendat , & illicò ab eis tollat & redimat , & ad Christianos referat ; quia in hoc casu , Censuram contraxit traditione rerum ; nec delictum desinit esse

perfectum ob recuperationem illarum.

\*\*\*

#### Q V Æ S T I O X VI.

*An si Custodientes Urbem , tam acriter à Turcis oppugnentur , vt non possint fugere vitæ , aut grauis famis discrimen absque Urbis & armorum deditioe : possint tunc absque incurſione Censuræ tradere Turcis arma , aut Urbem ?*

**R**espondeo : Possè. Quia leges humanæ non obligant cum dispendio tanto. Secus dicendum si dederint Turcis Urbem , aut arma , casu quo eam commodè possent tueri , aut haberent spem tuendi illam , aut sperarent probabiliter victum ad sui sustentum ; nam tunc si traderent , dictam excommunicationem incurrerent. Sic Hurtad. de Mendoza sect. 3. cit. §. 94. & Azor lib. 8. cap. 23. q. 13. vbi sic dicit : Præterea non comprehenduntur ( hac Censura ) Si qui fame , vel vi compulsi , arma , aliæque res prohibitas venderent Saracenis : vel si qui , sæuiente bello , se dederent Turcis , aut Saracenis , ne vnà cum suis armis perirent : vel si qui depositis , relictisue armis fugerent , salutis , & libertatis causa : nam , vt aliàs docuimus leges humanæ , hominum conscientias minimè obstringunt , & tenent cum probabili vitæ , aut libertatis discrimine. Huc vsque Azor. Bonacina etiam hic disp. 1. q. 8. puncto 4. n. 7. docens excusari ab hac Censura , qui metu mortis , vel alterius grauis damni , deferunt arma , vel alia prohibita Infidelibus. Nauarr. in cap. *Ita quorundam notab. 8. n. 26.* Sayrus lib. 3. c. 11. n. 18. Duardus hic quæst. 12. Idem etiam dici potest de iis , qui naues , armis onustas , aut arcem armis instructam , metu mortis aufugientes , dimittunt & derelinquant , itaut ab Infidelibus cum detrimento Christianorum , capiatur. Ita Duardus q. 13. Huc vsque Bonacina.

#### Q V Æ S T I O X VII.

*An qui pecunias , & alias merces interdiktas , deferunt ad Saracenos , pro redimendis Captiuis , incurrant hanc excommunicationem ?*

**R**espondeo tanquam certum : Non incurrere , etiam si dicta deferant tempore belli. Primò. Quia ita habet vsus , in omni Ecclesia receptus. Secundò. Quia id expresse conceditur in cap. *Significauit de Indeis.* Vbi quamuis prohibeatur omnis mercimonia cum Saracenis , excipitur tamen articulus redemptionis ; Et meritò : quia non erat fas , interdicerè redemptionem Captiuorum ; cum maiora multò grauias sequantur , ex feruitute Christianorum , quàm ex emolumento Saracenorum ex mercibus , pecuniisque capto , vt constat. Sic omnes. Nauarr. in cap. *Ita quorundam de Indeis notab. 8. n. 26.* Innoc. Hostiens. Abbas , Ioan. Andrea , & alij , quos refert , & sequitur Alterius lib. 5. disp. 8. c. 5. col. 4. Azor tomo 1. lib. 8. c. 23. q. 13. Filliuc. tract. 16. cap. 6. q. 7. n. 145. Hurtad. de Mendoza volum. 1. de fide , disp. 76. sect. 3. §. 90. & 91. Bonac. disp. 1. q. 8. puncto 4. n. 12. Palao disp. 3. puncto 8. n. 17. Sayrus , Duardus , Vgol. Vivald. & Regin. penes ipsum.

#### Q V Æ S T I O X VIII.

*An saltem incurrant , qui pro redimendis Captiuis , deferunt Saracenis arma , equos , ferrum , & alia prohibita ; eo quod redimentes , nequeant commodè alijs rebus non prohibitis captiuos redimere ?*

**A**ffirmat Glossa in cap. *Significauit.* cit. verbo *Aliquod commodum.* vbi hanc quæstionem his verbis proponit & soluit : Sed quid si non possunt redimere captiuos , nisi possent eis arma , vel ferrum ; nunquid

nunquid hoc facere possunt sine pœna excommunicationis? Arg. quod sic, ex eo quod hic dicit, excepto redemptionis articulo. Sed non credo, nisi prius requiratur auctoritas Papæ, ne aliquid fraudis fiat. Ita Glossa. Et etiam Abbas *in d. cap. n. 2.* quibus adherere videntur Viualdus *hic casu 7. numero 63.* & alij penes ipsum.

Sed probabilius sanè respondeo: Non incurrere, si saltem delatio armorum, equorum, & similitum, pro captiuis redimendis, fiat tempore pacis. Quia hoc expressè deducitur ex dicto cap. *Significauit.* vt bene probat Alterius. Sic ipse *cap. 5. cit. col. 4. vers. Secundò dicendam.* Azor, Filliuc. Hurtad. & Bonac. Ex quibus hi vltimi secus existimant dicendum casu, quo redemptores valeant aliis rebus non prohibitis, captiuos redimere; quia tunc inquirunt, incurrunt dictam excommunicationem si deferant arma, equos, &c. Sed certè hæc limitatio non colligitur *ex d. cap. Significauit.* Ideòque absolutè, & absque limitatione nostram sententiam, defendit Alterius, dummodò delatio huiusmodi rerum fiat tempore pacis. Palao etiam *n. 17. cit.* vbi absolutè, & absque limitatione adhuc temporis, id docet.

### QVÆSTIO XIX.

*An adminus incurrant hanc Censuram, qui tempore belli, deferunt arma, equos, ferrum, & similia Saracenis, pro redimendis captiuis?*

**A**ffirmant incurrere communiter DD. Quia, qui tempore belli, deferunt arma Saracenis, verè adiuuant eos, ad impugnandos Christianos: ergo verè incurrunt Censuram huius Canonis. Ita tenent Syluest. *excommunicatio 7. §. 61. vers. Et ista est mens.* & penes ipsum, Innoc. Ioan. Andr. Abbas, Glossa, Card. Ioan. de Ana, & Rosella. Quibus addi possunt Alterius *libro 5. disp. 8. cap. 5. col. 4. & 5.* Azor *tomo 1. libro 8. cap. 23. q. 13.* Viuald. *hic in expos. septimi casus, num 63.*

Negant verò apud Hurtadum, Innocentius, Angelica summa, & alij, existimantes absolutè, non incurrere excommunicationem, eo quod talis actio sit licita, & honesta. Sed certè, ex his Doctoribus, quos pro hac parte affert Hurtadus, Angelus id absolutè non docet, vt videre est per hæc eius verba; Ait enim; Tenet tamen Innocent. & Hostiens. *in cap. significauit, de Indis,* quod pro redimendis captiuis tempore guerra, arma etiam sine pœna excommunicationis possint deferri: quod ante factum non tenerem; sed benè post factum. Hæc Angelus. *verb. excommuni. 5. casu 21. n. 4.*

Alij verò sub distinctione respondent, non incurrere hanc excommunicationem casu, quo venditione armorum, &c. redimantur viri fortes, & in re militari versati, quia tunc putatur id maius bonum. Secus verò si redimantur viri imbelles, & in bello minimè versati, quia tunc bonum commune, vtpotè maius, est præferendum priuato, aliàs incurrere excommunicationem est notum. Sic Bonac. *puncto 4. cit. n. 12.* ex Vgolino & Reginaldo.

Sed ego adhuc distinctius, & clarius respondeo: *Primò,* tanquam certum: Non incurrere hanc Censuram illum, qui tempore belli deferret arma Saracenis pro redimendis illis captiuis, qui non aperto vitæ, aut fidei discrimine sunt positi: quia in hoc casu maius bonum est captiuis huiusmodi opitulari, vt constat: ergo. Sic Hurtad. *de Mendoza volum. 1. de fide, disp. 76. sect. 3. §. 92.* Addens idem esse dicendum, casu, quo captiuus sit mihi coniunctus; quia tunc non teneor abstinere ab armorum communica-

tione; cum hæc actio sit de se indifferens, & ratione redemptionis fiat honesta, proinde non teneor cum ingenti meo damno ab ea abstinere.

Respondeo *Secundò,* etiam vt certum, Nec incurrere hanc Censuram deferentes arma, equos, & similia, pro redimendis captiuis, casu, quo captiui sint viri fortes, & præstantes ad bellandum: quia certum est tunc id putari maius bonum, siquidem ex hac commutatione plus emolumenti euenit Christianismo, vt constat. Sic auctores secundi, & tertij modi dicendi.

Respondeo *Tertiò,* probabiliter; Regulariter loquendo, semper est licita, etiam tempore belli, delatio armorum pro redemptione captiuorum. Quia regulariter loquendo, semper est maius bonum Christianorum, si redimantur, etiam permutatione armorum, & aliarum rerum prohibitarum, patet: Tum, quia regulariter loquendo, captiui, præcipuè fœminæ & pueri, semper sunt in periculo fidei, aut vitæ, vt satis notum est nostris Redemptoribus. Tum etiam: quia passim captiui redimuntur pecunia, etiam tempore guerra, quæ tamen est vnum, & maximum, inter prohibita, vt *infra:* ergo & possunt redimi absque pœna Censuræ permutatione armorum. Sic Innoc. & Hostiens. vt vidimus, apud Angelum. Et sic Filliuc. *tract. 16. c. 6. q. 7. n. 145.* & Palao *loc. cit.* quatenus absolutè, & sine distinctione temporis doceat, deferentes arma ad redemptionem captiuorum, non incurrere excommunicationem. Dixi autem in hac tertia conclusione, *regulariter loquendo,* & vt communiter solet fieri captiuorum redemptio; quia secus est dicendum, casu particulari, si quis, v. g. arma ferret in tanta quantitate, vt ex eorum traditione probabiliter immineret graue periculum Christianismo, quia tunc sub excommunicatione teneretur arma non ferre, & in hoc benè Bonacina, cum aliis.

### QVÆSTIO XX.

*Quid nomine Armorum quæ, primo loco, deferri Ad Saracenos & alios Infideles, prohibentur, intelligatur?*

**R**espondeo vt quid certum, intelligi in primis, Arma tam offensiuæ, quàm defensiua: nam vtraque verè sunt arma, vt habet Glossa *in cap. unico, de Ind. & Saracenis,* Extrauagantium Ioan. XXII. Deinde, in specie loquendo, nomine *Armorum,* intelliguntur hastæ, sclopi, bombardæ, galeæ, enses, pugiones, glandes, pilæ, puluis tormentarius, sulphur, pix, salnitrum, fustes cuspide munitæ, balistæ, sagittæ, fundæ, sudes, clypei, lorice, thoraces ex materia resistente vulneribus, & denique omne instrumentum ad feriendum in pugna, & omnia sine quibus arma non possunt gestari. Sic communiter omnes. Inter quos de aliquibus instrumentis dubitantur, vt mox videbimus. Sit ergo.

### QVÆSTIO XXI.

*An Cultelli ad cibos, vel calamos scindendos, nomine armorum comprehendantur, & sint materia huius Censuræ?*

**R**espondeo tanquam certum: Non comprehendere nomine armorum, & consequenter non ligari hac Censura eos, qui deferunt ad Saracenos dictos cultellos formatos ad scindendum panem, vel calamum. Quia huiusmodi, propriè non vocantur arma; & meritò, cum in prælio, nec vsum vllum habere possint. Sic Bart. *in l. 1. n. 2. ff. ad leg. Iuliam de vi. publ.* Abbas *in cap. Clerici, de vi & honest. cler. n. 7.* Angel. & Syluest.

Syluest. quos citat, & sequitur Alterius lib. 5. disp. 8. c. 7. Suar. Filliuc. Sayrus, quos refert, & sectatur Bonac. hic disp. 1. q. 8. punct. 2. n. 3. Toletus, & Azor, quos amplectitur Hurtad. de Mendoza volum. 1. disp. 76. sectione 3. §. 56. Palao disp. 3. puncto 8. n. 5. & penes ipsum, Nauarr. c. 26. n. 63. Sayrus, cap. 11. n. 28. & alij. Qui ferè omnes aduertunt, hoc esse intelligendum de paruo cultro, qui non fit aptus ad offendendum in bello: nam si esset talis vt in bello deseruire posset, verè comprehenderetur appellatione armorum, & esset materia huius excommunicationis.

## QVÆSTIO XXII.

*An incideret in hanc Censuram, qui magnam horum paruorum gladiatorum vim ad Saracenos deferret?*

**R**espondeo tanquam certum: Tunc in hanc Censuram incidere: Non tamen ob eam rationem, quia, vt diximus huiusmodi gladioli non admittunt propriè nomen armorum: sed quia ferrum & chalybem ad Saracenos asportaret, quod vtiq; est prohibitum, sub eadem Censura, in hoc canone: gladioli namque prædicti, verè sunt ferrum & calybs. Sic Alterius, & Hurtadus loc. cit. Addens hac lege etiam comprehendi ligones, vestes, & alia instrumenta, quibus exercitus eget ad fodiendam terram, parietes demoliendos, eruendos lapides, &c.

## QVÆSTIO XXIII.

*An item contraheret hanc Censuram, qui secures, falces, rastra, perticas, & alia instrumenta necessaria ad colendos agros, & vineas, ad Saracenos, vel alios Infideles, deferret?*

**R**espondeo: Etiam contrahere talem Censuram; non ideo quia arma ad inimicos Christiani nominis deferret, cum dicta non comprehendantur, sub nomine armorum; sed quia deferret ad illos ferrum, cum omnia prædicta ferrum sint, & materia ex qua hostes instructi sunt ad ea in arma vertendum. Sic ex Nauarro in cap. Quorundam. de Iud. notab. 5. Filliuc. hic n. 135. Vgolino verb. arma. n. 2. Duaro quæst. 20. Sayro libro 3. capite 11. numero 28. & Gambarupta, casu 7. docec Bonac. disput. 1. quæst. 8. punct. 2. num. 4. Hurtad. de Mendoza §. 56. cit. Tolet. lib. 1. c. 23. n. 8. & Alterius capite 7. citato, & alij: quid aliud indicent Viuald. hic n. 67. & Azor, infra q. 28. citand.

## QVÆSTIO XXIV.

*An nomine Equorum prohibeantur omnes equi cuiuscumque conditionis sint?*

**R**espondeo tanquam certum: Prohiberi omnes equos, domitos, & indomitos, veloces ad cursum, vel aptos ad trahendam rhedam, aut ferendam salmam, disciplinatos ad pugnam, vel è contra; & tandem claudos & debiles, aut morbosos, si arte possunt curari. Sic Nauarr. in Man. cap. 27. num. 63. vers. Tertia quod per equos. Alterius libro 5. disput. 8. c. 7. col. 1. Qui addit sufficere vnicum tradere equum Infidelibus ad incurrendam hanc excommunicationem, si non esset adedò ineptus, vt potiùs incommodo, & labori, quàm vtilitati, & vsui esset. Aut, addo ego, donans esset Princeps, aut alia persona grauis, iuxta dicta à nobis supra quæstione 14. Sic etiam, Reginaldus libro 9. cap. 18. n. 294.

## QVÆSTIO XXV.

*An nomine Equorum, prohibeantur sub hac Censura, omnia genera bestiarum pugnantium, v. g. Elephantum?*

**R**espondeo: Prohiberi. Quia æquivalent equis: & sic horum omnium est eadem ratio, & consequenter ius idem. Sic optimè Hurt. de Mend. vol. 1. disp. 76. sect. 3. §. 65. vbi Regin. volentem, solos equos prohibitos esse; explicat, idem voluisse loquendo de bestia pugnaci. Sic etiam alij communiter, præcipuè mox citandi.

## QVÆSTIO XXVI.

*An item, sub eodem nomine Equorum, & sub eadem Censura, prohibeantur deferri ad Infideles, Cameli, Asini, Muli, & Boves, & omne aliud genus bestiarum seruientium, ad onera in bello ferenda?*

**N**egat Regin. lib. 9. c. 18. n. 294. his verbis: Imò iudicio Iacobi à Graffis lib. 4. decis. aurear. c. 18. n. 87. includit (nomen equorum) aliud quodcumque iumentum, quod deseruire potest deforendis sarcinis, & aliis bello necessariis, vt Mulum, Asinum, &c. Sed in materia pœnali, non videtur esse locus tali extensioni. Ita ille, ex Nauarro in cap. Ita quorundam. notab. 5. n. 27.

Sed, vt certum respondeo, prohiberi sub eadem Censura transportationem dictarum bestiarum ad Infideles. Quia, quamuis verum sit, quod propriè, & in rigore loquendo, dicta animalia nomine equorum non veniant, aut comprehendantur; veniunt tamen, & comprehenduntur sub nomine; & alia huiusmodi, & etiam sub nomine auxiliij, cum certum sit quod, qui præfata iumenta ad Infideles transmitterent, verè auxiliarentur eis: ideòque ob hanc rationem in hanc inciderent Censuram. Sic Suarez tomo 5. in 3. p. disputatione 21. sectione 2. numero 53. Alterius libro 5. disputatione 8. capite 7. vers. Per equos. Duaro can. 7. quæstione 19. Filliucius tractatu 16. capite 6. quæst. 4. numero 134. Sayrus libro 3. capite 11. numero 17. Bonacina disputatione 1. quæstione 8. puncto 2. numero 1. Hurtadus de Mendoza de fide, volum. 1. disputat. 76. sectione 3. §. 63. Viualdus hic, casu 7. numero 4. Palao disputatione 3. puncto 8. numero 5. Imò & Nauartus in Man. cap. 26. numero 63.

## QVÆSTIO XXVII.

*An deinde, Equorum nomine, prohibeantur deferre ad Infideles omnia instrumenta, quibus aluntur, curantur, & ad bellum instruuntur equi?*

**R**espondeo affirmatiuè. Quia est eadem ratio. Nam equi prohibentur, vt sunt vtilis ad bellum: atque equiliis instrumentis, non sunt vtilis: ergo prohibentur simul cum equis hæc eorum instrumenta. Et adminus prohibentur, voce auxiliij, quia qui est causa per equilia instrumenta, vt vrgeat equitatus hostilis, hosti est auxilio non paruo. Prohibentur ergo sub hac Censura, ne quis possit ad Infideles deferre, equorum stramina, sellas, clitellas, stapedes, coria stringentia, franos, capistra, compedes ferreas, aut canapeas, & similia. Sic omnino Mendoza §. 63. citato. Et hæc de equis. Ad tertiam dictionem, quæ est ferrum, transeamus.

Sit ergo

## QVÆSTIO XXVIII.

An in hoc Canone, nomine Ferri, prohibeatur ad Infideles deferri, tam ferrum factum, quàm infectum?

Respondeo, vt certum: Vtrumque prohiberi, nempe ferrum factum & infectum. Per ferrum factum, communiter intelligunt Doctores, instrumenta quælibet ex ferro formata & elaborata, vt sunt secures, falces, ligones, cultri, vectes, & alia instrumenta ex ferro artefacta, vt diximus *sup. q. 20. & sequent.* quidquid repugnare videatur Azor *tomo 1. lib. 8. cap. 23. q. 10. col. 1020.* Per ferrum verò infectum, intelligunt, ipsam ferri laminam, seu massam impolitam, ac rudem, ex qua confici possunt instrumenta ad bellum. Sic communiter Auctores Nauarrus *in Man. cap. 27. n. 63. vers. Quinta quod per ferrum.* Alterius *lib. 5. disp. 8. cap. 7. vers. Ferrum.* Azor *lib. 8. cit. c. 23. q. 11.* Filliuc. *tr. 16. c. 6. q. 4. n. 36.* Bonac. *disp. 1. q. 8. punct. 2. n. 5.* Regin. *lib. 9. c. 18. n. 296.* Hurtad. *de Mend. de fide, vol. 1. disp. 76. sect. 3. §. 57.* Palao *disp. 3. punct. 8. n. 5.* & communis.

## QVÆSTIO XXIX.

An sub nomine Ferri, comprehendatur vena ferri; ita ut Bullæ Censura incurratur, si Infidelibus transferatur?

Negat Nauarrus *in cap. Ita quorundam, de Iudæis. notab. 6. n. 9. & in Man. c. 27. n. 63. vers. Quinta quod per ferrum.* existimans, non comprehendi, nisi feratur ea intentione, vt ex dicta vena exuatur ferrum, & fiant arma. Fundamentum eius est. Quia vena ferri non est ferrum, sed terra, ex qua arte, & industria hominis potest educi ferrum. Nauarrus sequuntur Regin. *loc. cit.* & Gambarupta *Can. 7. n. 13.*

Sed probabilius multò respondeo: Comprehendi, & ita in Bullæ Censuram incurrere illum, qui venam ferri Infidelibus deferat, aut transmittit. Quia multò probabilius est, venam ferri, verè ac proprie esse ferrum, non quidem ita purum & mundum, sicut postquam igne purgatum est, verumtamen ferrum; sicut segetes triticum continent, etiam antequam ab illis fuerit separatum, & purgatum. Et si lata esset excommunicatio contra deferentes triticum, absque dubio comprehenderet eos, qui segetes non purgatas deferrent: sic ergo similiter in nostro casu est dicendo. Sic Suarez *disp. 21. sect. 2. n. 55.* Alterius *lib. 5. disput. 8. cap. 6. dub. 2. & cap. 7. col. 5.* Syluest. *excommun. 7. §. 59.* Filliuc. *cap. 6. cit. n. 138.* Sayrus, Duard. Vgolinus, & Coriolanus, quos citat, & sequitur Bonac. *loc. cit. n. 5.* Mendoza *sect. 3. cit. §. 59. & 60.* Addens, huiusmodi venam, non solum comprehendi & contineri, voce, ferrum, & materia armorum, eo quod verè sit ferrum; sed etiam comprehendi voce, *auxilium quomodolibet,* quia est, & non paruum, commodari hosti, vnde ferrum efficiat ad pugnam.

## QVÆSTIO XXX.

An nomine Ferri intelligatur, non solum ferrum, sed etiam quæcunque alia materia apta ad formanda arma, & instrumenta bellica?

Affirmat Caietanus *verb. excommunicatio. cap. 20.* apud Azorium, Alterium, & alios. Sed certè Caietanus; neque dicit, quod ferrum factum sit, tum ferrum ipsum; tum omne genus armorum ex ferro factum, vt vult Azor. Neque quod nomine ferri, in-

telligenda sit quæcunque materia propria primaria, seu secundaria armorum, vt refert Alterius; cum solum hæc verba proferat: Aduerte deinde, quod appellatione armorum, veniunt non solum offensiuæ, sed defensiuæ ex quacunque materia sint. Per ferrum autem, & lignamina, præcipuam materiam intellige armorum & galearum, & Nauium. Et per alia prohibita, accipe non solum Naues & Galeas ipsas, sed quascunque secundarias proprias materias armorum, galearum, nauium, vt sunt fartix, vela galearum, & breuiter quæcunque ad hoc sunt, vt ex eis Christiani impugnentur. Sic enim processus Cœnæ Domini explicat. Huc vsque Caiet. Cuius verba retuli, vt videas quam falsò citetur à dictis authoribus. Vnde

Vt certum respondeo: Nominem Ferri, solum ferrum esse intelligendum, non aliam materiam, etiam si ex illa possint arma fabricari. Quia statim post illam dictionem Ferrum, addit Bulla, *filum ferri, stannum, chalybem, omniæque alia metallorum genera,* quæ quidem non adderet, si per ferrum, aliam materiam armorum significare voluisset quàm ferrum. Sic meo videri Caietanus, vt indicant verba eius. Nauarrus *in c. Ita quorundam cit. notab. 6. n. 5.* Azor *tom. 1. lib. 8. c. 23. q. 11.* Alterius *lib. 5. disp. 8. cap. 7. col. 5. vers. Sed dubitari potest.*

## QVÆSTIO XXXI.

An qui deferret clauiculus paruos Saracenis in hanc excommunicationem incideret?

Respondeo: Non incidere. Quia tales clauiculi ferrei, non sunt vtiles bello. Nisi casu, quo magnam quantitatem, aut copiam horum referret. Quia tunc, talia instrumenta cum verè sint ferrum factum ex vna parte: & ex alia, possent, facillimo negotio Saraceni illa conuertere in arma, locus esset excommunicationi, vt constant ex dictis supra. Et tenent in re, Nauarr. *notab. 6. cit. n. 11. & 12.* Sylu. & Rebuff. quos citat, & sequitur Alterius *loc. cit. dub. 2.*

## QVÆSTIO XXXII.

An Filum ferri, quod prohibetur ad Saracenos deferri, comprehendat in se filios omnium aliorum metallorum?

Respondeo: Comprehendere ob identitatem rationis. Nam constitutio pœnalis loquens de vno solo, quia frequentius contingit, non excludit aliud in quo reperitur eadem ratio, licet rarius accidat, iuxta Gloss. *in Clem. 1. verb. Præsidentes. de rescript.* Sic Alterius *lib. 5. disp. 8. c. 7. col. 6. vers. Filum ferri.* Qui rationem etiam affert, quare in Bulla prohibeatur filum ferri ad Saracenos deferri, & ea est, quia videlicet deferuit ad arcus tendendos, vt sic ducti velocius sagittas emittant. Deferentes igitur filum ferri ad Saracenos aut alios Infideles, verè incidunt in hanc Censuram, nisi aliàs ob paruitatem materiæ excusentur à mortali.

## QVÆSTIO XXXIII.

Quid nomine Stanni, quod etiam prohibetur ad Infideles deferri, Pontifex significare voluerit?

Respondeo: Quod voluerit significare notissimum quoddam metalli genus, quod est liquor primus fluens in fornacibus ex plumbo cum argento in fodinis mixto, vt dicit Plinius *lib. 34. c. 16.* Et quia utile est ad multa in bello, idcirco prohibetur à Papa eius delatio. Sic omnino Alter. *c. 7. cit. col. 7. verb. Stannum.*

## QVÆSTIO XXXIV.

*Quid sit Chalybs, qui, post stannum, prohibetur sub Censura ad Saracenos deferri?*

**R**espondeo quod est genus quoddam ferri magis purum, purgatum, & perfectius communi. Probatur ex illo Virg. 8. Æne. *Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit.* Nam iis verbis clarissimè ostenditur, instrumenta ex chalybe fabricata, esse maximè apta, & accommodata ad prælium; cum chalybs per excellentiam vulnificus appelletur, eo quod maximè ad infligendum vulnus valeat. Huc vsque idem Alterius *loc. cit. verb. Chalybem.*

## QVÆSTIO XXXV.

*An ultra ferrum, & filum ferri, stannum, & chalybem, etiam prohibeat Pontifex omnia alia metallorum genera?*

**R**espondeo: Prohibere expressè, vt constat ex contextu Bullæ. Ideoque quicumque deferret ad Infideles, quoduis metalli genus, etiam ultra expressè prohibita, vt sunt, aurum, argentum, electrum, æs, plumbum, aurichalcum, & similia, nisi ex paruitate materiæ excusaretur à mortali, in hanc Bullæ excommunicationem incideret. Sic omnes, præcipuè Alterius *loc. cit. verb. Omniaque alia metallorum genera,* vbi addit id etiam habere verum, in casu quo esset metalli genus, ex quo arma idonea ad pugnandum formari non possent: quoniam Pontifex simpliciter, & absque vlla distinctione prohibet omnia metallorum genera. Legantur etiam Bonac. *disp. 1. q. 8. puncto 2. num. 6.* Filliuc. *tract. 16. capite 6. questione 4. dicto 4. numero 136.*

## QVÆSTIO XXXVI.

*An pecunia ex auro, argento, aut ære confecta, prohibeatur ad Saracenos deferri?*

**N**egat apud Bonacinam *loc. cit.* Duardus *hic q. 22. n. 3. & q. 38. num. 9.* Quia existimat non comprehendi sub voce metallorum.

Sed, vt certum respondeo: Prohiberi, hoc in Canone: vel quia comprehenditur, nomine *metalli*, eo quod omnis pecunia ex aliquo metallorum genere conficitur, nempe ex auro, argento, vel ære. Aut, vt alij volunt, quia continentur sub illa clausula generali, *Aliaque huiusmodi, quibus Christianos impugnant.* Quia Christiani magis possunt impugnari pecuniis, quam armis. Aut denique comprehenditur sub illis verbis quæ in secunda parte huius Canonis habentur videlicet: *Illisque (id est Infidelibus) ad id auxilium, consilium, vel fauorem præstant.* Quia non minus auxilium præstat Infidelibus, si illis subditetur pecunia ad bellum, quàm si subministrantur arma. Constat ergo quod qui deferunt pecunias ad Saracenos (etiam dato, quod non contineantur sub voce metallorum) incurrunt hanc Bullæ excommunicationem. Sic Nauarr. *capite 27. numero 63. vers. Sexta, quod per aurum.* Suarez *hic disputatione 21. sectione 2. n. 54.* Alterius *libro 5. disputatione 8. capite 6. col. 3. vers. Potest tamen dubitari.* Filliuc. *tractatu 16. capite 6. questione 5. numero 137.* Bonacina *disputatione 1. questione 8. puncto 2. numero 5.* Viualdus *hic casu 7. numero mibi 58.* Hurtadus de Mendoza *disputatione 76. sectione 3. §. 61.* Reginaldus *libro 9. numero 296.* Palao *disputatione 3. puncto 8. num. 6. & communis.*

## QVÆSTIO XXXVII.

*An ex delatione cuiusque instrumenti bellici ad Infideles, hæc excommunicatio incurratur?*

**R**espondeo: Incurri. Quia id sub ea pœna prohibet Pontifex, in hoc Canone his verbis: *Atque bellica instrumenta.* Vnde hæc excommunicatio incurritur, in casu, quo deferantur ad Infideles, tympana, tubæ, fistulæ, litui, cornua, & similia, quibus milites ad bellum excitantur, vel instruuntur. Item scalæ, currus, manus ferreæ, quibus naues detinentur, ne aufugiant. Bombardæ, seu culebrinæ, balistæ, spingardæ, & alia huiusmodi. Sic Nauarr. *cap. 27. n. 68. vers. Sexta. cit. Alterius cap. 6. cit. col. 7. vers. Atque bellica instrumenta.* Sayrus, Duardus, Vgolinus, quos affert & sequitur Bonacina *puncto 2. cit. numero 5. vers. Quinto bellica instrumenta.* Palao *puncto 8. cit. num. 5. & communis.*

## QVÆSTIO XXXVIII.

*Quid prohibeat Pontifex ad Infideles transferre per hanc vocem, Lignamina?*

**R**espondeo: Quod prohibet omnia ligna idonea, tam ad Nauigia, seu Galeas efformandas, quàm ad fabricanda instrumenta bellica, quorum vsus sit ad pugnam. Sic omnes DD. præcipuè Nauarrus *cap. 27. n. 63. vers. Sexta quod per aurum:* vbi sic ait: Per lignamina intelliguntur trabes, & alia ligna nauibus & triremibus, & aliis instrumentis bellicis fabricandis opportuna: quamuis in *d. cap. Ita quorundam,* restrictius lignamina galearum prohibeantur. Sic ille Azor *lib. 8. cap. 23. q. 12.* Alterius *lib. 5. disput. 8. cap. 7. col. 7. vers. Lignamina.* Hurt. de Mendoza *volum. 1. de fide, disp. 76. sect. 3. §. 62.* Reginald. *lib. 9. cap. 18. n. 297. & omnes communiter.*

## QVÆSTIO XXXIX.

*An sub hac voce, Lignamina, comprehendantur naues ipsæ, galeæ, triremes, antenna, & similia?*

**R**espondeo vt certum: Comprehendi. Quia si prohibetur delatio lignaminum, ne ex illis naues, galeæ, & alia præfata confici possint: à fortiori erit prohibitum, ne instrumenta iam formata, asportentur, iuxta illud Arist. *Propter quod unumquodque tale, & illud magis. Authen. Multo magis. C. de Sacrosancta Eccles.* & quidem lignamina prohibentur ne inde ab Infidelibus naues fiant. Sic Nauarr. Alterius, Palao, Hurtadus, & Reginaldus *locis nuper citatis.* Et communis.

## QVÆSTIO XL.

*An incurreret hanc excommunicationem, qui ligna ad ignem solum fouendum, ad Infideles deferret?*

**R**espondeo: Non incurrere. Quia in hoc casu non prohibentur magis, quàm aliæ merces. Secus esset dicendum in casu, quo quis deferret ligna ad Infideles, ad vsus spectantes ad bellum, nempe, vt illis vterentur ad incendendum castrum, vel ad construendum pontem, vt exercitus flumen traicere posset, &c. Quia tunc verè incurreret hanc excommunicationem, vt constat. Sic Nauarr. Alterius, & Hurt. *loc. cit.*

## QVÆSTIO XLI.

*Quid prohibeat Pontifex per verba hæc: Canapem & funes, tam ex ipso canape, quam alia quacunque materia, & ipsam materiam?*

**R**espondeo: Prohibere omnes chordas, nempe, tam maiores, crassiores, & densiores, significatas per vocem *canapem*; quam minores, tenuiores, & graciliores, significatas per nomen *funes*, quæ solent formari, non solum ex canape, sed ex lino, stupa, lana, & aliis; & ex quacunque materia fuerint compositæ, prohibentur sub excommunicatione ad Infideles ferri. Denique prohibet Pontifex ipsam materiam ex qua fiunt ipsæ funes & chordæ, nempe, canapem, stupam, linum, lanam, & quacunque aliam materiam, ex qua communiter conficiuntur dictæ funes, seu chordæ. Sic Alterius *loc. cit. col. 10. pag. 545.* Hurtadus *sektionē 3. cit. §. 64. pag. 603 Palao numero 5. citato. & communis.*

## QVÆSTIO XLII.

*Quid item prohibeat Pontifex, per hæc ultima primæ clausulæ verba: Aliæque huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant?*

**R**espondeo: Prohibere generatim omnes res ad bellum spectantes. Nam recensitis armis, ferro, chalybe, &c. ut complecteretur omnem materiam armorum & machinarum, instrumentorumque omnium, quibus impugnamur à Turcis, Hæreticis, & aliis Infidelibus, adiecit hæc verba: *Aliæque huiusmodi, quibus, &c.* Sic Alterius hæc dicens: Optimè enim Summ. Pontifex post peculiarem enarrationem multarum rerum ad bellum spectantium voluit apponere clausulam generalem, ut complecteretur omnes alias res eiusdem generis, scilicet, ad bellum vitales & necessarias, quibus Christiani ab Infidelibus impugnantur: Eas enim omnes, & singulas in specie recensere, immensum fuisset opus. Quomobrem, sub clausula generali, comprehenduntur vela ad usum nauium, remi, antennæ, machinæ lignæ, vel ex ferro, aut alia materia ad pugnandum, clypei ad defendendum, thoraces, & quæcunque munimenta ex pelle, ferro, seu ex alia materia confecta ad protegendum corpus in pugna accommodata: pulveres ad usum tormentorum bellicorum, sulphura, nitrum, ex quibus huiusmodi pulveres conficiuntur, currus, scala, iumenta oneraria, cameli, & alia similia quæ plurima sunt. Et hæc omnia prohibentur sub pœna excommunicationis. Sic Alterius *lib. 5. disp. 8. cap. 7. in fine.* Hurtad. de Mendoza *loc. cit. §. 65.* Bonac. *disp. 1. q. 8. puncto 2. n. 5. & alij.*

## QVÆSTIO XLIII.

*An in hac Bulla prohibeatur victualia, & vestimenta ad Infideles deferre?*

**A**ffirmant, apud Bonacinam, Nauarr. *in cap. Ita quorundam. n. 63.* & Duard. *hic can. 7. q. 29.* Quorum fundamentum est. Quia in hac Bulla generaliter excommunicantur deferentes ad Infideles prohibita: at sic est, quod delatio victualium & aliarum mercium, est prohibita in Clem. 5. de Iudæis: ergo deferentes ad Infideles victualia, verè remanent excommunicati per hanc Bullam.

Sed iam probabilius longè, imò ut certum, respondeo: Non prohiberi absolute in Bulla Cœnæ, deferre

victualia & vestimenta, aut alias merces ad Infideles. Quia hæc non sunt instrumenta bellica, nisi aliàs subministrantur hostibus Christianorum, eo tempore quo moraliter loquendo, in prudentis æstimatione, conferretur, inseruire hæc eis possent ad impugnandos Christianos; quia tunc verè comprehenderentur in Bulla Cœnæ, vel sub illis verbis: *Atque bellica instrumenta, ut quidam volunt: vel ut alij & melius, sub istis: auxilium, vel fauorem quomodolibet præstantes.* Nam quis neget exercitum, quo Christiani impugnantur, dictis rebus aliquo modo iuuari: ergo eo tempore solo, non alio, incideret in hanc Bullæ excommunicationem, qui victualia, vestimenta, merces, & alia huiusmodi ad Infideles deferret. Verum est quod qui tempore belli: ad Turcas deferret merces, victualia, &c. laboretur in Censuras iuris communis. *cap. Quod olim. de Iudæis.* Et similiter, qui omni tempore, deferret merces, victualia, &c. in Alexandriam & Ægyptum, & Terras Soldani, ut in *Extravag. Multa. de Iudæis.* Non tamen in Censuram Bullæ, nisi in casu assignato. Sic tenent iam communiter omnes, eo quod iam in Bullis Cœnæ nouioribus, minimè sint posita hæc verba, *aliæque prohibita*, sicut fuerant in antiquioribus, sed loco illorum subrogata sunt hæc: *aliæque huiusmodi, quibus Christianos & Catholicos impugnant.* Quibus solum fit relatio ad arma, ferrum, chalybem, & alia instrumenta bellica, quibus à Turcis oppugnantur Christiani. Ex quo constat ad fundamentum Nauarr. Quem hanc nostram sequi doctrinam, ait Hurt. *ubi infra.* Sic Suar. *disp. 2. sect. 2. n. 52. & 56.* Alterius *lib. 5. disp. 8. c. 8. col. 4.* Filliuc. *tr. 16. c. 6. n. 139.* Bonac. *disp. 1. q. 8. puncto 2. n. 6.* Hurt. de Mend. *volum. 1. de fide, disp. 76. sect. 3. §. 65.* Toletus *lib. 1. c. 23. n. 9.* Sayrus *lib. 3. cap. 11. n. 12.* Palao *disp. 3. puncto 8. num. 7.* citans pro hac parte Nauarrum *in cap. Ita quorundam. de Iudæis, notab. 10. n. 13. 34. & 37.*

## QVÆSTIO XLIV.

*An qui certiores facit Infideles & Hæreticos de statu Reipublicæ Christianæ in Christianorum perniciem, hanc Bullæ Censuram contrahant?*

**R**espondeo: contrahere. Quia ita habetur in secunda parte huius Canonis, per hæc verba: *Necnon illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus in Christianorum perniciem & damnum ipsos Turcas & Christianæ Religionis inimicos, necnon Hæreticos in damnum Catholice Religionis certiores faciunt.* Hæc Canon. Ex quibus verbis colligitur, duas condiciones requiri ad incurrendam hanc Censuram. *Prima est*, ut illæ res, de quibus certiores fiunt Turcæ, aut Hæretici, sint tales, quæ concernant statum temporalem, (non spiritualem) & regimen politicum Reipublicæ Christianæ. *Secunda est*, quod id de quo certiores fiunt, cedat in perniciem & damnum Catholice Religionis & Christianæ Reipublicæ. Sic omnes: præcipue mox citandi.

## QVÆSTIO XLV.

*An ut quis hanc Censuram incurrat, debeat certiores facere hostes Christiani nominis, de statu temporali totius Christianæ Religionis?*

**R**espondeo quod non: sed sufficere quod certiores faciat hostes de rebus concernentibus ad statum temporalem partis Christianitatis, ut vnius Regni, Prouinciæ, vel Ciuitatis, aut oppidi, quorum cognitione posset deinde Turca, aut alius hostis Christi

Christi nominis, expugnare Regnum, Ciuitatem, aut Oppidum, aut arcem capere, aut se munire, siue præfenti, siue futuro tempore. Ratio est. Quia in Bulla non dicitur; *de rebus concernentibus statum totius Reipublicæ Christianæ*; sed, *Christiana Reipublica*, quod quidem verificatur, de qualibet Christiana Republica nempe, Regno, Prouincia, Ciuitate, oppido, &c. Sic Sayrus *lib. 3. cap. 11. n. 45.* Vgolinus *hic n. 2. pag. 224.* Duardus *quest. 30.* & Bonac. *disp. 1. quest. 8. puncto 2. numero 29.* Qui secus dicunt, si certiores faciat inimicos dictos in damnum alicuius particularis personæ. Filliucius *tractatu 16. capite 6. quest. 8. n. 149.* Alterius *libro 5. disp. 8. cap. 9. col. 4. vers. Ex dictis infertur. & vers. Secundo infertur.* Palao *disp. 3. puncto 8. numero 18.* & omnes.

## QVÆSTIO XLVI.

*An si quis degens Madridij, v.g. certiores faciat Turcam, aut alium Infidelem, seu Hæreticum, de rebus ciuilibus, aut iocosis, non pertinentibus ad statum, incurrat hanc Censuram?*

**R**espondeo tanquam certum: Non incurrere. Quia scientia talium rerum, nec pertinet ad statum Reipublicæ Christianæ; nec inde possunt inimici in damnum dictæ Reipublicæ aliquid machinari, quæ sunt conditiones requisitæ ad hanc Censuram contrahendam, vt nuper est habitum. Sic Hurtadus de Mendoza *disp. 76. cit. sect. 3. §. 66.* Addens ex doctrina Toleti *lib. 1. cap. 2. n. 12.* Nec incurrere illum, qui consilium dat Turcæ de negotio nulla ratione urgente in nostrum damnum. Nec tandem illum, qui eidem Turcæ fauet cum Rege Hispano in negotio non spectante nostrum incommodum; vt, verbi gratia, quod det aditum, vt medicinæ causa, vxor illius Neapolim veniat. Quia verba Bullæ nuper adducta apertè indicant.

## QVÆSTIO XLVII.

*An si quis certiores faciat hostes Christi Nominis, de præfatis rebus, per nuntium; hac Censura perstringatur?*

**R**espondeo: Quod vterque, nempe, tam mandans, quam nuntius, tali Censura ligetur. Quia vterque reuelat secretum in damnum Christianæ Religionis, mandans, nempe, per alium; nuntius verò, per seipsum. Nec refert quod hic ex propriis, nihil asserat, sed tantum narret dicta à mandante; nam sufficit quod in fide & auctoritate illius, tale secretum reuelet. Sic colligitur ex illis verbis Bullæ: *Per se, vel per alios.* & docent Suarez *disp. 21. sect. 2. n. 58.* Alterius *lib. 5. disp. 8. cap. 9. col. 3. vers. Et incurritur.* Filliuc. *tract. 16. cap. 6. questione 8. n. 150.* Mendoza *volum. 1. de fide, disp. 76. sect. 3. §. 69.*

## QVÆSTIO XLVIII.

*An si reuelatio dictarum rerum fiat per Epistolam, incurrat etiam vterque hanc Censuram?*

**R**espondeo in primis, vt certum, Incurrere hanc Censuram illum, qui literas, seu epistolam mittit. Quia paria sunt mittere nuntium aut epistolam, *capite, Vbi periculum. §. Hoc sacro. vers. Nulli etiam fas sit, de electione in 6.* atqui reuelat per nuntium est excommunicatus per Bullam: ergo & qui reuelat per epistolam, aut literas. In hoc conueniunt omnes.

Respondeo deinde, etiam qui defert epistolam in-

curret hanc Censuram, casu, quo huic latore, aliquo modo, etiam in genere, & confusè, constet literas, seu epistolam quam defert, continere res publicas concernentes ad statum alicuius Regni, Prouinciæ, Ciuitatis, Castri, Regis, Principis, vel Ducis, quamuis in specie nesciat, quæ scribantur: Quia tunc deferendo literas, est causa moralis, vt Infideles sciant res Christianorum, ac proinde moraliter illas reuelat quod interdicitur expressè in Bulla. Secus est asserendum casu quo deferens literas penitus ignoraret argumentum illarum: quia tunc hic non incurret excommunicationem: quia non peccat, nec violat aliquam legem, qua cautum sit ne literæ deferantur ad Turcas priuata negotia continentes. Sic Suarez, Alterius, Filliucius, Mendoza, Bonacina, & Duard. *locis citatis, contra Castrum Palao disputatione 3. puncto 8. numero 19.* contrarium cum aliis sustinentem.

## QVÆSTIO XLIX.

*An etiam incurrat hanc Censuram Bulla, qui alicui proditori narrat consilia Principis Christiani, sciens talem proditorem, certiores faciendum Turcam de statu Regni Principis, in perniciem Christianorum?*

**N**egant Suarez *disputatione 21. sectione 2. num. 58.* Filliucius *tractatu 16. capite 6. questione 9. numero 150.* vbi sic ait: Dico 1. Nunciantes solum per se, vel alios secreta concernentia statum Christianorum incurrere: non autem dantes consilium, auxilium, vel fauorem aliis, vt nuncient. Ratio est. Quia verba illa; *Illisque ad id consilium, auxilium, vel fauorem præstant,* non referuntur ad nunciantes, sed ad Infideles, quibus detur consilium, auxilium, fauor, ad damnum Christianorum. Sic Filliucius ex Suariorum Quibus adheret Palao *puncto 8. citato, num. 20.*

Sed probabilius respondeo: Talem narrantem consilia Principis, proditori, incurrere hanc Censuram. *Primò:* quia probabilius est, quod pronomen *illis,* utrosque referat, nempe, & Infideles, & omnes alios, qui arma ferunt, & certiores faciunt hostes, vt optimè probat Mendoza, *vbi infra:* ergo probabilius erit, quod nuncians secreta Principis, proditori, in damnum Christianæ Religionis, hanc Censuram incurret.

*Secundò.* Quia, adhuc dato, quod hoc pronomen, *illisque,* referat solum Infideles, adhuc nuncius referans secreta Principis dicto proditori, tenebitur hac Censura: nam proditio consilij secreti Principis, fauor est in Infideles, seu Turcam, qui ipse emeret caro: ergo ob præstitum Turcis fauorem, tali tenebatur Censura. Sic Hurtadus de Mendoza *volum. 1. de fide, disputatione 76. sectione 3. §. 68.* Et antea, Vgolinus *hic vers. Secundo afficit.* Duardus *questione 38. n. 2. & quest. 34. n. 2.* Alterius *lib. 5. disp. 8. cap. 10. col. 2.* Bonac. *disp. 1. quest. 8. puncto 1. num. 2.* & alij.

## QVÆSTIO L.

*An hac Censura innodetur, qui Turcas, aliosue Infideles, certiores facit, de ijs, quæ iam nouerant, ita ut nil noui sciant de tali denunciatione?*

**A**ffirmant, talem denunciantem remanere in eo casu Bullæ Censura innodatum, Vgolinus *hic §. 1. num. 12. pag. 199.* & Alterius *disp. 8. cit. e. 9. col. 5. vers. Sed quæret aliquis.* Qui id probat. Quia prædictus denunciatus, quantum est ex parte sui, vult reuelare occulta in damnum Reipublicæ Christianæ: ergo vult violare hunc Canonem: ergo incurrit excommuni

excommunicationem, cum per se id agat, quod per se prohibetur. Nam per accidens euenit, vt ea quæ denunciatur sint nota infidelibus.

Sed probabilius respondeo: Non innodari in eo casu censura, qui Turcas certiores facit de iis, quæ ipsis iam nota erant, modo nihil noui addat. Quia huiusmodi denunciatio, non facit in dicto casu actum completum sub censura prohibitum: ergo. Antecedens probatur, quia reuera non facit Turcas certiores de rebus occultis pertinentibus ad statum Reipublicæ Christianæ; cum illi, qui certi sunt, certificari amplius non possint, iuxta reg. iuris in 6. *Eum qui certus est, certiorari ulterius non potest.* Sic Duardus q. 33. n. 2. & Bonac. q. 8. cit. punct. 4. n. 5.

## QVÆSTIO LI.

*An qui vi tormentorum reuelat infidelibus res ad statum Reipublicæ concernentes, incidat in hanc censuram?*

**A**ffirmant Alterius lib. 5. disp. 8. cap. 9. col. 6. quæst. 2. & cap. 10. col. 1. Vgolinus hic §. 2. vers. Tertio afficit, pag. 225. Vasquez, Syluester, Azor, & Becanus, quos affert, & sequitur Bonacina hic disput. 1. quæst. 8. punct. 4. num. 9. Ratio eorum est, quia commune & publicum bonum præferendum est priuato commodo: ergo quodcumque malum debet quis sufferre priusquam occulta ad statum Christianæ Reipublicæ concernentia inimicis eiusdem reuelat: ergo in hoc casu Ecclesia præsumitur obligare, & transgressorem huius præcepti naturalis, pœna censuræ punire.

Sed æquè probabiliter respondeo: Non incidere in dicto casu in huius Canonis censuram. Ratio est generalis: quia præcepta humana non obligant cum tanto rigore, saltem quoad pœnas; vt supra tract. 1. disp. 9. quæst. 25. diximus. An verò, in dicto casu, peccarent reuelantes, quando reuelatio vergeret in damnum commune Christianorum, affirmant DD. communiter cum Soto de rat. teg. secr. membr. 3. quæst. 4. conclus. 6. Sed quidquid sit de obligatione, certum est, eam, si adest, non ex vi præcepti humani, sed iuris naturalis obligare ad culpam. Sic Filliucius tract. 16. cap. 6. q. 8. n. 151. Duardus lib. 2. canon. 7. quæst. 32. Valentia, & Salas apud Bonacinam loc. cit. Legantur dicta à nobis supr. q. 16.

## QVÆSTIO LII.

*An narrans alicui fideli secreta Principis Christiani, vt ea, in damnum Christianorum, detegat Turcis; ligetur censura Bullæ, etiam antequam fidelis detegat?*

**N**egabunt certè, qui existimant narrantem secreta Reipublicæ Christianæ, Regis, seu Principis, &c. alicui Catholico, vt infidelibus reuelat nullo modo iucurrere excommunicationem, Hi sunt Suarez, Filliuc. & Palao, relati supr. quæst. 49. Sed, omiſſa hac opinione, loquendo iuxta affirmatiuam nostram, ibi traditam, adhuc

Respondeo: Non ligari censura, antequam fidelis nuncius detegat Turcis secreta sibi reuelata. Ratio est, quia ad incurrendam hanc Bullæ censuram, necessariò requiritur, vt Turcæ certiores fiant de statu Reipublicæ Christianæ, seu Principis: ergo antequam hæc conditio adimpleatur, non ligabitur censura, ille, qui narrauit secreta alteri, vt ea Turcis reuelaret. Sic Alterius lib. 5. disp. 8. cap. 9. col. 4. vbi docet, ob hanc rationem, non incidisse in hanc censuram, qui aliquam Epistolam scripsit, in qua secreta nunciaue-

R. P. Leand. de Censuris.

rat Turcis, ad ipso ramentum non peruenit, eo quod in itinere fuerit intercepta, vel deperdita. Nec similiter incidisse Nuncium, eorundem secretorum, qui non peruenit ad ipsos Turcas, quia captus fuit in via, aut si peruenit ad eos, mutato consilio, nihil voluit reuelare. Sic etiam Bonacina disput. 1. quæst. 8. punct. 4. n. 4. vbi idem docet de illo, qui mandauit arma ad infideles deferri, sed mandatarius reipsa non derulit, quia cum tunc effectus non fuerit secutus, nec mandans, nec mandatarius excommunicatione fuerunt obstricti.

## QVÆSTIO LIII.

*Quid prohibeatur per illa verba Canonis: Illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant?*

**R**espondeo quod prohibeatur, præbere auxilium, consilium, vel fauorem, quomodocumque, infidelibus, aut Hæreticis in damnum, & perniciem Christianorum. Constat id ex verbis Bullæ, & ex cap. Ita quorundam, de Indeis, & cap. Ad liberandam, eod. tit. Et docent omnes DD. Inde inferentes, incurere hanc excommunicationem, qui consulit infidelibus, aut Hæreticis, vt turres, & arces ædificent, bombardas asportent & similia; quia tale consilium, est in damnum Christianorum. Legantur Authores mox citandi.

## QVÆSTIO LIV.

*An auxilium, consilium, & fauor, sint actiones principaliter, non accessorie, in hoc Canone prohibita?*

**N**egant aliqui Doctores, existimantes, tales actiones non esse principaliter prohibitas in hoc Canone, sed accessorie tantum ad delationem, & transmissionem armorum, ita vt sensus Pontificis sit, eos, qui consilium, auxilium, & fauorem præstant deferentibus, vel transmittentibus arma, incidere in hanc censuram.

Sed probabilius longè respondeo: Prædictas actiones principaliter prohibitas esse, etiam præcisa delatione armorum. Quia si tantum fuissent accessoriae ad delationem, & transmissionem armorum, & in horum solummodo detestationem, potius dixisset Pontifex ad ea, quàm, ad id: vt sic indicaret, dantes consilium, auxilium, &c. ad supradicta facienda, principaliter prohibita, etiam comprehendi. Dixit tamen, Ad id, vt potius significaret finem præstandi auxilium, & consilium ad perniciem & damnum Christianorum, & sic prohiberet singulas ex iis actionibus hoc est, quomodolibet consilium præstetur infidelibus in damnum Christianorum, siue deferendo, siue transmittendo, siue nunciando, siue dando consilium solummodo illis quomodo se debeant gerere in aliqua re occurrente. Sic Filliuc. tract. 16. cap. 6. q. 10. n. m. 153. Suarez disp. 21. sect. 2. n. 59. Alterius lib. 5. disp. 8. cap. 10. in verb. Illisque, Duardus, & Vgolinus, quos citat, & sequitur Bonac. disp. 1. q. 8. punct. 1. num. 3. & Palao disp. 3. punct. 8. n. 21.

## QVÆSTIO LV.

*An consulens infidelibus aliquid in damnum Christianorum incidat in hanc censuram, casu, quo inde nullum damnum Christianis sequatur?*

**N**egant Suarez, & Sanchez apud Bonacinam quos ipsemet sequitur hic disp. 1. quæst. 8. punct. 2.

Cc num. 25.



num. 25. Quia, inquit, censura non incurritur, nisi secuto effectu sub censura prohibito; effectus autem sub censura prohibitio in hoc Canone, non censetur adesse, donec ab infidelibus aliqua ratio Christianis damnificata fiat, cuiusmodi est turrim ædificare, &c. Ita ille. Quem sequitur Palao loco cit. num. 22.

Sed probabilius respondeo: Incidere in censuram hanc quemcumque, qui, quomodolibet consilium, auxilium, vel fauorem præstat infidelibus, aut Hæreticis in damnum Christianæ Reipublicæ, etiamsi ipsi ex præstito consilio, auxilio, vel fauore, non moueantur ad inferendum vllum damnum Christianis. Quia, cum hæc actio sit principalis, & per se principaliter prohibita, vt nuper est habitum, quicumque illam exercet remanet innodatus excommunicatione, etiamsi non sequatur crimen cuius gratia illa interdicitur. Licet enim regulariter, vt quis ex consilio teneatur, requiritur, vt delictum secutum sit, vt notat Cardin. in Clement. 1. in princip. in quæst. 12. de pœnis: tamen quando consilium per se prohibetur, tunc est per se titulus criminis, & subiicitur pœnæ, nulla alia re expectata. Decius in cap. 1. num. 10. vers. Et hoc verum intelligitur, de offic. deleg. Sic omnino Alterius lib. 5. disp. 8. cap. 10. col. 2. vers. Sequitur quartò (ex quo patet responsio ad fundamentum Bonacinæ) Vgolinus hic in verb. Illisque, num. 1. vers. Postremo. Duardus hic quæst. 38. num. 20. Qui idem sentiunt de reuelantibus secreta. Et hanc sententiam esse valde probabilem fatetur Bonacina vbi supra.

#### QVÆSTIO LVI.

*An Christiani, qui opem ferunt Saracenis, pugnando cum illis contra alios Christianos, sint hac excommunicatione obstricti?*

Respondeo tanquam certum: Esse, quia hi non solum ferunt auxilium Saracenis in damnum Reipublicæ Christianæ, verum etiam sunt confortes, in crimine, & idè potius sunt vocandi facientes, quàm auxiliantes. Sic Decius in cap. 1. num. 11. de offic. deleg. & Glossa in Clement. 1. de pœnis, verb. Defensauerit, & Alterius loco cit. vers. Duobus modis. Qui idem dicunt de Christianis, qui auxilium ferunt Saracenis contra alios Christianos, non pugnando simul cum illis, sed auxilium præstando ad pugnam, vt præbendo victualia, milites, magistros Nauium, & similia. Deinde sunt etiam excommunicati qui fauent Turcis contra Christianos; & tales remanent Principes Christiani, qui permittunt, vt Turcæ, ituri ad prædandos Christianos, vel ad oppugnandum aliquam eorum urbem, transeant per suas terras, aut loca, cum id impedire valeant. Sic Alterius loco citato, vbi alia adducit exempla. Legatur.

#### QVÆSTIO LVII.

*An incidat in hanc excommunicationem, qui mandat, aut consulit, vt Christus opem infidelibus ferat, subministrando illis arma, equos, & alia prohibita?*

Negant Sayrus lib. 3. cap. 11. numero 25. & Toletus cap. 23. numero 5. vers. Aliud dubium, apud Bonacinam, Hurtadum, & alios. Sed certè Toletus loco citato, oppositum insinuat, nisi hoc errore impressionis contigerit. Ait enim sic: Idcirco sub hac excommunicatione contra deferentes, com-

prehenduntur mandantes. Sed quidquid velit Toletus,

Respondeo dicendum verè incidere in excommunicationem. Tum; quia probabilius est talem mandantem, aut consulentem contineri sub illis verbis Canonis; deferentes per se vel per alios. Tum etiam, quia dato, hos non contineri sub dictis verbis, continentur sub verbis: præstantes auxilium, & fauorem. Sic Rebuffus hic art. 5. verb. deferunt. Azor lib. 3. cap. 23. quæst. 13. Alterius lib. 5. disp. 8. cap. 10. col. 3. vers. Et primò. Bonacina disput. 1. quæst. 8. punct. 2. num. 22. Hurt. de Mendoza de fide, vol. 1. disp. 76. sect. 3. §. 72. & alij communiter.

#### QVÆSTIO LVIII.

*An mandans, aut consulens, vt Christianus opem, aut fauorem infidelibus, subministrando illis arma, & alia, ferat; maneat excommunicatus, etiam non secuto effectu?*

Affirmatiua pars suaderi potest. Quia, qui auxilium præstat infidelibus in damnum Christianorum, manet excommunicatus; etiamsi infideles damnum Christianis non inferant. Et similiter manet, qui consilium ad id ipsum infidelibus dat, etiamsi hi non moueantur: ex huiusmodi consilio ad damnum Catholicis faciendum: ergo eodem modo manebit excommunicatus, qui mandauit, aut consuluit alicui, vt opem ferat infidelibus subministrando illis arma in perniciem Christianorum, etiamsi huiusmodi mandatarius re ipsa talem opem infidelibus non ferat. Consequentia patet à paritate rationis, antecedens verò constat ex nuper dictis q. 55.

Sed probabilius respondeo: Non manere excommunicatum, nisi sequuto effectu, quia deferens arma ad infideles, & non tradens, non manet excommunicatus: ergo neque mandans, aut consulens, antequam mandatarius vi mandati, aut consilij ductus opem, aut fauorem tribuat infidelibus. Sic Duardus hic quæst. 16. num. 7. Alterius lib. 5. disp. 8. cap. 10. col. 3. vers. Non est autem, & Bonacina quæst. 8. cit. punct. 2. num. 23. Quia ad rationes pro parte affirmatiua adductas, bene respondet, negando consequentiam aut paritatem. Quia qui dedit auxilium, aut consilium infidelibus, præstitit actionem principaliter, & per se in isto Canone vetitam, & idè quamuis infideles non sint moti illo auxilio, aut consilio ad inferendum damnum Christianis, verè incidit in excommunicationem. At verò qui mandatum, aut consilium alteri dedit, vt ferret opem infideli, v. g. arma, victualia, & alia, ille autem non dedit ob reuocationem mandati, aut consilij, vel alia de causa, non incidit in excommunicationem huius Canonis, in quo dicitur, Illis, qui ad id consilium præstant, hic autem non dicitur verè consilium infideli præstitisse.

#### QVÆSTIO LIX.

*An sit hac lege excommunicatus, qui defendit alium, vt tuto valeat opem præstare Turcis contra Christianos?*

Respondeo tanquam certum: Esse excommunicatum, quia aliquo modo iuuamen præstat Turcis contra Christianos, quod expressè est in Bulla prohibitum. Vnde infertur excommunicatum manere, qui defendit Petrum, v. g. volentem adiuuare infideles, vel Hæreticos, protegendo eum factis, vt tuto exequatur suum intentum; aut verbis eum excitando, laudando, & commendando opus, &c. Sic Decius

in cap. 1. de offic. deleg. num. 13. dicens manere huiusmodi excommunicatum, quia defendit delictum, quod prohibetur, iuxta illud quod habetur in cap. Qui consentit 11. quest. 3. Si quis peccantem defendit, acrius quam ille, qui peccavit coërceatur. Et in cap. Qui aliorum 24. q. 3. Qui aliorum defendit errorem, multo amplius damnabilior est illis, qui errant. Legatur Alterius cap. 10. cit. ubi idem docet de consentiente eidem; nam eodem modo incidit in censuram huius Canonis, qui consentit, ut alter aliquid utilitatis, & adiumenti afferat infidelibus, & Hæreticis in damnum Christianorum, iuxta regulam iuris, Agentes & consentientes pari pœna puniuntur.

## QVÆSTIO LX.

An etiam incidat in hanc excommunicationem, qui potest impedire, ne Christianus opem ferat Turcis, aut Hæreticis, & non impedit?

Respondeo etiam incidere, vel quando ratione officij tenetur prohibere, & non prohibet: Vel quando, quamvis non teneatur ex officio prohibere, potest tamen absque periculo, & damno suo, tamen dolose ex intentione non vult obuiare, aut prohibere talem actionem, quia vterque vult moraliter in eodem crimine esse participes. Secus est dicendum de illo, qui ex sola negligentia, vel aliquo timore humano, aut alia de causa excusante à culpa mortali, omittit impedire, quia iste non innodabitur dicta excommunicatione. Sic ex Abbate, Ioan. Andrea, Innocent. Decio, Caiet. Couarruua, & aliis docet latè Alterius lib. 5. disput. 8. cap. 10. columna 5. & 6. pag. 555. & 556.

## QVÆSTIO LXI.

An ille, qui ratum habet, quod aliquis infidelibus, aut Hæreticis præstiterit opem, veluti arma, & similia, obstringatur excommunicatione huius Canonis?

Respondeo tanquam certum: Non obstringi (quamvis aliàs mortaliter peccet ratum habens delictum commissum.) Tum; quia in hoc Canone nullum de ratificatione verbum habetur. Tum etiam; quia finis huius prohibitionis est ne aliqua re adiuventur, contra Christianos, Turcæ, aut alij infideles, vel Hæretici: at qui solum ratum habet opus, seu subsidium, antea per alium præstitum Turcis, &c. nullo modo cooperatur contra Christianos in eorum damnum, siquidem præsupponitur iam factum: ergo. Sic Alterius loc. cit. col. 6. vers. Superest, ut de eo. Duard. hic q. 17. à n. 5. Bonacina disp. 1. q. 8. punct. 2. n. 28.

## QVÆSTIO LXII.

An captiui Christiani remigantes in triremibus Turcarum, metu mortis, vel verberum, contra Christianos, incidant in hanc excommunicationem?

Affirmant nonnulli, qui existimant hos remigantes in hoc euentu mortaliter peccare, quia opinione supposita id esse probabilius affirmat Lessius lib. 2. cap. 18. n. 123.

Sed longè multò probabilius respondeo non incidere. Primo: quia longè probabilius est non peccare mort. Secundo, quia præceptum humanum, quale est prohibitio sub censura huius Bullæ, non obligat cum discrimine vitæ, aut alio graui damno. Sic communiter omnes Doctores, etiam ex illis, qui non excu-

R. P. Leand. de Censuris.

sant dictos captiuos remigantes, modo dicto à peccato mortali, de quo statim. Qui tamen secus dicunt, de Christianis, qui vtrò, aut ex cupiditate, vel alia ratione voluntaria, remigant in triremibus Turcarum, nam tunc manifestè incurrunt hanc censuram; cum tunc absque graui, & honesta causa excusante, præbent auxilium Turcis contra Christianos. Legantur Nauarrus in manuali, cap. 27. num. 63. & in cap. Ita quorundam, de Ind. notab. 11. Suarez disput. 21. sect. 2. num. 60. Filliucius tract. 16. cap. 6. quest. 9. Alterius lib. 5. disp. 8. cap. 10. Bonacina hic disp. 1. quest. 8. punct. 4. num. 7. Hurt. de Mendoza de fide, vol. 1. disp. 76. sect. 3. subsect. 6. §. 105. & seq. Dicastillo de Iust. tom. 1. lib. 2. tract. 2. disp. 4. dub. 7. n. 122.

## QVÆSTIO LXIII.

An saltem peccent mortaliter contra ius naturale, & diuinum, captiui Christiani remigantes in triremibus Turcarum Christianos inuadentium, metu mortis, verberum, &c.

Affirmant plures & graues Doctores. Quia, inquit, nullam ob causam possumus cooperari actioni prauæ: sed qui remis agunt naues cooperantur actioni prauæ: Tum, quia Naues vehunt Turcam, illumque constituunt, ubi aggrediatur, & oppugnet Christianos. Tum etiam, quia ipsæ Naues impetum faciunt, illuduntque nostras. Tum denique, quia nisi tunc non essent remis impulsæ, nihil omnino Turca posset. Ita tenent Nauarrus in summa, cap. 27. num. 6. & cap. Ita quorundam, de Iudeis, notab. 11. num. 10. & 11. Toletus in summa, cap. 24. num. 8. Suarez disput. 21. sect. 2. à num. 60. Vgolinus de Censuris Papa reservatis, part. 2. cap. 3. §. 2. vers. Ac omnes eorum fautores. Viualdus hic casu 7. num. mihi 68. Comitulus lib. 4. respons. quest. 8. Graffius 1. part. lib. 4. decis. cap. 18. num. 6. Sayrus lib. 3. cap. 7. num. 8. Salas, Beia, & Fernandez, quos pro hac parte refert Diana, mox citandus.

Sed probabilius respondeo: Non peccare mortaliter, quia remigare non est de se actio mala, sed indifferens; & licet à captiuis Christianis accommodatè fiat ad finem infidelium pugnantium contra iustitiam; non tamen fit ab eis propter eum finem, sed ad vitandum proprium damnum, qui quidem finis bonus est. Sic Corduba in summa, quest. 137. dub. 2. Nauarra lib. 3. de restit. cap. 4. dub. 4. fine. Molina tom. 1. de iustitia, disp. 115. concl. 1. Azor tom. 1. lib. 2. cap. 17. q. 6. & lib. 8. cap. 23. q. 17. Lessius lib. 2. de iust. cap. 9. dub. 18. n. 122. & 123 & cap. 3. dub. 3. num. 30. Sa verb. Peccatum, n. 9. Lopez 1. p. instruct. cap. 60. fine Rodriguez in Bulla Cruc. §. 9. n. 85. Quos omnes citat, ac sequitur Thom. Sanchez lib. 1. sum. cap. 7. n. 18. Lorca de Charit. disp. 51. n. 11. Valquez de restit. cap. 9. §. 1. num. 39. & 40. Reginaldus lib. 21. cap. 8. n. 119. Rebellus lib. 2. quest. 14. sect. 7. Ioan. de Castillo tom. 1. de iust. lib. 2. tract. 2. dub. 7. n. 122. & 126. Hurtad. de Mendoza de fide, vol. 1. disp. 76. sect. 3. §. 107. Alterius lib. 5. disp. 8. cap. 10. vers. Duo alia sunt dubia. Tannerus, Layman, Naldus, Turrian. Filliuc. Benzoni, Soufa, Hortiz, Auila, Villalobos, Duardus, & Vega, quos refert, ac sequitur Diana 3. part. tract. 5. resol. 36.

Ad argumentum, concessa maiori, nempe quod nullam ob causam possumus cooperari actioni intrinsecè prauæ; neganda est minor: ad cuius primam probationem, dicendum est, quod vectura illa Turcarum, de se non sit pugna, nec per se ordinetur ad illam, sed est omnino indifferens ad alios vsus; Turca verò per suam malitiam abutitur eo loco ad pugnam, quod captiuis remigibus est per accidens. Itaque illa vectura, non est physicè cooperatio; quia non est

pars operationis intrinsecè malæ, quæ est pugna; nec moraliter; quia non tenentur cessare tunc cum tanto dispendio ab actione per se indifferenti. Pro responsione autem secundæ & tertiæ probationis minoris fit

QVÆSTIO LXIV.

*An captiui Christiani remigantes in Nauibus Turcarum, mortaliter peccent, si de mandato Turcarum, sub comminatione verberum, aut mortis, Nauim rostratam ita impellunt, vt ipsa rostro, Nauim Christianorum infringat?*

**R**espondeo vt certum, mortaliter peccare, & incurere vltius censuram. Quia talis actio, per se est iniusta, damnificatoria, & intrinsecè mala; cum sit formalis pugna in bello iniusto contra Christianos; non secus ac si quis ex remigibus, de mandato eorumdem Turcarum, bombardam, aut tormenta displodat ad murum demoliendum; sagittas mittat, aliave ratione, contra Christianos pugnet; quia tunc directè oppugnat Christianos, quod intrinsecè est malum, etiamsi metu mortis id faciant. Ex quo constat ad secundam probationem minoris *quæst. antecedenti*: Concedenda namque est; quia illa actio est formalis pugna, & intrinsecè mala, & pro semper prohibita. Sic omnes Authores pro vtraque sententia *ibidem* adducti: præcipuè Dicastillo, & Hurtado, qui benè addit, secus dicendum, casu quo Remiges Christiani Nauim Turcarum ita impellant, vt Naues Christianorum non elidant, nec labefactent, sed præcisè illis sit propior, ita vt inde Turcæ depugnent; quia tunc, cum hæc actio non sit intrinsecè mala, nec pugna formaliter, sed conditio physicè prior pugna, & indifferens ad hunc aliòsque vsus probos, & prauos, nec mortale patrabunt, nec censuram consequenter incurant.

Ex hac solutione secundæ probationis, patet ad tertiam. Dicendum enim est, nihil inde amplius inferri, nisi quod vectura Nauis Turcarum, sit conditio necessaria ad pugnam; at nec est pugna, nec est determinata ad illam, sed indifferens; quia illâ positâ, potest adhuc non iniri certamen, sed pax. Sic Hurtad. *loc. cit.* §. 121.

QVÆSTIO LXV.

*An licitum sit captiuis Christianis, metu mortis, aut alterius grauis damni, præstare in bello omnia opera, que in pace serui præstare possunt?*

**R**espondeo licitum illis esse. Quia hoc non est per se malum; cum nihil aliud sit, nisi dominorum iussa perficere in officio, quo antea fungebantur, obeundo, quod officium ex se indifferens est.

Ex qua doctrina colligitur pro praxi, licitum esse captiuis Christianis, instante grauissimo periculo, remigare, arma in locum certaminis ferre, prædam humeris afferre, sulphur, & alia instrumenta bellica, Turcis ab ipsis petita ad interficiendos Christianos, porrigere: Schalas, & machinas ad muros admouere: Turcas humeris sustentare, ædificare propugnacula, munire castra, & alia eiusdem generis militari muneri necessaria perficere. (Nisi aliàs, vt statim dicam, ex eo quod captiui eo modo non cooperarentur, maximum reipublicæ damnum euitari posset.) Sic ex Corduba, Molina, Azor, Sà, Lessio, *loc. citat.* docet Sanchez *lib. 1. summ. cap. 7. num. 18.* Hurtad, *loco citato*, §. 121. Ægidius *in 2. 2. disput. 31.*

*dub. 7. num. 104. Lorca ibidem, sect. 3. disputat. 51. num. 10.*

QVÆSTIO LXVI.

*An si urgente bello, censeret aliquis captiuus vitandum esse graue damnum Christianæ Reipublicæ, si ipse à remigio, à porrectione armorum, & ab alijs similibus actionibus, cessaret; teneretur tunc, sub mortali, & sub censura, id facere?*

**A**ffirmant communiter DD. Teneri, etiam cum periculo vitæ, quia bonum commune debet, iure naturali, priuato præferre. Vnde in dicto casu lex charitatis obligat captiuum Christianum, vt se exponat aperto vitæ discrimini ob bonum commune proportionatum suo periculo. Sic Azor *lib. 8. cap. 23. q. 17.* (aut 18. *in ordine.*) Molina *loc. cit. concl. 4.* Lessius *dub. 7. cit. n. 123.* Sanchez *loco cit.* & alij apud Dianam *3. p. tract. 9. resol. 36.*

Respondeo tamen clarius dicendo, quod licet vera sit dicta sententia, ob rationem factam; tamen ordinariè loquendo, & in practica non tenetur captiuus cessare à remigio cum discrimine suæ vitæ, aut alterius grauissimi damni; quia ordinariè loquendo, non impediatur dictum damnum Reipublicæ Christianæ: propterea quod vnus, vel alter à remigando cessent, & idèò regulariter loquendo, habet locum dicta excusatio. Sic Suarez *disput. 21. sect. 2. num. 61.* Mendoza *disp. 76. cit. sect. 3. §. 110.* vbi sic ait: Dico tertio: moraliter rarè contingere potest hæc obligatio: quia nullus tenetur lege charitatis se graui periculo exponere pro bono communi, absque spe probabili de effectu, ob quem charitas obligat: sed non potest moraliter nisi rarè contingere hæc spes: ergo nec hæc obligatio. Minor probatur, quia in bello nauali pendet hic euentus ab omnium Christianorum remigum voluntate, quia prælium committitur multis ratibus, inter quorum Remiges non est familiaritas, nec communicatio. Imò, nec vnus rati Remiges se possunt consulere, sine ingenti difficultate: ergo. Sic Mendoza.

QVÆSTIO LXVII.

*An liceat Christianis in triremibus Turcarum remigantibus, dum descendunt in terras Christianorum, illas deuastare, & bona eorum surripere, casu, quo illis periculum vitæ, aut membri abscissio immineat?*

**N**egant Ægidius *2. 2. disp. 31. dub. 7. num. 104.* Lorca *ibid. sect. 3. disp. 51. num. 10.* Alterius *lib. 5. disp. 18. cap. 10. col. 9. vers. Hæc opinio, in fine*, existimantes, peccare mortaliter; quia exercere talia, per se malum, & iniustum est.

Affirmant tamen è contra, eis licere, Molina *tom. 1. de iustitia, tract. 2. disp. 11. conclus. 5. num. 7.* Castro Palao *tom. 1. tract. 6. disp. 6. punct. 11. num. 12.* & alij. Quia in eo euentu, captiui sunt in extrema necessitate illorum bonorum, quæ deuastant, aut surripiunt ad vitam propriam conseruandam: ergo quantum licitum est cuique in extrema necessitate sumere de bonis aliorum ad conseruandam propriam vitam, tantum damni erit licitum eiusmodi captiuis inferre bonis aliorum Christianorum ad vitam propriam tuendam, aut ad aliud grauissimum corporis damnum vitandum.

Sed distinctione respondeo clarius, dicendo: licitum esse, in eo euentu, captiuis, bona externa aliorum

aliorum Christianorum furripere, & infideli minanti mortem, aut abscissionem membri, tradere; demolire muros, &c. vt docent Authores secundæ sententiæ; nisi alias dominus dictorum bonorum sit in eadem necessitate eorundem ad tuendam propriam vitam: quia tunc non illis licitum furripere bona horum, muros demoliri, &c. nam id esset contra Christianos directè pugnare. Sic Hurr. de Mendoza *disp.* 76. *sect.* 13. §. 14. quem citat, & sequitur Diana *part.* 5. *tract.* 7. *resol.* 30. Addo ego, quod in casibus ita repentinis, valdè difficilè sit cognoscere, aut discernere, an Christiani, à quibus bona à captiuis furripiuntur, sint, vel ne, in eadem necessitate ad tuendam suam vitam, ideòque regulariter loquendo, licitum erit captiuis dicta bona accipere, & mortem minanti tradere, &c.

## QVÆSTIO LXVIII.

*An Christiani remigantes in nauigijs Turcarum, non contra Christianos, sed contra alios infideles, peccent mort. & incidant in hanc censuram?*

**A**ffirmatiuam sententiam tenere Syluestrum *excommunic.* 7. §. 64. ex sententia Anton. de Butr. & Armillam *excommunic.* 14. ait Viuald. *ubi infra*. Sed malè; nam hi auctores non loquuntur de Remigantibus, sed de Regentibus spontè naues Turcarum, de quo statim. Vnde

Tanquam certum respondeo: Tales Remigantes in casibus propositis, nec peccare, nec in censuram incurere, quia non adiuuant Saracenos, seu Turcas contra Christianos; quod est ratio formalis censuræ huius Canonis. Sic Nauarrus, Alterius, Viualdus, Syluester, & Innocent. statim citandi.

## QVÆSTIO LXIX.

*An saltem peccent mortaliter, & incurant excommunicationem, Regentes, aut Gubernantes Naues Turcarum contra alios infideles, non contra Christianos?*

**A**ffirmant Armilla *loc. cit.* & Syluester his verbis: Dico primo, quod incidunt (*in hanc excommunicationem*) secundum aliquos, vt dicit Anton. de Butr. *in cap. Ad liberandam*, Christiani exercentes gubernationem in pyratice nauibus Saracenorum, licèt non contra Christianos, sed contra alios infideles: quia docent eos in arte practica, qua deinde possunt Christianos impugnare. Et hoc tene, licèt non placeat Innocent. quia caput illud, & cap. *Ita quorundam*, loquuntur indistinctè: & hoc factum æquipollet armis delatis in pace quibus Christiani non impugnantur, sed impugnari possunt. Secus tamen si quis non esset Gubernator, sed merus executor; quia de isto, nullibi legitur prohibitum. Hucusque Syluester §. 64. *cit.*

Sed probabilius respondeo dicendum, quod tales Rectores vel Gubernatores Nauim, aut triremium Turcarum, nec afficiantur excommunicatione Bullæ, nec iuris communis, si non exercent hanc artem contra Christianos, quia hæc actio cum sit indifferens non est prohibita, omni tempore, sed solum quando pugnatur contra Christianos. Et sic intelligendus est textus *in cap. Ad liberandam*, vt clarè colligitur ex verbis his ibi habitis: *In dispendium terra Sanctæ*. Sic tenet, & explicat *hoc cap.* Nauarrus *in summa*, cap. 27. num. 63. *in fine*, dicendo sic: Remigantes autem, etiam spontè, vel regentes eorum Naues contra alios infideles, nec excommunicantur,  
R. P. Leand. de Censuris.

nec peccant: quia *d. cap. Ad liberandam*, de regentibus eorum naues contra Christianos intelligendum videtur, &c. Sic ille. Et antea Innocent. *in eod. cap. Ad liberandam*. Alterius *lib.* 5. *disp.* 8. *cap.* 10. *col.* 8. *vers.* *In hac questione*: vbi ait: Aliam esse rationem de armis, quæ sunt res per se prohibitæ omni tempore. Viualdus *hic casu* 7. num. mibi 68. *vers.* *Primum, Christiani*.

## QVÆSTIO LXX.

*An in hanc censuram incidat Princeps Catholicus, qui bellum gerens cum alio Principe Catholico, ad se defendendum aduocat milites infideles, illisque arma prabet, &c.*

**A**ffirmant apud Bonacinam *ubi infra*, Cachetan. Osascho *in disputat. An Principi Christiano*, & alij.

Sed vt certum ferè respondeo. Non incidere in huius Canonis censuram Principem Christianum qui bellum cum alio Christiano Principe gerens, necessitate coactus, non valens alia via se tueri, petit auxilium à Turcis, & Saracenis, illisque ad hunc finem arma, & alia subministrat. *Primo*, quia defensio, iure naturæ est concessa *l. vt vim, ff. de iust.* *Secundo*, quia id esse licitum confirmant exempla Optimorum Principum & Ducum. Nam Machabei auxilium petierunt à Romanis infidelibus. 1. *Machab.* 8. Et Christiani Imperatores, olim ope Ethnicorum militum passim utebantur; & nouioribus temporibus Carolus V. Imperator Hæreticos accersuit aduersus subditos rebelles: & Franciscus Francorum Rex Turcas. Licitum ergo est Christiano Principi aduocate infideles contra alios Christianos, tribus concurrentibus conditionibus. *Prima* quod tunc temporis non urgeat bellum inter Christianos alios & infideles, nec actiue, nec passiuè. *Secunda*, quod vocans infideles gerat iustum bellum, siue offendendo, siue defendendo, & *tertia* vt nulla alia via Christiano supersit ad bellum gerendum, nisi ab infidelibus auxilium postulet. Sic communiter DD. Ioan. Anan. Ioan. Andr. Felinus, Corsetus, Oldradus, quos citat, & sequitur Viualdus *loc. cit.* num. mibi 62. Alterius *lib.* 5. *disp.* 8. *cap.* 5. *dub.* 7. Reginaldus, Valentia, Rodriguez, quos affert ac sequitur Bonacina *hic disput.* 1. *quæst.* 8. *punct.* 4. num. 10. *vers.* *Ad primam*. Duardus *in presenti*, *Can.* 7. *quæst.* 36. num. 18. Palao *disput.* 3. *punct.* 8. num. 13. & alij.

## QVÆSTIO LXXI.

*An saltem incidat, qui fauorem, auxiliūve, præstat infidelibus contra Principem Christianum; ne ita potens fiat, vt ei, aucta potentia, resisti nequeat?*

**N**egant aliqui apud Castrum Palao *infra citand.* Sed tanquam longè verius, & probabilius respondeo incidere in hanc excommunicationem, quia Summus Pontifex apertè excommunicat in septimo Canone eos, qui infidelibus, vel hæreticis Apostolica Sede denunciatis, auxilium, vel fauorem quomodolibet præstant: ergo. Sic Vgolin. *hic cap.* 7. §. *ultimo*, num. 4. Duard. *hic quæst.* 35. num. 2. Bonacina *loc. cit.* *vers.* *His minimè obstantibus*, & alij. Lege Palaum *disp.* 3. *punct.* 8. n. 14. vbi propositæ quæstioni his verbis fit satis: Ego (inquiens) rem totam malo intactam relinquere, quam magnam litem definire.

## QVÆSTIO LXXII.

*An qui arma, & alia instrumenta bellica, ex privilegio Pontificis, ad infideles defert, ligetur excommunicatione Bullæ?*

**R**espondeo vt certum: Non ligari, quia legislator optime potest in suis legibus dispensare. Sic omnes DD. Qui bene addunt, ad validitatem privilegij ad id concessi, debere in eo mentionem specialem fieri huius Canonis, aliàs inuolidum esse, quia Summus Pontifex irritum reddit quodlibet privilegium aliter concessum. Legantur *Alterius lib. 5. disp. 8. cap. 11. Toletus lib. 1. cap. 23. n. 14. Bonacina disp. 1. q. 8. punct. ult. n. 15. & alij citati.*

## QVÆSTIO LXXIII.

*An dentur aliqua privilegia à Pontifice concessa spectantia ad delationem armorum, & alia instrumenta bellica?*

**R**espondeo fuisse olim concessa Genuensibus duo. *Primum* à Sixto IV. vniū vocis oraculo, quo concessit eis præbere infidelibus, præsertim Turcis appellantis ad ipsorum portus funem, seu chordam, non alia arma, seu instrumenta bellica, præbere. *Secundum* à Iulio II. anno 1504. in quo eisdem concessit ad centum annos deferendi ad eosdem Turcas, stannum, plumbum, æs, & huiusmodi metalla: non tamen arma, aut equos. Meminere horum privilegiorum, Tabiena *verb. excommunicatio 6. num. 5. Syluester excommunicatio 7. §. 58. & alij apud Alterium, Bonacinam, & Toletum locis citatis. Mendoza volum. 1. de fide, disput. 76. sect. 3. subsectione 7. §. 125. & sequent. & alij plures.*

Qui omnes addunt, modò sublata esse hæc, & omnia alia privilegia concessa à Sede Apostolica adiuuandi Saracenos, & transmittendi illis arma, & alia instrumenta, in quibus de huiusmodi prohibitione mentio non fiat. Legantur DD. citati.

## QVÆSTIO LXXIV.

*An licita sit consuetudo, quam Toletani ciues cum Africanis obseruant, mittendo ad ipsos, per ciuitatem Orani, pileos rubros?*


**R**espondeo esse licitam, quia certè absque vilo scrupulo Toletani dictam mercaturam exercent. Et licet nobis non constet, an dicta consuetudo ex aliquo antiquissimo privilegio sit introducta, facillè tamen credi potest illis fuisse concessum; cum enim præcipuè bellum ardeat inter Hispanos, & Alarabes, prouidendum erat illis, ne suos arment implacabiles hostes. Sic Mendoza, licet non ita firmiter, *subsect. 7. cit. §. 129.*

## QVÆSTIO LXXV.

*An etiam licitum sit commercium, quod ciues Orani cum Alarabibus vicinis habent?*

**R**espondeo etiam esse licitum, quia (inquit Mendoza) Alarabes pacatè nobiscum agunt, sine quorum communicatione, non possent viuere alij milites præfidiarij, qui Orani castra fixere ad frænandos Alarabes, ne in Christianos erumpant: extrema ergo necessitas alendi militem in perniciem Alarabum, & commodum Christianorum, adigit Hispanum ad communicationem in mercibus, quæ utilissima est Hispanis. Alarabes enim nihil fiunt ea communicatio-

ne fortiores, vt experientia testatur; sed cicurantur potius ab Hispanis, & in societatem rediguntur: Si verò pro cera quam Bugiâ, & ex aliis oppidis asportamus, alias remittimus merces; certò certius est, id fieri annuente Pontifice: singulari enim Dei beneficio ab Hispania recuperata à sæculo non est audita, vel minima nostrorum Regum in Romanum inobedientia. Si quando verò imminere visa sunt bella inter Romanum, & Hispanum; non agebatur, vt inter Ecclesiæ caput, & Regem Hispaniæ; sed vt inter duos Principes temporales. Hucusque Mendoza *volum. 1. de fide, disp. 76. sect. 3. subsect. 7. §. 131.*



## DISPUTATIO VIII.

*De octaua Excommunicatione lata contra impediētes victualia, & alia necessaria ad Curiam Romanam deferri.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*Contra quas personas lata sit hæc excommunicatio?*

**R**ESPONDEO quod contra omnes impediētes, seu inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curie necessaria adducunt: Ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant; seu hæc facientes defendunt per se, vel per alios, cuiuscunque Ordinis præminētia, conditionis, status, etiamsi Pontificali, seu Regali, aut alia quauis Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate. Sic textus. Per quem fati patet contra quas fertur hæc censura.

## QVÆSTIO II.

*An omnes, qui impediunt, inuadunt, prohibent & perturbant eos, qui victualia ad usum Romanæ Curie adducunt, sint hæc censura innotati?*

**R**espondeo esse: Constat ex verbis adductis. Sic omnes DD. notantes quid vnumquodque ex dictis verbum significet. Nam verbum *impedire* significat actionem, qua quis alteri obstat, siue detinet, quauis ratione id efficiat. *Inuadere* significat actionem violentam in alterum: seu aggredi aliquem cum impetu. *Prohibere*, & *Perturbare* significant, impedimentū aliquod afferre, confundere, & commouere ne id quod paratur ad exitum perueniat. Quisquis ergo impedit, vel inuadit, prohibet, vel perturbat aliquem, ne victualia, seu alia ad usum Romanæ Curie necessaria transportet excommunicatus existit. Legantur Vgolin. *hic cap. 8. n. 1. Duardus Canone 8. q. 2. Alterius lib. 5. disp. 9. cap. 3. Bonac. hic disp. 1. quest. 9. punct. 1. & alij.*

## QVÆSTIO III.

*An qui non vult res suas vendere, vt ad Romanam Curiam deferantur, comprehendatur sub hæc censura?*

**R**espondeo non comprehendendi, quia, qui non vult res suas vendere, nemini impedimentum affert, aut

aut molestiam, ne victualia adducat ad Curiam, quod in hoc Canone prohibetur; nam non vendere, non dicit actionem, sed negationem actionis. Sic Suarez *disput. 21. sect. 2. Censura octava, num. 64. Alterius lib. 5. disput. 9. cap. 4. vers. Item. Duardus hinc Can. 8. quest. 2. num. 2. Bonacina loc. citat. num. 3. & punct. 2. num. 11. Reginaldus lib. 9. num. 307. in fine. Addentes idem dicendum esse etiam casu, quo quis nollet vendere res suas, hac intentione, ut ne ad Curiam deferantur. Quia quamuis grauitur contra charitatem peccaret, si Curia remaneret priuata victualibus, & posset puniri, imò & cogi ad vendendum; nihilominus excommunicationem non incurreret.*

## QVÆSTIO IV.

*An saltem comprehenderetur sub hac Censura, qui absque ulla vi, victualia emeret ab eo qui deferret ad Curiam, & ita impediret ne Romam asportarentur?*

Respondeo dicendum, quod comprehenderetur, si emeret intentione impediendi, ne victualia asportarentur ad Curiam, quia directè impediret contra hunc Canonem. Secus verò si emeret quis dicta victualia, quia illis indigeret ad vsum proprium, aut lucri gratia, ut iterum reuendat, quia tunc non impedit per se, & principaliter, sed sibi consulit, & ita non incidere in excommunicationem huius Canonis. Sic Suarez, Reginaldus, & Alterius *locis nuper citatis*, Bonacina *disput. 1. quest. 9. punct. 2. num. 16.*

## QVÆSTIO V.

*An Princeps, seu Gubernator, qui, pœnis apposis, prohibet, ne quis extrahat à sua ditione triticum, vinum, & huiusmodi, ad portanda ea ad Rom. Curiam ut sua Prouincia consulat, incidat in Censuram huius Canonis?*

Respondeo non incidere. Quia omni iure tenetur Prouinciæ necessitatibus, antequam consentiat talia extrahi, ne contingat illud, quod legitur in Euangelio: *Ne forte non sufficiat nobis, & vobis.* Vnde in hoc casu, solum id, quod tenetur, faciet. Sic Caietanus *excommunicat. cap. 19. Nauarrus cap. 27. n. 64. vers. Secunda, quod. Angelus, Syluest. & Armilla, quos citat, & sequitur Viualdus hinc casu 8. num. mihi 71. Bonacina disput. 1. quest. 9. punct. 1. num. 8. & puncto 2. num. 19. & penes ipsum, Alterius, Vgolinus, & Gambarupta. Palao etiam disput. 3. puncto 9. num. 5. Sayrus lib. 3. cap. 12. num. 4. & Suarez disput. 21. sect. 2. num. 63. Qui omnes addunt, secus dicendum, casu, quo Princeps impediret referre dicta victualia, absque iusta causa; quia tunc incidere.*

## QVÆSTIO VI.

*An etiam liceat Principi detinere victualia, quæ ex alieno territorio ad Rom. Curiam aduehantur, si per suum territorium transeant; ut ea in suorum subditorum vsum impendat?*

Affirmant esse ei licitum, casu, quo in suo territorio grauis annonæ caritas vrgeat, Vgolinus *cap. 8. col. 2. vers. Non dolo malo. Duardus lib. 2. can. 8. quest. 4. num. 2. Quos citat, ac sequitur Palao punct. 9. cit. num. 8. Ratio eorum: quia necessitas caret lege. de Reg. iuris, cap. quod non est licitum.*

Sed clarius respondeo: posse quidem licitè detinere tunc victualia; nisi casu, quo Curia Romana in maiori, aut saltem in æquali necessitate existat; quia

in hoc euentu, non in primo, ius maius habet Curia Romana; cum in ipsius commodum; & necessitatem victualia deferrentur. Sic Bonacina *disput. 1. quest. 9. pun. 2. num. 20.*

## QVÆSTIO VII.

*An incurrant hanc Censuram, qui impediunt eos, qui nondum deferre victualia ceperunt, sed deferre volebant?*

Respondeo incurrere. Quia Summus Pontifex non solum excommunicat impediens deferentem victualia; sed etiam illos, qui prohibent ne præfata adducantur, ut constat ex verbis Canonis. Sic Bonacina *punct. 2. citat. num. 5. & penes ipsum, Vgolinus cap. 8. vers. Ac etiam eos, num. 1. Duardus quest. 10. num. 8. & 9. & Alterius lib. 5. disput. 9. cap. 5. col. 3. vers. Octauo alia.* Sed certè hic Author non agit ibi de hac questione, ut constat ex eiusmodi eiusdem verbis Octauo, alia excommunicatio incurritur ex solo impedimento, quoties non obstante impedimento, dicta frumenta adducuntur ad Urbem. At excommunicatio Bullæ, ex sola inuasionem, & impedimento dato, quamuis hoc non obstante victualia deferantur ad Curiam. Id, & non amplius, Alterius, ibi.

## QVÆSTIO VIII.

*An etiam incurrat, qui deferentem ad Curiam victualia, spoliat pecunijs, non ablati victualibus?*

Affirmant, apud Bonacinam, Vgolinus *hic §. 4. vers. Tertio. Duardus Canon. 8. quest. 10. num. 18. & Alterius lib. 5. disput. 9. cap. 4. dub. 1. & 2. Quia prædictus verè inuadit deferentem victualia ad Romanam Curiam: ergo incurrat hanc Censuram, patet, nam ad illam incurrendam non est opus, ut ipsamet victualia auferantur.*

Sed æquè probabiliter respondeo: non incurrere. Quia in eo euentu, non offenditur Romana Curia in victualibus, aut alijs, ad ipsius vsum concernentibus; cum hæc, ut supponimus, non auferantur. Sic Viualdus *casu 8. num. mihi 75. alijs 13. Reginaldus lib. 9. num. 307. & penes ipsum Sayrus lib. 3. cap. 12. num. 4. Bonacina disput. 1. quest. 9. punct. 2. n. 10. Qui hoc limitat, modo prædictus inuadens non spoliatur animo impediendi delationem victualium, quia tunc spoliatus incurreret Censuram, si ob id spoliatus pecunijs, victualia ad Curiam Romanam non deferat. Sic ille. Et benè. Sed adhibita hac limitatione; idem docet Alterius, non aliud. Legatur attentè.*

## QVÆSTIO IX.

*An hanc Censuram contraherent, qui inuaderent deferentem solum pecunias ad Romanam Curiam?*

Negant aliqui, quos, citatis nominibus refert Alterius *disput. 9. citata cap. 2. vers. Sed dubitari possit. Quia pecuniæ, inquirunt, nec sunt victualia, nec connumerati debent inter res necessarias ad Curiam.*

Sed ut certum respondeo: contrahere huius Canonis Censuram. Quia certum est, quod pecuniæ sunt in primis necessariæ Curialibus, cum sine illis, huiusmodi officiales Curie, nec consistere, nec viuere possint: ergo qui inuadunt venientem ad Curiam cum pecunijs, hoc est, deferentem pecunias ad officiales Curie, & Curiales, verè contrahit excommunica-

municationem huius Canonis. Sic Alterius *loc. cit.* Bonacina *num. 10. cit. vers. Secundò intellige.*

#### QVÆSTIO X.

*An eadem innodetur Censura, qui spoliat aliquem victualibus, quæ ab ipso deferebantur ad vsum determinata persone ex Curialibus, seu ex officialibus Curia?*

**N**egatiuam sententiam sustinere Viualdum *loc. cit. num. 74.* Reginaldum, & Sayrum *loc. cit.* etiam *cit. & Duardus quest. 10. n. 6. & 18.* & non sine magna probabilitate, ait Bonacina mox citandus. Sed certè ij Doctores, non loquuntur in casu, quo persona ad quam victualia asportantur est de Curia, vt constabit eos legentibus. Vnde

Vt certum respondeo: innodari eadem Censura. Quia verè inuadit, & spoliat victualibus, eum, qui ea ad vsum Romanæ Curia defert, & portat. Nam, vt benè Alterius, Curia non accipitur pro loco in hoc Canone, sed pro priuatis personis diuersorum ordinum, graduum, & officiorum ipsam constituentium Curiam. (Hæc namque vniuersaliter sumpta, non indiget aliqua re ad sui vsum.) Cum igitur excommunicantur impediens delationem victualium ad vsum Curia, intelliguntur illi, qui impediunt ne deferantur ad ipsos Curiales, & officiales Curia. Sic Alterius *disputat. 9. citat. cap. 4. dubio 2.* Bonacina *disputat. 1. quest. 9. puncto 2. num. 12.* Vgolinus *cap. 8. §. 3. vers. Sextò, & §. 4. vers. Tertio.*

#### QVÆSTIO XI.

*An etiam tali innodetur Censura, qui spoliat victualibus deferentem illa ad priuatam aliquam personam, quæ licet viuat in loco, vbi moratur Curia, non tamen est Curialis, aut officialis Curia, nec famulus, aut familiaris ipsorum?*

**A**ffirmat adhuc innodari, Vgolinus *loco citato.* Sed probabilius longè respondeo: non innodari in hoc casu excommunicatione huius Canonis. Quia Canon loquitur de impediens adducens victualia ad vsum Curia, id est, Curialium: ergo si impediens deferentes ad eum, qui non est Curialis, non habet locam excommunicatio huius Canonis. Sic Alterius, & Bonacina *loc. cit.* Et hoc solum volunt Reginaldus, & Viualdus pro prima sententia quæstionis antecedentis à Bonacina adducti: vt constat ex verbis Viualdi quæ sic se habent: Ex quo infero quintò; illum, qui officio Assassini vtens, vel propter particularem inimicitiam, impeteret aliquem deferentem aliquid supradictorum alicui particulari personæ, ratione emptionis, vel donationis, non esse excommunicatum: Quia illa non erant ad vsum Curia, sed priuatæ personæ. Hæc Viualdus, & Reginaldus, in re, ex illo.

#### QVÆSTIO XII.

*An ligentur Censura huius Canonis, qui deferentem victualia Romam, impediunt, casu quo Curiales ea emere non soleant?*

**R**espondeo ligari. Quia ad hoc, sufficit quod hæc Romam deferantur animo vendendi, & tradendi Curialibus, & aliis ciuibus loci vbi Curia residet. Nam etiam si ciues tantum ea emere solerent, etiam impediens illa deferri ligarentur hac Cen-

sura, eo quod Curia fortè non indiget, quia alij ciues ea ementes faciunt annonam in Curia; vnde si isti impedirentur ab emptione, etiam Curia sentiret eiusmodi damnum. Sic Filliucius *tract. 16. cap. 7. quest. 2. num. 158.* (non 156, vt citat Bonacina) *dicto 3.* Bonacina *disput. 1. quest. 9. punct. 2. num. 6.*

#### QVÆSTIO XIII.

*An feriatur hac Censura qui deferentem victualia ad Curiam, compellit ad soluenda pedagia, & alia onera, quæ soluntur ab alijs iter agentibus?*

**A**ffirmandum videtur. Quia in Bulla Gregorij XIII. post illud verbum; *seu perturbant,* sunt hæc verba: *Vel pro eis aliquid exigunt, aut soluere faciunt:* ergo.

Sed vt certum respondeo: non feriri. Tum, quia dicta verba apposita in Bulla Gregorij, iam in nouis Bullis non habentur. Tum quia qui ad soluenda vectigalia cogit, non iniuste impedit deferentem, etiam si pro solutione pedagij aut vectigalis aliquota victualium soluenda sit. Sic Reginaldus *lib. 9. n. 307.* ex Viualdo hic *num. mihi 70. in nouis 4.* Duardus, & Gambarupta, quos citat, & sequitur Bonacina *disputat. 1. quest. 9. puncto 2. num. 13.*

#### QVÆSTIO XIV.

*An inuadens, aut occidens deferentem victualia ad Romanam Curiam, non animo impediendi delationem victualium, sed ob vindictam, sit hac Censura comprehensus?*

**A**ffirmat Vgolinus hic *cap. 8. §. 4. vers. Tertio.* Sed probabilius respondeo: non comprehendi. Quia huiusmodi non impedit formaliter deferentem victualia, cum primariò & per se intendat ex illo tanquam ex inimico vindictam capere & in moralibus attenditur ad id quod est per se, non verò, quod est per accidens, *l. Non omnes, ff. si certum petat.* Sic Viualdus, cuius verba habes *quest. 21.* Sayrus, & Duardus, quos citat, ac sequitur Bonacina *quest. 9. punct. 2. num. 14.* Qui *num. 15.* addit nec sub hac Censura esse comprehensum, qui equum furtò sibi sublatum, subtrahit de manibus furis illum ad Romanam Curiam adducens.

#### QVÆSTIO XV.

*An, qui deferentem victualia ad Curiam Romanam ob debitum, aut ob patratum crimen, in carcerem tradit, in hanc Censuram incidat?*

**R**espondeo quod non. Quia impediens vtitur iure suo; & per accidens sequitur impedimentum delationis victualium. Sic Duardus *Canon. 8. quest. 10. num. 14.* Bonacina *loc. cit. num. 17.*

#### QVÆSTIO XVI.

*An, qui victualia corrupta, vt pisces putridos ad Curiam Romanam deferri impedit, incurrat hanc Censuram?*

**R**espondeo non incurrere: quia per hoc potius commodum, quam damnum Curia Romanæ infert. Sic Bonac. *loc. cit. n. 18* & penes ipsū, Duard. *g. 10. n. 15.* & Viualdus hic *n. 7. in nouis.* Sed ex his, Viualdus in antiquis nil ad propositum habet: in nouis, nescio.

## QVÆSTIO XVII.

*An peste grassante Roma, ubi nunc est Curia, possit Princeps, aut Gubernator prohibere suis, ne tali tempore & occasione deferrent victualia ad Curiam?*

**R**espondeo posse omnino absque incurfione Censuræ. Quia in hoc Canone, solum prohibetur iniusta, & iniqua inuasio, aut impedimentum, quod praua intentione affertur: non iusta. Sic Nauarrus cap. 27. num. 64. ita scribens: Secunda, quod non comprehendit eos, qui ob vtilitatem suæ Reipublicæ, iustè prohibent victui necessaria, aut peste grassante in Curia suis ad eam proficisci com meatu, & similibus: quia non intendunt impedire: licet ex eo per accidens id consequatur, vt dixit rectè Caietan. *ubi supra, cap. 19. verb. excommunic. facit l. si quis, nec causam, ff. si cert. pet. & cap. Non dubium, de sent. excommunic.* Hæc Nauarrus, Viualdus *hic casu 8. num. mihi 72. Bauny de Bulla Cœna, pag. 302. vers. Quartus est. Alterius lib. 5. disput. 9. cap. 4. col. 1.*

## QVÆSTIO XVIII.

*An nomine Victualium intelligantur omnia que ad esum, potum & vestitum spectant?*

**R**espondeo intelligi. Huiusmodi autem sunt triticum, farina, panis, legumina, vinum, oleum, carnes, oua, caseus, olera, vix, pisces, fructus, medicinæ, & similia. Item sericum, lana, linum, & similia, quibus vestes confici possunt. Sic colligitur ex *l. victus, & leg. cætera, de verbor. signif. & docent omnes.*

## QVÆSTIO XIX.

*Quenam intelligantur per illa verba Canonis, seu alia ad vsum Romanæ Curie necessaria?*

**R**espondeo quod intelliguntur omnia quæcunque necessaria sunt ad statum, vel decentem ornatum Curialium, & familiæ, non tantum simpliciter, verum etiam ad bene esse, imò ad decentem, & honestam eorum recreationem. Ideoque sub illis verbis continentur equi, muli, fœnum, hordeum, paleæ, & similia ad victum horum brutorum, quibus Curiales ad conseruandum splendorem sui status vtuntur. Item Carthæ, papyri, pugillares, cera, plumbum, ferrum, filum, & similia, sine quibus Officiales Curie non valerent suum officium exercere. Sic omnes. Legantur *Alterius lib. 5. disput. 9. cap. 2. per totum, Filliucius tractatu 16. cap. 7. questione 3. Bonacina disputat. 1. quest. 9. punct. 1. num. 8.*

## QVÆSTIO XX.

*An etiam comprehenderetur sub hac Censura, qui prohiberet, ne ad Romanam Curiam deferantur canes, & accipitres, taxilli etiam, alea, simia, psytaci, & similia, recreationi Curialium inseruientes?*

**R**espondeo non comprehendi. Quia huiusmodi res, nec sunt victualia, nec necessaria ad vsum Curie; imò nec ad decorum Curialium statum: ergo qui prohibet ne præfata ad Romanam Curiam deferantur, non cõprehenditur sub hac Censura. Sic *Alterius disput. 9. cit. cap. 4. col. 3. vers. Eodem modo. Duardus hic quest. 5. num. 4. & quest. 10. num. 19. Vgolinus hic*

*§. 4. col. 3. & 4. & Bonacina punct. 1. cit. num. 9. Qui secus dicit de illo, qui prohiberet, ne ad Curiales deferantur musica instrumenta, & alia ad honestam animi relaxationem seruiencia; quia hæc vsui honestorum hominum conueniunt, & nostra natura relaxatione huiusmodi indiget, & ideo qui hæc impediret excommunicationem hanc incurreret. Sic ille. Contra Vgolinum existimantem oppositum.*

## QVÆSTIO XXI.

*An, qui Tabellarios impedit, ne litteras Romanam deferant, afficiatur hac Censura?*

**N**egant apud Bonacinam, Alterius, Duardus, & Vgolinus, eo quod litteræ, nec pertinent ad victualia, nec ad vsum Rom. Curie.

Sed probabilius respondeo: affirmatiuè. Quia reuera huiusmodi litteræ omnino sunt necessariae ad vsum Rom. Curie. Tum, quia in præfatis litteris, inserta sunt chytographa, quibus pecunia ad Curiam cambitur, & ideo maximè necessaria vsui Curialium. Tum etiam, quia Tabellarius multas affert litteras in quibus à sua Sanctitate petuntur dispensationes, dignitates, beneficia, & alia huiusmodi, ex quorum expeditione maxima vtilitas euenit Curialibus: ergo. Sic Bonacina *punct. 1. cit. num. 10. & Palao disputat. 3. puncto 9. num. 4.* Secus tamen est dicendum si litteræ quas affert Tabellio missæ essent ad particulares personas extra Curiam, aut si esset ad aliquas ex Curialibus, non continerent quid, vtilitatis: in quo sensu intelligendi sunt Authores primæ sententiæ.

## QVÆSTIO XXII.

*Quid veniat appellatione Romana Curie, cuius intuitu, sub excommunicatione prohibetur, ne victualia, & alia ad vsum Curie necessaria, deferri impediatur?*

**R**espondeo dicendum, quod per *Romanam Curiam*, intelligatur Curia Summi Pontificis, hoc est, Sedes Apostolica, seu Audientia Papæ, quæ constat ipso Summo Pontifice, tanquam Supremo capite, & deinde, omnibus, qui ei inseruiunt, & assistunt in cura populi Christiani, qui dicuntur Curiales, & tales in primis sunt Cardinales, Episcopi, & alij Prælati inferiores; deinde Doctores, Auditores, Iudices, Notarij, Aduocati, Procuratores, Sollicitatores causarum, & expeditionum, & reliqui omnes Officiales Audientiæ Pontificis, & familiares ipsorum; necnon litigantes, aliique Romam venientes, & in ipsa morantes ob negotia: Sic omnes. Legantur *Alterius lib. 5. disputatione 9. cap. 3. Filliucius tract. 16. cap. 7. quest. 4. Sayrus lib. 3. cap. 12. numero 3. Bonacina disputat. 1. quest. 9. punct. 1. num. 11. Palao disputat. 3. punct. 9. num. 10. & omnes.*

## QVÆSTIO XXIII.


*An paruitas materiæ ab hac excuset Censuram, & quanam censeatur materiæ paruitas?*

**A**d primum respondeo: vt certum; Excusare: quia paruitas materiæ excusat à mortali culpa, vt sæpè diximus: ergo & à pœna. Sic omnes.

*Ad secundum* respondeo, hanc materiæ paruitatem, cum non sit à Pontifice definitum, arbitrio prudentis esse definiendam, vt bene Bonacina, & Filliuc. Qui tamen vt certum addit, *primò*, eam esse notabilem quantitatem, quæ in curru, naui, vel saltem iumento deferuntur. Sic etiam quot animalia sufficerent



sufficerent ad gregem constituendum, eam etiam notabilem quantitatem efficerent. *Secundo*, non esse notabilem quantitatem, ea, quæ non pertingunt ad materiam peccati mortalis in furto, & *Tertio* denique, quod ea quantitas, quam quis per seipsum defert ad Curiam, aut vnum, vel alterum animal, quod quis ad vendendum ducit, non constituit quantitatem in hac materia notabilem. Benè tamen quæcunque quantitas hac maior, quæ tunc sufficeret ad inducendam excommunicationem.



## DISPUTATIO IX.

*De nona excommunicatione, lata, contra ladentes eos, qui ad Sedem Apostolicam veniunt, vel ab ea recedunt: tum etiam, contra eos, qui vexant, sine iurisdictione, in Curia commorantes.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*Contra quas personas lata sit hæc excommunicatio?*

**R**ESPONDEO dicendum, quod in prima parte huius Canonis (diuiditur namque in duplicem) fertur excommunicatio, *Contra omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera, interficiunt, mutilant, spoliunt, capiunt, & detinent.*

In secunda verò, *contra omnes illos, qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, à nobis, (id est, ab ipso Papa) vel nostris Iudicibus non habentes; illam sibi temerè vendicantes, similia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.* Hoc est, tanquam Iudices potestatem publicam habentes, cum verè non sint, interficiunt, mutilant, spoliunt, capiunt, & detinent. Vnde nota, quod etiam in hac secunda parte Canonis prohibentur eademmet quinque actiones principales, quæ prohibentur in prima. Sed cum hac differentia, quod in prima, prohibentur simpliciter, quoad accedentes ad Curiam: In secunda verò, non prohibentur simpliciter, sed cum dicta limitatione, nempe, si prætextu iurisdictionis usurpata exercentur tantum in commorantes in ipsa Curia. Sic tenent, & explicant omnes Doctores, præcipuè mox citandi.

## QVÆSTIO II.

*An incurrant hanc Censuram, qui interficiunt, vel mutilant, &c. eos, qui ad Summum Pontificem veniunt, non tanquam ad Papam, ut Papa est, sed tanquam ad Principem temporalem, ut v. g. ab illo officium temporale consequantur, &c.*

**N**Egant plures Doctores, & quidem satis probabiliter, quia existimant, nomine *Sedis Apostolicæ*, in hoc Canone, intelligi Papam, ut Papa est, hoc est, quatenus exercet iurisdictionem spiritualem à Christo acceptam: non verò intelligi Papam, ut Rex, aut Princeps temporalis est. Quia existimatione supposita, clarè inferunt, non incurrere Censuram huius Canonis illos, qui occidunt venientes

ad Sum. Pontificem, non ut Papam, sed tanquam ad Regem, seu Principem temporalem. Ita Alterius *lib. 5. disput. 10. cap. 1. col. 2.* vbi ait, id omnes fateri, & iterum *cap. 2. col. 6.* Reginaldus *lib. 9. cap. 19. num. 308.* Nauarrus, & Molina apud Bonacinam *vbi infra.*

Sed æquè probabiliter respondeo: incurrere. Quia æquè probabile est, nomine *Sedis Apostolicæ* in hoc Canone, intelligi Papam, non solum quatenus iurisdictionem habet spiritualement, verum etiam temporalem. Ratio est. Quia nomine *Sedis Apostolicæ*, intelligitur Curia Romana, ut ipsemet Pontifex clarè explicat in hoc Canone: at Curia Romana, non solum significat audientiam Papæ spiritualement, sed etiam temporalem: ergo. Sic Filliucius *tract. 15. cap. 6. quest. 3. num. 139.* vbi ait, sic sentire in praxi sacram Pœnitentiam, & *tractatu 16. cap. 7. quest. 6. num. 165. dicto 1.* Bonacina *hic disput. 1. quest. 10. punct. 1. num. 2.* & in 8. *Decalogi præcept. disput. 10. quest. 2. punct. 8. n. 4.* Duardus *hic quest. 1. num. 2.* Machado *lib. 1. parte 3. tract. 6. docum. 10. num. 1.* & Palao *disput. 3. de Censur. punct. 10. num. 4.*

## QVÆSTIO III.

*An incurrant hanc pœnam, qui mutilant, aut spoliant, &c. venientes Romam, deuotionis, aut stationis, & Indulgentiarum causa?*

**A**ffirmauit Nauarrus *cap. 27. num. 65.* vbi sic ait: Declaratio prima, quod hæc clausula includit venientes ad urbem, vel ab ea recedentes, causa deuotionis, vel peregrinationis, &c.

Sed iam ut certum respondeo: non incurrere. Quia in hoc Canone, solum afficiuntur excommunicationis pœna, qui mutilant, vel spoliant, &c. venientes ad Sedem Apostolicam, seu ad Curiam Romanam, causa negotiorum apud Summum Pontificem, seu eius Curiam gerendorum, ut constat ex nuper habitis: at qui causa deuotionis, stationis, aut Indulgentiarum seu curiositatis, aut lucri gratia, aut ad inuisendos amicos, aut cognatos, Romam accedunt, non accedunt ratione negotiorum in Curia agendorum: ergo, qui illos mutilant, spoliant, seu interficiunt, &c. non incurrunt hanc Censuram: quamuis aliàs incurrant alio titulo excommunicationem decimam, ut infra. Sic Bonacina *disput. 1. q. 10. punct. 1. num. 3.* & penes ipsum Caietanum *excommunicat. cap. 14.* Nauarrus *cap. 27. num. 65.* Toletus *lib. 1. cap. 26. dub. 1. num. 3.* Saytus *lib. 3. cap. 13. num. 3.* Alterius *disput. 10. cap. 1. col. 4.* Duardus *Can. 9. quest. 1.* Coriolanus *hic vers. Aduerte.* Vgolinus *hic cap. 9.* & Filliucius *tract. 16. quest. 6. num. 165.* Sed ex his Authoribus, quos Bonac. citat, oppositum, ut vidimus, docet Nauarrus, nec mirum; quia hic Author interpretabatur Bullam Gregorij XIII. in qua erat clausula, quæ includebat Romipetas, seu Peregrinos, qui causa deuotionis, seu peregrinationis Romam pergebant; quæ clausula postea fuit sublata à Sixto V. & Clement. VIII. Sic deinde Suarez *disput. 21. sect. 2. num. 65.* Luyfius *lib. 3. disput. 23. dub. 4.* Machado *loc. cit.*

## QVÆSTIO IV.

*An incurrat excommunicationem ille, qui interficit, aut spoliat, &c. aliquem proficiscentem Romam, ad Sedem Apostolicam, putantem ibi esse, cum tamen alibi sit?*

**A**ffirmant Vgolinus *capite 9. §. 1. numero 3. vers. Septimo,* & Duardus *Canone 9. questione 37. numero 4.* Quia ita proficiscens reuera habuit intentionem

tionem eundi ad Sedem Apostolicam, & ad id iter arripuit, estò erret.

Sed probabilius respondeo: non incurrere. Quia huiusmodi excommunicatio, solum est lata contra interficientes, aut spoliantes, &c. eos, qui ad Sedem Apostolicam accedunt: at sic est, quod præfatus proficiscens, re ipsa non accedit ad Sedem Apostolicam, sed ad Urbem, in qua non est Curia, seu Sedes Apostolica, vt supponit casus: ergo qui illum interficeret non incurreret hanc Censuram. Sic Bonacina *disput. 1. quest. 10. punct. 1. num. 5.* Qui secus dicit, de interficiente illum, qui iter arripuit animo accedendi ad Sedem Apostolicam, vbi cumque exitisset; quia tunc verè incurreret hanc pœnam, quoniam occidit eum, qui animo, & re accedit ad Sedem Apostolicam.

## QVÆSTIO V.

*An, cum Papa in hoc Canone dicit, venientes, & recedentes, intelligat de eisdem, qui ad Sedem Apostolicam venerunt, deinde, expeditis negotijs, reuertuntur ad suos; itaut velit excommunicare omnes, qui offendunt eos, siue accedendo, siue recedendo?*

**R**espondeo intelligere de iisdem accedentibus, & recedentibus. *Primò*, quia Papa vtitur dictione, *Et*, quæ regulariter est copulatiua: per illam ergo aperte indicat ipsum loqui de iisdem venientibus, qui postea recedunt. *Secundò*, quia Sum. Pontifex, hoc Canone, vult providere securitati eorum, qui ad Sedem Apostolicam, pro rebus, & negotiis suis, confugiunt, ne retrahantur ab itinere ob timorem damni in via inferendi: at sic est, quod possent retrahi, non solum si damnum in accessu immineret, verum etiam in recessu: ergo ob hoc vitandum damnum, meritò Pontifex excommunicat eos, qui offendunt illos, & dum ad se veniunt, & dum à se recedunt. Sic latè, & optimè, Alterius *lib. 5. disput. 10. cap. 2. dub. 1.* Bonac. *punct. 1. cit. n. 6.* Duard. *quest. 2. num. 5.* & Vgolinus §. 2.

## QVÆSTIO VI.

*An incurrat eandem Censuram, qui occidit, spoliat & aliquem discedentem à Sede Apostolica ad quam non venerat in negotia tractanda, sed in Curia morabatur?*

**R**espondeo non incurrere. Quia hic Canon editus est in fauorem venientem ad Sedem Apostolicam, ratione ipsius Sedis, vt supra est habitum: ergo non incurreret Censuram illius, qui offendit eum, qui discedit à Sede Apostolica, si ad illam antea non venerat ad negotia apud eam pertractanda, sed manebat in ipsa Curia. Sic Alterius *disput. 10. citat. cap. 2. col. 1. vers. Secundo copula.* Duardus *quest. 73. num. 11.* Bonacina *disput. 1. quest. 10. punct. 1. num. 8.*

## QVÆSTIO VII.

*An, qui mutilat, aut spoliat, &c. illum, qui venit ad Sedem Apostolicam, eo tempore, quo apud illam commoratur, hac excommunicatione obstringatur?*

**A**ffirmavit Nauarrus *cap. 27. num. 65. vers. Secunda, quod includit.* Quia explicauit Ballam Gregorij XIII.

Sed vt certum respondeo: non obstringi modò; secus verò tempore Gregorij XIII. Quia tunc exprimebantur in sua Bulla, non solum venientes ad

Sedem Apostolicam, & recedentes ab illa; verum etiam, apud eam commorantes: cæteri verò Pontifices hanc vltimam particulam omiserunt; fortassè, quia manendo apud Sedem Apostolicam, non imminet illud periculum, quod in vna contingere potest: nec desunt alia opportuna remedia ad iustitiam, & pacem conseruandam, & ideo, modò, qui prædictos apud Sedem Apostolicam commorantes mutilaret, aut spoliaret, &c. non incurreret hanc Censuram. Sic Alterius, Duardus, Bonacina *loco citato*, Viualdus *hic casu 9. num. mihi 76. vers. Item in iha.*

## QVÆSTIO VIII.

*An, qui vnum tantum hominem, accedentem ad Sedem Apostolicam, interficit, aut spoliat, &c. ligetur Censura in hoc Canone expressa?*

**N**egarunt nonnulli apud Duardum *vbi infra*, eo quod Canon loquatur in plurali: *Qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab ea:* & in pœnalibus, non est facienda extensio.

Sed vt certum respondeo: ligari. Quia sicut ad incurrendam Censuram huius Canonis, non est opus, vt multi simul occidant, aut mutilent, etiam si Canon in plurali dicat; *interficiunt, mutilant, spoliant, &c.* ita neque requiritur, vt *multi occidantur, mutilentur, &c.* sufficit ergo ad incurrendam hanc Censuram vt vnus dumtaxat occidatur, &c. Sic Duardus *Canon. 9. quest. 11.* Bonacina *disputat. 1. quest. 10. punct. 1. num. 13.* Palao *disput. 3. punct. 10. num. 8.*

## QVÆSTIO IX.

*An etiam ligetur dicta Censura, qui debilitat membrum illius, qui ad Sedem Apostolicam accedit, itaut suum officium exercere nequeat?*

**A**ffirmat Syluester *verb. homicidium 3. quest. 3. & apenes ipsum, Bartol. in l. 2. ff. de pub. ind. & Pannormitan. in cap. Cum illo, de sentent. excommun.* Quia existimant, quod mutilatio propriè contingit, quando in totum membrum non abscinditur, sed ex percussione impeditur eius officium, vt, v. g. percutiatur in tibia, ita vt non valeat ambulare, & libere pedem mouere: ergo qui sic percutit venientem ad Sedem Apostolicam, huius Canonis Censuram contrahit.

Sed probabilius respondeo: non ligari in hoc casu huius Canonis excommunicatione. Quia probabilius est, quod mutilare ille propriè dicitur, qui abscindit, & detruat membrum, itaut maneat à corpore separatim: ergo qui solum debilitat membrum alterius, etiam si illud tale reddat, vt officium suum exercere non valeat, non dicitur propriè mutilare, ac per consequens nec ligare excommunicationis huius Canonis, lata contra mutilantes eos, qui ad Apostolicam Sedem veniunt. Sic Præpositus, Cardin. Felinus, & alij, quos refert, ac sequitur Alter. *lib. 5. disputatione 10. cap. 3. colum. 2. vers. Mutilant. & cap. 4. dubit. 5.* Bonac. *hic disput. 1. quest. 10. punct. 1. num. 14.* & penes ipsum, Vgolinus, Suar. Molina, Auila, Duardus, & alij.

## QVÆSTIO X.

*An incurrat Censuram huius Canonis, qui digitum vel auriculam, vel mamillam, vel dentem, aut similem partem corporis ad Sedem Apostolicam venientis, aut ab illa recedentis, amputavit, aut abscidit?*

**N**Egat Bonacina *loc. cit. num. 16.* his verbis: Hinc sequitur primò, illum non subiici huic excommunicationi, qui partem aliquam carnis abscidit, capillos, vel barbam, aut dentes euellit, aut digitum, aut aliquam alicuius membri partem abscidit, aut verberat. Ratio est: quia non dicitur mutilare iuxta propriam verbi significationem. Ita ille. Et quidem satis probabiliter.

Affirmat & satis etiam probabiliter Alterius *lib. 5. disput. 10. cap. 4.* incurrere excommunicationem huius Canonis, qui venienti, aut recedenti à Sede Apostolica abscidit digitum, aut auriculam, aut mamillam femine, non viro, aut qui eruit dentes, aut euellit barbam, &c. Quia ad effectum incurrendæ excommunicationis huius Canonis talis offendens verè est inquit mutilator, quod planè colligi potest ex fine, quem habet Pontifex in promulgatione huius Canonis, videlicet, consulendi securitati venientium ad Sedem Apostolicam: & ideo non est arctanda, sed potius amplificanda hæc constitutio, & mutilatio latius est sumenda, quàm accipitur in materia irregularitatis.

Sed clariùs, accedendo primæ sententiæ respondeo: dicendum, Non incurrere Censuram huius Canonis, qui amputaret membrum paruum, seu minus principale, venienti ad Sedem Apostolicam, aut ab illa recedenti; benè tamen, qui eidem amputaret membrum magnum, seu principale. Quia horum solum membrorum amputatio, propriè vocatur mutilatio; non amputatio membri parvi, seu minus principalis, & quod ex se non habet proprium officium, distinctum ab aliis corporis partibus. Vnde iuxta hanc doctrinam quæ est communis, apud Canonistas, & Theologos, vt fatetur Alterius, dicendum est, quod, qui amputaret venienti ad Apostolicam Sedem digitum, vngues, dentes, barbam, capillos, restes, aut similem partem corporis, etiam cum copia sanguinis, non subiiceretur huic excommunicationi: bene tamen si prædicto amputaret manum, pedem, oculum, aures, virile membrum, nasum, & huiusmodi. Sic Bonac. *loc. cit.* & penes ipsum, Suarez, Duardus, Nauarrus, Couarr. Auila, & alij communiter apud Alterium *loc. cit.*

## QVÆSTIO XI.

*An clam surripiens pecuniam ab accedentibus ad Sedem Apostolicam, afficiatur hac excommunicatione, lata contra spoliantes præfatos accedentes?*

**A**ffirmant Vgolinus *hic cap. 9. vers. Spoliant; n. 4.* & Alterius *lib. 5. disput. 10. cap. 4. col. 10. dub. 6. & disput. 11. cap. 1. col. 4. vers. Depradantes.* Vbi sic dicit: ex his colligo, Summum Pontificem noluisse hoc verb. *Depradantes*, illud idem significare quod Superiori Canone nono, denotauit verb. *spoliant*: nam hac voce *spoliant*, vt dicebam *in quest. 4. superioris Disputationis*, comprehendere voluit non tantum illos, qui per vim rapiunt rem, sicut in hoc Canone, verb. *Depradantes*, sed etiam eos, qui clam, & latenter sine vlla vi furantur. Ita ille.

Sed probabilius respondeo: non incurrere. Quia probabilius est, quod spoliare, non sit quomodocum-

que furari, sed vi, & violentia aliquem exuere pecuniis, vestibus, armis, equis, & quacumque re alia mouibili, vt colligitur ex *cap. Excommunicationi, de Raptor.* non ergo qui clam surripit aliquid ex rebus assignatis ab Accedentibus, seu recedentibus à Sede Apostolica, afficitur Censura huius Canonis. Sic Duardus *Can. 9. quest. 21.* & Bonac. *disput. 1. quest. 10. punct. 2. num. 19.* (Qui tamen citat pro hac parte Alterium *disput. 10. cit. cap. 3. col. 3. verb. Spoliant*;) & alij. Qui secus dicunt de latronibus, aut aliis, qui viatores ad Sedem Apostolicam proficiscentes, aggrediuntur, illisque bona mobilia eximunt, & de hoc casu loquitur Alterius *loco à Bonacina pro hac parte citato.*

## QVÆSTIO XII.

*An incidant in hanc Censuram illi, qui accedentes, seu recedentes à Sede Apostolica, spoliant non rebus ipsorum proprijs, sed aliorum, ipsis accommodatis, aut in custodiam traditis, &c.*

**R**espondeo incidere. Quia tales verè dicuntur spoliare Accedentes, aut recedentes à Sede Apostolica, bonis, quæ secum deferunt; quod simpliciter damnatur in hoc Canone, nulla addita conditione, si sint ipsorum accedentium, vel aliorum, titulo depositi, vel custodiæ, vel commodati tradita. Sic Vgolinus *verb. Spoliant, num. 6.* Duardus *Can. 9. q. 73. num. 3.* Bonac. *punct. 1. citat, num. 20.* & Alterius *lib. 5. disput. 10. cap. 4. dub. 6. pag. 583.* Qui addit id esse verum, etiam casu quo res, qua venientem spoliaret quis, esset ipsiusmet spoliantis.

## QVÆSTIO XIII.

*An rapiens uxorem, filios, aut famulos, quos Accedens, aut Recedens à Sede Apostolica, secum ducebat, excommunicatione huius Canonis ligetur?*

**N**egant nonnulli DD. eo quod hîc Sum. Pontifex Nobstringit excommunicatione illum, qui accedentem ad eum spoliat: at hoc verbum, solum extenditur ad eas res, quæ aliqua ratione personam spoliatam tegunt, vel attingunt: ergo. Ita ex parte Palao *disput. 3. punct. 10. num. 9.*

Sed probabilius respondeo: ligari excommunicatione. Tum, quia verè spoliat maritum bonis ipsius, qualia sunt, & præcipua, vxor, & filij. Tum etiam, quia qui rapit uxorem, filios, seruos, aut familiares, quos Accedens ad Apostolicam Sedem, secum ducit, verè est exactor, & vexator Accedentium ad Sedem dictam, cum omnes isti verè dicantur ad Sedem Apostolicam venire, cum ad eundem finem veniant, ob quem maritus, seu Dominus Romam se confert saltem secundariò. Sic Vgolinus *verb. Spoliantes, n. 5.* Duardus *hic quest. 23.* Bonac. *hic disput. 1. q. 10. punct. 1. num. 22.* & ex parte Alterius *lib. 5. disput. 10. cap. 2. vers. Quoad famulos, & Palao loc. cit.*

## QVÆSTIO XIV.

*An occidens, spolians, aut mutilans infideles ad Sedem Apostolicam venientes, in hanc incidant Censuram?*

**N**egant aliqui. Quia verisimile non est, Ecclesiam velle eos, qui sub illius iurisdictione non existunt, Censurarum gladio tueri. Ita Duardus *hic Can. 8. quest. 24.* Couarruias *2. var. cap. 20. num. 11. vers. 23.* & Fatinacius *de Carceribus, & Carceratis, quest. 28.*

quest. 28. n. 68. Gambacurta de immunit. Eccles. lib. 4. cap. 7. & 8. & alij.

Sed probabilius respondeo: incidere. *Primo*, quia Pontifex absolute, & sine distinctione loquitur de venientibus ad Sedem Apostolicam: ergo omnes quicumque sint, intelliguntur. *Secundo*, quia finis huius Canonis est, ut illis, qui apud Sum. Pontificem aliqua tractaturi sint, liber, & securus pateat aditus: at sic est, quod Sum. Pontifex non solum recipit benigne, & humaniter Christianos, sed etiam Iudæos, Turcas, & alios Infideles, & Hæreticos: ergo quisquis horum aliquem venientem ad Sedem Apostolicam, occidit, mutilat, &c. in hanc incidit Censuram. Sic Alter. cap. 2. cit. vers. *Quantum ad Infideles*. Vgolinus hic, verb. *Spoliant*, n. 4. Marius Italix tract. de immunit lib. 1. cap. 3. §. 3. Filliuc. tract. 16. cap. 2. num. 120. Viualdus hic num. mibi 77. (aliis 5.) Bonac. disp. 1. q. 10. punct. 2. n. 12.

QVÆSTIO XV.

*An, qui capiunt, detinent; aut manibus comprehendunt accedentes ad Sedem Apostolicam, aut ab illa recedentes, Censura huius Canonis astringantur?*

Respondeo tanquam certum: Astringi. Quia huiusmodi comprehenduntur sub verbo, *capiunt*, in hoc Canone oppositum. Sic omnes DD. præcipue Alterius lib. 5. disput. 10. cap. 3. verb. *capiunt*. Vgolinus verb. *Spoliant*, & Bonac. disput. 1. punct. 1. n. 23. & 24. Qui addunt, idem sentiendum esse si capiatur aliquis ex familia Accedentium, vel Recedentium à Sede Apostolica. Quod constat ex habitis quest. 13.

QVÆSTIO XVI.

*An etiam astringeretur hac Censura, qui aliquem venientem ad Sedem Apost. caperet, sed paulò post illum liberè dimitteret?*

Negat apud Bonacinam, Duard. q. 4. punct. 4. n. 1. & 3. existimans non astringi hac Censura illum, qui venientem capit, si animum non habuit retinendi.

Sed probabilius respondeo: dicendum, quod astringeretur; nisi aliàs iuste illum quis detineret, aut paruitas materiæ eum excusaret. Quia actus fuit cõsummatus & perfectus capiendo, & habuit effectum: ergo. Sic Alter. cap. 3. cit. vers. *Sed quid dicendum*. Bonac. q. 10. cit. punct. 1. n. 26. Qui benè, secus dicunt afferendum de illo, qui conatus est capere venientem, sed non potuit: quia licet quoad Deum peccauerit, non tamen incidit in hanc Censuram, quæ lata est contra capientes.

QVÆSTIO XVII.

*An etiam ligetur hac Censura, qui accedentem ad Sedem Apostol. capit, & punit, ob delictum in sua diœcesi patratum?*

Respondeo non ligare. Quia iuste illum capit, & punit. Sic Viuald. hic casu 9. n. 81 mibi, vbi sic ait: Si quis Peregrinus, vel alius Romipeta, dum iter agit, vel est Romæ delinquat, vel aliquem percutiat, vel in aliquo offendat, poterit à Indice incarcerari, & puniri, vel à quocumque particulari castigari, & reperi, & etiam occidi, absque hoc, quod incurratur hæc Censura. Quia tunc non detinetur, punitur, vel occiditur, ut Peregrinus, vel Romipeta, sed ut delinquens, & malefactor. Sic Viualdus, Alterius cap. 3. cit. vers. *Queret aliquis*. Vgolin. Reginald. & Duardus, quos affert, & sequitur Bonac. disp. 1. q. 10. punct. 1. n. 27. Qui idem sentiunt de illo, qui capit venientem ad  
R. P. Leand. de Censuris.

Sedem Apostolicam de mandato Superioris, aut Iudicis. Et benè; quia iste non peccat, imò exercet actum virtutis, parendo Superiori, & sine peccato mort. non incurritur excommunicatio, ut sapè est habitum.

QVÆSTIO XVIII.

*An capiens aliquem venientem ad Sedem Apostolicam, & in domo includens, ne ab hostibus offendantur, huic excommunicationi subijciatur?*

Respondeo tanquam certum: non subijci. Quia id facit sine dolo, imò ad securitatem venientis, cuius causa Summ. Pontifex hunc Canonem edidit argum. ex cap. *Nuper*, de sentent. excommun. Sic D. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 1. §. 1. vers. *Item reputatur*. Alterius, & Bonacina loc. cit.

QVÆSTIO XIX.

*An, qui sine vlla captura, sed solo fraude, & dolo detinet proficiscentem ad Sedem Apostol. hac Censura feriatur?*

Negare debet Duardus hic Can. 9. quest. 25. Cum existimet, verbum *detineant* appositum in hoc Canone, idem esse, ac manu, vel ligamine tenere: aut custodiæ, vel Carceri tradere.

Sed probabilius respondeo: affirmatiue. Quia prædictus verè detinet proficiscentem, ne ad Sedem Apostolicam accedat: ergo verè hac Censura feritur. Antecedens patet: nam duobus modis quis detineri potest: vno modo, si capiatur, & captus detineatur: alio modo, quando sine vlla captura retardatur, & impeditur fraude, & dolo, ne liberè eat, quo tendit: & in ytraque significatione accipitur in hoc Canone. Sic Alterius lib. 5. disput. 10. cap. 4. verb. *Detinent*. Bonac. disput. 1. quest. 10. punct. 1. num. 32.

QVÆSTIO XX.

*An, qui non violenta actione, sed tantum præcepto, aut verbis minatorijs, detinet venientem, ne ad Sedem Apostolicam accedat, incidat in hanc excommunicationem?*

Negat Bonac. punct. 1. cit. num. 33. Quia verbum *detinere* positum in hoc Canone importat actionem physicam violentam contra personam captam. Ita ille. Qui & citat pro se Duardum q. 37. num. 3. & 4.

Sed probabilius respondeo: incidere in excommunicationem. Quia probabilius est, quod ad incurrendam hanc Censuram, non est necesse, ut vis inferatur, & violenter detineatur veniens ad Sedem Apostolicam, adhibita aliqua actione physica; sed sufficit, ut dolosè, & iniuste impediatur, ut constat ex nuper dictis. Sic Alterius lib. 5. disput. 10. cap. 5. in fine, dub. 8. ex Innoc. D. Anton. & Syluestro. Sic etiam Vgolinus hic in verb. *Detinent*, num. 1. pag. 259 & etiam Duardus apud eundem Bonacinam quest. 31. num. 2. & 3.

QVÆSTIO XXI.

*An, qui vendicantes sibi iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, occidunt, mutilant, capiunt, aut detinent commorantes in Curia Sedis Apostolicæ causa negotiorum in ea expediendorum, excommunicationem incurrant?*

Negat Caietanus verb. *Excommun.* cap. 13. dicens, quod quamuis hic casus de percutientibus morantes  
D d rantes

rautes in Curia, scriptus sit, & iam per centum annos quotannis promulgetur; tamen à nullo aduerti, aut practicari videtur, tam in foro iudiciali, quam pœnitentiæ: nullus si quidem, ni fallor, ex hoc se, aut alium reputat excommunicatum. Hæc Caietan.

Sed probabilius respondeo tanquam certum: incurrere. Quia contra huiusmodi personas expressè fertur excommunicatio in secunda parte huius Canonis, non vt constat ex traditis *quest. 1.* (Quamuis in Bulla Gregorij XIII. continebatur in distincto Canone, nempe, decimo, vt videre est apud Nauarrum *cap. 27. num. 66.*) Per hunc igitur Canonem sunt excommunicati omnes, quicumque sint, qui non habentes aliquam iurisdictionem, nec ordinariam, nec delegatam à Papa, vel à suis Iudicibus, usurpant sibi temerè illam, & fingentes habere iurisdictionem, auctoritatiuè, & quasi ex officio, tanquam Iudices ordinarij, vel Delegati à Papa, aut ab eius officialibus detinent, aut capiunt, vel spoliunt, vel mutilant, aut interficiunt aliquem commorantem in Curia Sedis Apostolicæ, expediendi negotia, apud illam, causa. Sic omnes. Legantur Alterius *lib. 5. disputat. 10. cap. 5.* Bonacina *disputatione 1. q. 10. punct. 1. a. n. 34.* Filliuc. *tract. 16. cap. 7. a. q. 7.* & alij.

### QVÆSTIO XXII.

*An, qui priuata auctoritate, morantes in Curia occideret, mutilaret, aut spoliaret, &c. incidere in hanc Censuram?*

**A**ffirmauit Nauar. *cap. 27. num. 65.* Quia hos includebat Bulla Greg. XIII. quam exposuit ille. Sed nunc iam vt certum respondeo: non incidere. Quia reliqui Pontifices post Gregorium XII. solum excommunicant illos, qui via iudiciali, usurpantes sibi iurisdictionem commorantes in Curia, tales actiones exercent. Vnde qui furando spoliat aliquem commorantem in Curia; vel orta rixa, interficit, non remanet astrictus hac excommunicatione; quia non auctoritatiuè, & tanquam iurisdictionem exercens, id facit, sed vt priuata persona. Ex quo constat differentia inter eum, qui interficit, spoliat, & alias actiones prohibitas exercet contra accedentes, aut recedentes à Curia Sedis Apost. & inter eum, qui eas exercet contra commorantes: nam qui eas facit contra commorantes, non incurrit excommunicationem, nisi eas faciat auctoritatiuè: qui verò eas facit contra accedentes, aut recedentes incurrit, siue eas faciat auctoritate priuata, siue publica. Sic Suar. *disp. 2. 1. sect. 2. n. 66.* Caiet. *verb. Excommun. cap. 15.* Sayus *lib. 3. cap. 3. n. 4.* Alter. *lib. 5. disp. 10. c. 5. col. 2. & 3.* Tolet. *lib. 1. cap. 26. n. 4.* Filliuc. *tract. 16. cap. 7. quest. 7. dict. 3. n. 169.* Bonac. *disput. 1. quest. 10. punct. 1. n. 34. & 35.* & omnes.

### QVÆSTIO XXIII.

*An Episcopus, vel alius Prælati, qui præfatas prohibitas actiones præstat, contra sibi subditum in Curia commorantem; contrahat hanc excommunicationem?*

**R**espondeo tanquam certum: contrahere. Quia licet iurisdictionem habeat in suum subditum: illam tamen non potest exercere erga illum quamdiù moratur in Curia ad peragenda aliqua negotia apud Sedem apostolicam: quia tunc est sub protectione Sum. Pontificis, & gaudet eodem priuilegio venientium ad Sedem Apostolicam. Sic Alterius *cap. 5. cit. vers. Queret quis, pag. 585.* Bonac. *num. 36.* & alij. Qui secus sentiunt, loquendo de Officialibus Papæ, casu, quo in huiusmodi commorantes, iniuste, inique, &

nullo ordine iuris seruato, aliquas prohibitas actiones præstant: quia licet inique agant, & graue peccatum committant, excedendo terminos suæ iurisdictionis; nihilominus, quia iurisdictionem habent in Curia, non incurrunt excommunicationem huius Canonis, excipientis omnes iurisdictionem habentes à Papa, vel à suis Iudicibus. Sic etiam Duardus *hic Can. 9. quest. 33.*

### QVÆSTIO XXIV.

*An, vt hæc Censura incurratur, necessum sit, quod morans in Curia, contra quem aliqua ex relatis actionibus exercetur, sit vnus ex Curialibus, qui Romæ versantur?*

**A**ffirmant Filliuc. *tract. 16. cap. 7. quest. 6. n. 166.* & ante illum Tolet. *lib. 1. cap. 25. n. 4.* per hæc verba: Aliud dubium est, quid intelligantur per *morantes in Curia*? Respondet Caietan. *verb. Excommun. cap. 14.* Curiales ipsos vulgò dictos, qui ratione Curia Pontificia, Romæ sunt; siue mediata, siue immediata Pontifici inserviunt, siue sint cum Cardinalibus, vel Episcopis, qui adsunt Curia. Itaque.

Sed probabilius longè respondeo: non esse opus ad Censuram hanc incurrendam, vt commorans in Curia sit Curialis inserviens Papæ, &c. Sed sufficit quod in Curia reperiat ad aliquod negotium apud Sedem Apost. expediendum. Ratio est: quia in hoc Canone, non tractatur de Curialibus, qui inserviunt Curia Romanæ; sed de iis, qui morantur in Curia ad perficiendum negotium apud Sedem Apostolicam. Vnde *Morantes in Curia* appellantur hinc iidemmet qui ad Apostolicam Sedem venerunt, & interim in Curia morantur, vt apud eandem expediant, & perficiant id, cuius gratia ad illam accesserunt. Sic Alterius *lib. 6. disput. 10. cap. 5. verb. Morantes.* Duardus, & Ugolinus, quos citat, & sequitur Bonacina *disputat. 1. quest. 10. punct. 1. num. 39.*

\*\*\*

### DISPUTATIO X.

*De decima Excommunicatione lata contra ledentes Romipetas, ac Peregrinos, qui Romam deuotionis causa petunt.*

#### QVÆSTIO PRIMA.

*Contra quas personas lata sic hæc excommunicatio?*

**R**ESPONDEO quod fertur contra omnes interfectores, mutilantes, vulnerantes, detinentes, captiuos, seu depraedantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem causa deuotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem. Sic Canon. Et sic omnes DD. præcipue mox citandi.

#### QVÆSTIO II.

*An, qui interficit, vel mutilat, &c. quemcumque Romam venientem, Censura huius decimi Canonis feriat?*

**R**espondeo tanquam certum: quod non. Quia quamuis hoc nomen Romipeta late sumptum, pro

pro quocumque, & quavis de causa, ad Urbem veniente, accipiatur: in presentiarum tamen minime sic sumitur; sed strictè, pro eo, qui Romam, seu ad Urbem (quod idem est) causa devotionis accedit, ut constat clarè ex subsequentibus verbis huius Canonis. (Et eodem modo accipitur hinc verbum, Peregrinus.) Unde Pontifex in hoc Canone, non univèrsaliter comprehendit omnes Romipetas, aut Peregrinos, sed solum illos, qui causa devotionis, seu peregrinationis Romam veniunt. Sic omnes; legantur Alterius *lib. 5. disputat. 11. cap. 2. per totum.* Duardus *Canone 10. quest. 4.* Filliucius *tractatu 16. cap. 5. quest. 8. num. 120.* Sayrus *lib. 3. cap. 14. quest. 4.* Palao *disputat. 3. punct. 11.* Bonacina *hic disputat. 1. quest. 11. punct. 3.* & alij penes ipsos.

## QVÆSTIO III.

*An incurrat Censuram huius Canonis, qui, aliqua ex prohibitis actionibus, vexaret illum, qui Romam venit, principaliter, causa devotionis; & minus principaliter, ad emendum aliquid, vel quid simile peragendum?*

Respondeo tanquam certum: incurrere. Quia in vnaquaque actione inspiciendum est id quod principaliter per eam intenditur, cum ab eo speciem, & denominationem sumat, leg. *Qui iniuria, in princip. ff. de Furt. cap. Cum voluntate, de sentent. excommunicat.* ergo qui primò & principaliter Romanam tendit devotionis, aut peregrinationis gratia, quamvis secundariò, & minus principaliter, multa alia sibi perficienda proponat, Romipeta, seu Peregrinus est dicendus, ex fine principali, quem sibi proponit, & consequenter qui illum, aliqua actione ex genere illarum sex, quæ prohibentur in hoc Canone, offenderit, in excommunicationem incideret. Sic Alterius *disputatione 11. citat. cap. 5. col. 6. dubit. 7.* Filliucius *loco citato,* & penes ipsum, Vgolinus §. 1. *vers. Octavo.* Bonac. *numero 14.* & Palao *loco citato, numero 5.* Qui idem sentiunt de illo, qui Romam proficiscitur ob finem devotionis, seu peregrinationis, & simul etiam ob aliquos alios fines æquè principales, & per se intentos; nempe ob visitandos amicos, ob impetranda beneficia, & propter alia similia.

## QVÆSTIO IV.

*An etiam incurreret hanc Censuram, qui interficeret, vel mutilaret, &c. illum, qui principaliter ob beneficium, vel absolutionem à Censuris, vel dispensationem obtinendam, vel ob aliud negotium tractandum, Romam veniret: sed secundariò dum in Vrbe existeret, vellet Ecclesias visitare, &c.*

Respondeo tanquam certum: non incurrere. Quia huiusmodi Romam veniens, non potest propriè vocari Peregrinus, seu Romipeta devotionis causa; cum, ut nuper est habitum, actio non sumit speciem & denominationem à fine secundario, sed à primario: ergo prædictus non gaudet privilegio huius Canonis, concessio Peregrinis venientibus ad Urbem devotionis causa. Sic Alterius *loco citato, vers. Tertia propositio.* Filliucius, Bonacina, & Palao *loco citato, & communis.*

\* \* \*

R. P. Leand. de Censuris.

## QVÆSTIO V.

*An occidens, vel mutilans, &c. Peregrinantem ad Urbem devotionis causa, incurrat hanc Censuram, si in Vrbe non existat Papa, seu Romana Curia?*

Respondeo tanquam certum: incurrere. Quia hic Canon solum loquitur de accedentibus ad Urbem. Et constat, quod nomine *Vrbis* hoc in loco, non significatur illud idem, quod in octavo, & nono Canone nomine *Sedis Apostolicae, & Curie Romanae*, alioqui ferè superflua fuisset excommunicatio huius Canonis. Ideo hinc per *Vrbem*, seu *Romam* intelligitur ipsa Ciuitas Romana, id est, locus ipse continens Basilicas, Domicilia, & reliqua ædificia, quamvis ab ea abesset Papa, neque etiam remansisset Curia: & ita qui offenderet Peregrinos Romam euntes, absente Romano Pontifice, & tota Curia, adhuc esset transgressor huius Canonis, & excommunicatus. Quod notavit Caietanus *in summ. verb. Excommunicat. cap. 13. in fine.* Respicit ergo hic Canon, præcipuè Romam ob eius sanctitatem. Sic omnino Alterius *lib. 5. disput. 11. cap. 3. col. 2. vers. In hoc Canone.* Nauarrus *cap. 27. num. 65. vers. Tertia.* Viualdus *casu 8. num. mihi 78.* Vgolinus *loc. cit. Reginaldus lib. 9. n. 311.* Duardus *hic quest. 3. num. 4.* Soula *hic cap. 11. num. 4.* Bonac. *disp. 1. q. 11. punct. 3. n. 3.* Palao *disp. 3. punct. 1. n. 7.*

## QVÆSTIO VI.

*An item, incurrat excommunicationem huius Canonis, qui offendit, unâ ex præfatis actionibus, Romanum Ciuem sacra Urbis loca visitantem?*

Respondeo non incurrere. Quia non offendit Romipetam, seu Peregrinum; quoniam qui moratur in Vrbe, non est Romipeta, seu Peregrinus. Unde Pontifex illis vocibus, *in ea morantes*, solum significat eos, qui ad Urbem aliunde devotionis accesserunt causa, ut supra *disput. 9. q. 5. & 6.* in simili est habitum. Sic Bonac. *loc. cit. n. 3. & 22.* Vgolinus, Viualdus, Soula, & Gambarupta apud ipsum, & Alterius *disp. 11. citat. cap. 5. quest. 3.* Addens, quod si quis accessit ad Urbem ut peregrinus devotionis causa, & deinde allectus sanctitate insignium Basilicarum, Urbis, & venerandis Apostolorum reliquiis, &c. eligat sibi domicilium ut liceat ei frequenter Ecclesias visitare, & alia opera devotionis exercere, non possit amplius dici Peregrinus. Et ideo si quis offenderet illum post electum domicilium, etiam gratia devotionis tantum, non incideret in hanc excommunicationem. Sic ille, & Bonac. *punct. 3. citat. num. 22.* Vgolinus, Viualdus, Palao, & alij.

## QVÆSTIO VII.

*An vexans peregrinos proficiscentes ad Sepulchrum Domini; vel ad S. Iacobum Compostellanum; vel ad eam Lauretanam, hinc excommunicationi subiaceat?*

Respondeo nunc, non subiacere. Quia isti non sunt Romipetæ, aut Peregrini ad Urbem; cum hoc nomen per antonomasiam, ut diximus, Romam significet. Dixi, *nunc non subiacere*; quia tempore antiquo, cum vigeant Religiosi, dicti Templarij, extendebatur hic Canon ad peregrinantes Ierusalem, ut notat Caietan. *verb. Excommunicatio cap. 13.* per hæc verba: Aduerte quoque, quod iste Canon mutatus est, quia in processu Cœnæ Domini, tempore Martini

comprehendantur etiam peregrini ad Ierusalem. Hæc Caietan. & ex illo, Vivaldus *hic*, casu 8. num. mihi 79. Alterius *lib. 5. disputat. 11. initio*, & *cap. 6.* vbi adducit causa cur Posteriores Pontifices ad Martinum V. omiserint in hoc Canone Peregrinos in terram Sanctam, & tantum Peregrinos ad Urbem meminerint. D. Antoninus 3. *part. summ. tit. 24. cap. 72.* Tabiena *excommunic. 6.* Rebuff. *hic Canone 11.* Toletus *lib. 1. cap. 25. num. 6. vers. Excommunicatio decima.* Bonacina *disputat. 1. quest. 11. punct. 3. num. 6.* & alij.

### QVÆSTIO VIII.

*An offendens Romipetam volentem solum visitare Ecclesias, extra mœnia Urbis existentes; vt S. Laurentij extra muros, S. Sebastiani, S. Pauli, &c. vinculo huius excommunicationis ligetur?*

**N**Egat Bonacina *loc. cit. num. 7.* Quia (inquit) in materia pœnali accipienda sunt verba in arctiore significatione, in qua sumpto nomine Urbis, ea tantum loca veniunt, quæ intra mœnia continentur: ergo offendens eum, qui solum decreuerat loca sacra extra muros Urbis deuotionis causa, visitare, non offendit venientem ad Urbem, & consequenter, non ligatur vinculo Censuræ huius Canonis.

Sed probabilius respondeo: ligari vinculo huius excommunicationis. Quia probabilius est, appellatione Urbis in hoc Canone, significari, non solum loca, quæ intra mœnia Urbis sunt sita; verum etiam illa, quæ extra mœnia sunt, contigua tamen, vel propè. *Primò*, quia id clarè habetur in *l. Vt Alphenus, ff. de verb. signif.* Vbi Iurisconsultus hæc ait: *Vrbs est Romana, quæ muro cingitur: Roma est etiam quantum continentia adificia,* (etiam vltra muros, explicat Glossa) *essent. Nam Romam non muro tenuis existimari ex consuetudine quotidiana posse intelligi, cum dicemus Romam nos ire, etiamsi extra Urbem habitaremus.* Hæc Iurisconsultus. Quod nihil ad intentum dictum, clarius.

*Secundò*, quia etiamsi nomine *Vrbis*, ex propria significatione, comprehenderentur tantum loca, quæ intra mœnia continentur, vt vult Bonacina, hoc tamen locum haberet solum in delictis, & pœnis, quia in his, verba statuti accipienda sunt secundum arctiorem significationem *cap. statutum, de elect. in 6.* At verò in materia fauorabili, qualis est materia huius Canonis, in quo tractatur principaliter de amplificatione Cultus diuini, ex frequentatione Ecclesiarum; de augenda Religione, & pietate fidelium, ex exercitio bonorum operum, de priuilegio peregrinorum, vt absque periculo, securi Romam venire possint; nomine *Vrbis*, intelligenda est Roma, cum suo Territorio, vt dicit vniuersitatem agrorum Urbis. Sic Abbas in *cap. Rodolphus, num. 4. in fine*, & Felinus *num. 11. de rescript.* Quos citat, & sequitur Alterius *lib. 5. disputat. 11. cap. 3. quest. 2.* Duardus *Canone 10. quest. 5. à num. 5.*

### QVÆSTIO IX.

*An non solum, qui Romam petit, causa visitandi Ecclesias, vel venerandi reliquias, aut consequendi indulgentias; sed etiam causa adimplendi votum, vel pœnitentiam iniunctam, dicatur causa deuotionis Romam adire, & gaudeat priuilegio huius Canonis?*

**N**Egat Duardus *hic Canone 10. quest. 8. num. 7.* existimans, eum qui Romam, causa adimplendi votum, seu pœnitentiam à confessario à Iudice in-

iuinctam, pergit; non dici Romam, causa deuotionis pergere, & consequenter, non gaudere priuilegio huius Canonis.

Sed longè probabilius respondeo: etiam hunc gaudere priuilegio huius Canonis. Quia, iuxta communem modum loquendi, qui ad Urbem pergit causa adimplendi votum, seu pœnitentiam, dicitur Romam accedere, causa deuotionis. Sic Alterius *lib. 5. disput. 11. cap. 3. in fine, vers. Ex his sequitur.* Fillucijs *tract. 16. cap. 5. quest. 8. num. 120.* his verbis: *Dixi causa deuotionis*, hoc est, causa visitandi Ecclesias Urbis, præcipuè limina D. Petri *ex cap. Si quis Romipetas 24. 9. 3.* vel causa consequendi stationes, & indulgentias Urbis; siue eiusmodi deuotio sit omnino libera, siue debita ex voto, aut pœnitentia iniuncta per Confessarium, aut alium iudicem Ecclesiasticum. Sic ille. Bonac. *hic disput. 1. quest. 11. punct. 3. num. 11. & 12.* Qui & citat Vivaldum *num. 9.* in nouis. Sed hic Auctor in antiquis, nil habet ad propositam quæstionem.

### QVÆSTIO X.

*An offendens Clericum, vel Religiosum, Romam, deuotionis causa euntem, sine licentia tamen sui Superioris; excommunicationem huius Canonis incurrat?*

**N**Egant aliqui, eo quod vtrisque, nempe, tam Clericis, quam Religiosis, seu Monachis, prohibitum sit peregrinari, etiam deuotionis causa, absque Prælatorum suorum licentia *cap. Non oportet, de consecrat. dist. 5. & cap. Magna, de voto*: ergo hac non obtenta, non erit laudabilis, sed potius damnabilis, talis peregrinatio: ergo Clericus, vel Monachus, qui sine licentia sui Episcopi, vel sui Prælati Romam peregrinantur, non debent gaudere priuilegio huius Canonis; & consequenter offendens illos non incurrit illius Censuram. Ita Duardus *hic Canone 10. quest. 15. num. 3.*

Sed probabilius respondeo: incurrare. Quia probabilius est, & multò, quod tam Clerici, quam Monachi, qui Romam causa deuotionis proficiscuntur etiam sine licentia suorum Prælatorum, gaudent priuilegio huius Canonis; ergo consequenter, qui præfatos, iniurijs in hoc Canone vetitis, offendunt excommunicationem incurrun. Antecedens probatur. Nam licet verum sit, quod tam Clerici, quam Monachi, qui sine licentia suorum Prælatorum Romam peregrinandi causa veniunt graue peccatum committant, non tamen ob id amittunt priuilegium Peregrinorum, & præcipuè huius Canonis; cum Summus Pontifex absolute, & indistinctè, huiusmodi securitatis priuilegium, concedat omnibus accedentibus ad Urbem causa deuotionis: sed Clericus, aut Monachus accedunt causa deuotionis: ergo fruuntur hoc priuilegio. Nec obstat peregrinationem horum esse peccaminosam: quia peccatum non tollit propriam rationem peregrinationis, vt constat, & latè probat Alterius mox citandus. Sic hic Auctor *lib. 5. disput. 11. cap. 2. & cap. 5. dubit. 5.* Bonacina *disputat. 1. quest. 11. punct. 3. num. 17. & 18.*

### QVÆSTIO XI.

*An etiam offendens Paganum, Iudæum, Hereticum, aut alia via excommunicatum accedentem ad Urbem causa conuersionis, absolutionis, aut deuotionis, incidat in hanc Censuram?*

**R**espondeo incurrare. Quia his omnibus conuenire possunt verba Canonis huius: ergo & ipsa dispositio. Argum. *l. Nos accusare, §. omnibus, ff. de accus.* Antecedens

Antecedens constat, quia si Paganus, Iudæus, aut alius Infidelis, Romam veniant, Baptismi recipiendi gratiâ, aut vt præcepta fidei doceantur, &c. verè dicuntur Romam deuotionis, & pietatis Christianæ ergò venire. Et idem constat de Hæreticis, aut aliis excommunicatis, irregularibus, suspensis, &c. venientibus ad urbem absolutionis, aut reconciliationis causa. Sic latè Alterius *lib. 5. disputat. 11. cap. 4. dub. 1. 2. & 3.* Vgolinus *hic §. 1. vers. 5. & 6.* Filliucius *tractatu 16. cap. 5. quæsto 8. numero 120.* Duardus, & Soufa, quos citat, & sequitur Bonacina *disputat. 1. quæst. 11. punct. 3. num. 20.*

## QVÆSTIO XII.

*An occidens, aut mutilans, aut alijs actionibus prohibitis vexans Romipetas, seu Peregrinos, dum in vrbe versantur deuotè visitando Ecclesias, venerando Reliquias, &c. hanc excommunicationem incurrat?*

**N**egatiuam sententiam tenuisse Caietanum, affirmat Viualdus, his verbis: Quintò nota, quod licèt Caietanus dicat, quod vulnerans, vel occidens Peregrinum, dum moratur Romæ non incideret in hanc Censuram, quia (ait) non est in vsu; contrarium tamen mihi videtur dicendum, cum esset expressum in Bulla, vt erat in illa Gregor. XIII. vbi: *Vel apud eam morantes*, vt videre poteris apud Nauarrum *cap. 27. num. 65.* Et est etiam in Bulla hac, clausula sequenti. Hucusque Viualdus *casu 9. numero mihi 80. in antiquis.*

Sed certè hic Author non aduertit, quod debuerat, quod Caietanus, dum docet *cap. 14.* id quod ipse Viualdus affirmat, non agit de Peregrinis, aut Romipetis, qui ad Urbem deuotionis causa venere, & ibi commorantur, visitando Ecclesias, & exercendo alia opera pia, quorum gratia Romam petierunt, de quibus Pontifici, & nobis in hoc Canone decimo est sermo (de iis namque, oppositum sentit, *cap. 13. vt infra:*) sed de illis, qui ad Sedem Apostolicam veniunt, & recedunt ab eadem: necnon de illis, qui nullam iurisdictionem habentes, in eadem Curia morantes, temeritate propria capiunt, spoliunt, &c. de quibus nos egimus *disput. antecedenti, quæst. 21.* quamuis etiam de his loquendo, non benè id sentiat Caietanus, vt ibi diximus.

Igitur vt certum respondeo: dicendum, quod præfatus occidens Peregrinos in vrbe commorantes, hanc excommunicationem incurrat. Quia id clarè habetur in hoc Canone 10. cuius verba *sup. q. 1. retuli.* Sic omnes, inter quos præcipuus est Caiet. *verb. excommunicat. cap. 13. vers. Et nota quod oportet,* & ex illo, Alterius *lib. 5. disputat. 11. cap. 5. col. 3. vers. Quamobrem pag. 599.* & Bonac. *disput. 1. quæst. 11. punct. 3. num. 21.* Filliucius *tract. 16. cap. 5. quæst. 9. num. 125.*

## QVÆSTIO XIII.

*An, qui Romam, causa deuotionis venit, sed ibi, mutato proposito, nulla pia opera, aut deuotionis exercuit, fruatur priuilegio huius Canonis, dum ad suos reuertitur?*

**R**espondeo non frui. Et ideo, si quis vulneret, rapiat, spoliet, &c. illum, dum ad patriam redit, non incurreret excommunicationem huius Canonis. Sic Alter. *cap. 5. cit. quæst. 2.* cui satisfaciendo hæc ait: Respondeo hunc talem vocari posse peregrinum in accessu ad Urbem, quamdiù persistit in prima voluntate peregrinandi causa deuotionis, quo tempore si offendatur, incurritur excommunicatio: sed si mu-

R. P. Leand. de Censuris.

tata voluntate, non adimplet deuotionis, & pietatis opera, iam cessat finis peregrinationis, & non meretur nomen peregrini, & illico amittit priuilegium huius Canonis, & alia priuilegia peregrinorum: quia cessante causa finali, cessant omnia, quæ conceduntur ratione illius finis; sunt enim accessoria, ratione talis finis: quare principali sublato, tollitur accessorium, l. 1. & ibi notat Bald. *C. de Codicill. cap. Accessorium*, vbi latè Anchar. *de Reg. Iur. lib. 6. Glossa notab. in l. Si Patronus, §. Patronum, verb. Fauiana, ff. si quid in fraud. patro.* Cum ergo non competat illi priuilegium huius Canonis, si quis offendat eum, dum ab Vrbe recedit, non contrahet excommunicationem. Hucusque Alterius. Vgolin. etiam *hic verb. Vel ab ipsa recedentes.* Duardus *hic Canone 10. quæst. 13.* & Bonac. *punct. 3. cit. n. 24.* Qui secus dicendum putant de illo, qui post iter arreptum, hac intentione, vt deuotionis causa Romam visitaret, morbo correptus, vel alia causa impeditus, peregrinationem perficere nequit, hic namque gaudet priuilegio huius Canonis, & ideo qui illum in reditu ad patriam occideret, mutillarétve, &c. excommunicationem incurreret. Legantur Alter. *loc. cit. dub. 1.* Bonac. *num. 24. vers. Obijcies,* & Duardus, & Vgolin. *loc. cit.*

## QVÆSTIO XIV.

*An gaudeant priuilegio huius Canonis Peregrini, qui dum veniunt ad Urbem deuotionis gratia, diuertunt ad visendum amicum, aut aliquid agendum, &c.*

**R**espondeo gaudere. Quia qui statim hac intèntione iter Romam versus suscepit, verè est censendus Peregrinus: ergo verè gaudet priuilegio Peregrinis concessio. Sic Filliucius *tractatu 16. cap. 5. quæst. 8. num. 121.* ita dicens: *Dico 2.* si dum veniunt ad urbem, diuertant ad alia loca, modo non eligant domicilium in illis, sed deinde resumant iter ad urbem, gaudent hoc priuilegio. Idemque dic, si in redeundo diuertat ad alia loca, modo non eligant in iis domicilium, sed tendant deinde in patriam, gaudent eodem priuilegio, donec perueniant in patriam suam, vnde causa deuotionis discesserunt. Sic Filliucius ex Sayro *cap. 14. num. 6.* Sic etiam Vgolinus, Duardus, & Soufa, quos citat, & sequitur Bonac. *disput. 1. q. 11. punct. 3. num. 24. vers. Secundò sequitur.*

## QVÆSTIO XV.

*An per hunc Canonem sit excommunicatus ille, qui Romipetas, etiam iniuste, verberat, aut percutit sine vulnere?*

**R**espondeo quod non. Quia Pontifex in hoc Canone, nec verberare, nec percutere prohibet, sed vulnerare, quod significat vulnus infligere, aut ferire, quod tunc contingit, quando pars aliqua corporis ictu scinditur, seu aperitur, aut separatur: ergo ille qui Romipetas verberat, aut percutit, sine vulnere, non ligatur huius Canonis Censura. Sic Filliuc. *tract. 16. cap. 5. quæst. 8. num. 124.* per hæc verba: Verberans etiam iniuste Romipetas, modo non vulnerent, neque impedimento sint quominus corporaliter iter peragi possint: non videntur incurrere excommunicationem; quia eiusmodi actio, non est prohibita, vt patet, & aduertit Vgolin. *vers. Vulnerates.* Sic ille. Alter. *etiam lib. 5. disp. 11. cap. 1. dub. 4. pag. 589.* Duard. *hic q. 2. & 18. n. 10.* Gambarupta *hic cap. 10. n. 6.* Bonacina *disputat. 1. quæstione 11. punct. 3. num. 3.* Qui ex hac doctrina colligit, nec ligari hac Censura, qui Peregrinū ad Urbem proficiscentem, virga, baculo, aut pugnis offendit sine vulnere; nec qui os in brachio,



aut femore perfringit absque scissione carnis, & sanguinis effusione; quia hic non dicitur Peregrinum vulnerare.

### QVÆSTIO XVI.

*An, si quis Romipetam occideret, vel mutilaret, aut vulneraret, &c. non ex proposito, sed ex subito ira motu, aut alia passione insurgente, incidat in hanc Censuram?*

**N**Egatiuam sententiam tenuit olim cum Caietano Nauarr. cap. 27. n. 65. eo quod in Bulla Greg. XIII. quam hic Author commentatur, solum excommunicabantur, *ex proposito interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu depradantes Romipetas, seu Peregrinos ad Urbem, causa deuotionis, seu peregrinationis.* Hanc eandem sententiam tenuisse etiam Viualdum in expositione huius Canonis ad finem, num. 13. ex grauissimis Romanæ Curia Doctoribus, testatur Bonacina ubi infra. Sed certè Viualdus in impressione antiqua oppositum expressè tenet, & vt certum supponit casu 9. n. 76. pag. 58. ubi assignando differentiam inter Bullam latam à Sixto V. quam ipse explicat, & inter Bullam latam à Greg. XIII. ait, quod in Bulla Gregorij, *excommunicabantur interficientes, & mutilantes, vel vulnerantes ex proposito; in hac autem, illud verbum, Ex proposito, sublatum fuit, & iram motum generalitatem includit.* Hæc sunt verba Viualdi. Ex quibus factis constat oppositum sensisse. Sed quidquid postea dixerit quod valde dubito, licet apud ipsum, in noua impressione reperiatur.


Tanquam quid certum respondeo: incidere, etiam si non occidat, aut mutilet ex proposito, aut data opera, sed ex subito iræ motu, aut alia passione insurgente, dummodo non sit tanta quæ consensus ad mortale requisitum, auferat. Ratio est. Quia in Bullis nouioribus sublatum est illud verbum *ex proposito*, quod in Bulla Gregorij exprimebatur. Vnde illud propositum, & electio, quæ sufficit ad committendum mortale, vt quis innotetur ad incurrendam excommunicationem aliorum huius Bullæ Canonum, eadem erit sufficiens iam, vt committens actiones in hoc Canone vetitas, innotetur excommunicatione huius Canonis. Sic iam omnes. Alter. lib. 5. disp. 10. cap. 4. dub. 3. pag. 580. Filliuc loc. cit. n. 123. Duardus hic quæst. 7. n. 1. Bonac. disput. 1. q. 11. punct. 2. num. 3. vers. Amplia.

### QVÆSTIO XVII.

*An Peregrinus, qui alium Peregrinum occidit, vel mutilat, &c. hac ligetur Censura?*

**R**espondeo tanquam certum: ligari. Tum, quia Canon generaliter loquitur. Tum etiam: quia Clericus, qui alium percutit Clericum, excommunicatione Canonis. *Si quis suadente diabolo* 17. quæst. 4. ligatur: ergo etiam Peregrinus, qui alium Peregrinum occidit, mutilat, vulnerat, &c. ligabitur excommunicatione huius Canonis. Sic Bonacina n. 3. citato.

Nota hîc, quod omnia, quæ pertinent ad declarationem actionum principalium huius Canonis, quæ sunt hæc sex, nempe, interficere, Mutilare, Vulnerare, Detinere, Capere, & Depradari, notata reperies supra disput. 9. per totam. Pro intelligentia verò aliarum actionum, nempe auxiliandi, consulendi, & fauendi, quæ quidem sunt accessoriaræ, & reperiuntur specialiter in hoc Canone, ubi excommunicantur etiam auxilium, consilium, vel fauorem dantes, lege quæ dicta sunt etiam supra disput. 7. à quæst. 53.



### DISPUTATIO XI.

*De vndecima Excommunicatione lata contra offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos.*

#### QVÆSTIO PRIMA.

*Contra quas personas lata sic hæc excommunicatio?*

**R**ESPONDEO ex textu, quod contra omnes *Interficientes, Mutilantes, Vulnerantes, Percutientes, Capientes, Carcerantes, Retinentes, vel hostiliter Insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuntios: aut eos à suis Diocæsis, Territorij, Terris, seu Dominijs eicientes: Necnon ea Mandantes, vel rata Habentes, seu Præstantes eis Auxilium, Consilium, vel Fauorem.* Sic Canon hic vndecimus.

Ex quo constat, quod excommunicatio huius Canonis fertur contra omnes personas cuiuscunque conditionis, status, gradus, & præminentia existant; exercentes erga dictos Prælatos, nempe, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Legatos Sedis Apostolicæ, & Nuntios, aliquam actionem ex nouem hîc principaliter prohibitis, quæ sunt, Interficere, Mutilare, Vulnerare, Percutere, Capere, Carcerare, Detinere, hostiliter insequi, & eicere à suis Diocæsis, Territoriis, Terris, seu Dominijs: aut etiam aliquam ex quinque accessorijs, hîc etiam prohibitis, & sunt, Mandare, aliquam dictatum actionum principalium; ratam habere, auxiliari, consulere, & fauere. Sic omnes, præcipue citandi.

#### QVÆSTIO II.

*Quid significet Pontifex per has voces, quibus utitur ad significandas relatas actiones prohibitas?*

**R**espondeo quod ex præfatis vocibus, iam patet Rex dictis supra disput. 9. & 10. quid sit interficere mutilare, capere, & detinere. Quid autem sit, vulnerare, indicauimus supra disput. 10. quæst. 15. superest ergo vt de alijs, quid significant, explicemus.

Dico igitur, quod *percutere*, idem sit, ac cum dolore cedere, seu verberare, aut pulsare manu, pugno, virga, baculo, saxo, flagello, vel alio instrumento. Sic Vgolinus cap. 10. verb. *Vulnerantes.* Alterius lib. 5. disput. 12. cap. 4. col. 1. Duardus lib. 2. Can. 11. quæst. 3. Bonac. disput. 1. quæst. 12. punct. 1. num. 2.

*Carcerare*, seu *Incarcerare*, idem est, ac custodire quempiam in loco tuto, vt non possit arbitrato suo exire; Carcer namque est locus in quo seruantur rei noxij, ita dictus quasi Arcer, ab arcendo. Sic citati DD. & Filliuc. tract. 16. cap. 9. quæst. 9. ubi benè notat has tres actiones, nempe, *capere, carcerare, & detinere*, inter se distingui, cum singula possint fieri absque alijs. Vnus enim capere potest; alius carcerare solum post capturam; & tertius detinere postquam est carceratus: & sic singulæ eiusmodi actiones possunt inducere Censuram, si seorsum fiant.

*Hostiliter insequi*, est idem, ac aliquem iniuste insequi animo nocendi, ipso aduertente, sibi que cauente, seu fugiente, vt manus insequentis euadat. Sic Alterius, Vgolinus, Duardus, Bonacina, & alij.

*Eicere*

*Eicere tandem, nil aliud est, quod aliquem antè receptum, expellere. Sic omnes DD. citati, præcipue Bonacina, & alij penes ipsum.*

## QVÆSTIO III.

*An, si quis impetum faciat ad domum Cardinalis, vel Patriarchæ, &c. & obsideat illum, & claudat in domo, non ad carcerandum, sed solum, ut verecundiam inferat; hanc excommunicationem incurrat?*

**A**ffirmat Alterius lib. 5. disput. 12. cap. 4. dubio 1. Quia mens Sum. Pontificis in hoc Canone est, punire non solum illos, qui aliquo modo offendunt Prælatos Ecclesiasticos; sed etiam, qui conarentur insequi hostiliter illos: ergo quomodocumque quis hoc intenter contra Prælaturam, siue fugientem, siue manentem obstringitur excommunicatione, cum utrobique sit eadem ratio.

Sed probabilius respondeo: incurrere in eo casu excommunicationem huius Canonis. Quia in nulla ex actionibus, in illo prohibitis, eiusmodi actio comprehenditur. Nam si in aliqua, maxime in illa, *Hostiliter insequendi*: & minime in hac: ergo in nulla. Minor probatur, quia, ut nuper est habitum, insequi hostiliter aliquem est illum præeuntem, & fugientem à dorso sequi, animo illi nocendi: at qui ad domum Cardinalis, aut Patriarchæ, &c. accedit intentione dicta, nec sequitur illos præeuntes, & fugientes, nec animo nocendi illis, aut carcerandi: ergo. Sic communis tenent sententia, ut fatetur, Alterius, Geminianus in cap. Felicis, de Pœnit. in 6. num. 6. Anchar. & Franc. ibid. Syluester excommunicat. 7. §. 23. D. Anton. 3. part. tit. 24. cap. 2. vers. Cœperit. Sayrus lib. 3. cap. 15. num. 6. Filliucius tract. 16. cap. 9. quest. 7. num. 245. Vgolinus hic verb. Vel hostiliter insequentes, num. 5. Duardus hic quest. 4. & 5. Bonacina disputat. 1. quest. 12. punct. 1. num. 5. & 6.

## QVÆSTIO IV.

*An, qui Cardinalem, vel Patriarcham, &c. insequens, telum, vel saxum projicit ad illum interficiendum, hac excommunicatione obstringatur?*

**R**espondeo ex dictis: obstringi, etiam si dictos Prælatos telo, aut saxo, non attingat. Quia hæc vera est hostilis insecutio. Sic Bonac. num. 6. citat. ex Vgolino, & Duardo. Addens idem esse dicendum, de eo, qui Cardinalem, aut alios Prælatos dictos, domi obsidet, ut illum detineat, mutilet, vel occidat, &c. quod additum, ex dictis esse verum constat.

## QVÆSTIO V.

*An non admittens Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Legatos, & Nuntios, ad possessionem suarum Ecclesiarum, aut ad Prouincias, ad quas mittuntur, Censura huius Canonis feriat?*

**R**espondeo ex dictis quest. 2. non feriri hac Censura, qui dictos Præfules non vult admittere, aut recipere. Quia hic Canon solum loquitur de eiicientibus: at sic est quod longè aliud est, quàm non recipere: ergo. Sic Toletus lib. 1. cap. 25. vers. Undecima. Duardus hic quest. 8. Filliucius tract. 16. cap. 9. quest. 3. num. 239. Bonac. disput. 1. quest. 12. punct. 3. num. 7. Alterius lib. 5. disputat. 12. cap. 5. quest. 3. pag. 620. & alij. Addentes quod qui non admitterent Legatos, aut

Nuntios Apostolicos ingredi terras sibi subiectas, etiam si non ligarentur excommunicatione huius Canonis, ligarentur tamen excommunicatione Extravag. super Gentes Ioannis XXII. de conueniend. inter communes, quamuis hæc non sit reseruata, & solum afficit impediens, non verò mandantes, consulentes, &c. ut afficit excommunicatio Bullæ.

## QVÆSTIO VI.

*An eiciens aliquem Prælaturam ex dictis, à domo Regis, seu Principis, comprehendatur hac Censura?*

**R**espondeo tanquam certum: non comprehenditur. Quia tunc non eicit illum, à diocesi sua, territorio, terra, vel dominio ipsius, quod solum est prohibitum in hoc Canone, ut constat ex verbis relatis quest. 1. Sic Nauarrus cap. 27. num. 67. Declarat. 5. ibi: Iubentes autem exire Curiam Regis, vel alium locum, qui non esset eorum Diocesum, estò malè facerent, non tamen hac Censura ligantur: quia neque eius verba, nec eadem ratio eis aptatur. Suarez disputat. 21. sect. 2. num. 70. ex eodem Nauarro. Sayrus lib. 3. cap. 15. num. 8. Filliucius tract. 16. cap. 9. num. 248. Reginaldus lib. 9. num. 313. Duardus lib. 2. Can. 11. q. 4. num. 6. Bonacina hic disput. 1. quest. 2. punct. 1. num. 14. Alterius lib. 5. disput. 12. cap. 4. vers. Sed petet aliquis.

## QVÆSTIO VII.

*An eiciens Legatum, vel Nuntium, Episcopum, vel Archiepiscopum, à locis in quibus iurisdictionem exercere possunt, afficiatur hac Censura?*

**N**egatiuam sententiam simpliciter tenere Filliucium num. 248. citato, affirmat Bonac. punct. 1. cit. num. 15. Sed non benè. Quia Filliuc. solum id docet de eiiciente Legatum, vel Nuntium; non verò de eiiciente Episcopum, Archiepiscopum, vel Patriarchas, nam de iis loquendo, oppositum sentit, & docet, ut constat ex his eiusdem verbis: verbum illud (suis) referri debet partim ad ipsos eiicientes, partim ad eiectos. Respectu enim Legatorum, & Nuntiorum, debet referri solum ad eiicientes: respectu verò Archiepiscoporum, Episcoporum, & Patriarcharum, solum ad ipsos eiectos. Quare hic erit sensus: *Excommunicamus eicientes Legatos, vel Nuntios è Terris ipsorum eicientium in quibus videlicet, Legati, vel Nuntij funguntur officio suæ Legationis, vel nunciaturæ. Item, excommunicamus eicientes Episcopos, Archiepiscopos, &c. è Terris ipsorum Episcoporum, vel Archiepiscoporum, in quibus sunt Episcopi, vel Archiepiscopi*: Dicuntur enim Terræ eorum, quoad iurisdictionem spiritualem. Hinc sequitur primò, eum, qui eiiceret Episcopum, vel Archiepiscopum, vel Cardinalem, è locis, qui non sunt dioceses ipsorum, non incursum hanc excommunicationem. Sequitur secundo, hominem priuatum, qui eiiceret Legatum, vel Nuntium è locis legationis, vel nunciaturæ, non incursum hanc Censuram; quia non eiiceret è terris, & dominio suo; nisi id faceret de mandato Domini, vel Magistratus. Hucusque Filliucius; ut videas eius sententiam.

Sed absolute, & sine distinctione longè probabilius respondeo: Affici Censura huius Canonis, illum, qui non solum Episcopum, vel Archiepiscopum, aut Patriarcham; verum etiam, qui Legatum, aut Nuntium Apostolicum è territorio, aut loco in quo iurisdictionem habent, eicit. Quia probabilius est; quod quando Sum. Pontifex in hoc Canone dicit;

*eicientes eos à suis diœcesibus*, &c. illa particula, *suis*, relationem dicat ad illam particulam, *eos*, id est, Prælatos omnes enumeratos, inter quos sunt Legati, & Nuntij; ergo. Sic Alterius *loc. cit.* ex Panormitano, vbi sic ait satisfaciens quæstioni propositæ: Respondeo, Pronomen illud *suis*, referendum esse ad personas priuilegiatas eiectas, non autem ad ipsos Dominos Terrarum eiicientes, quod patet manifestè ex illa dictione, *eos*, quæ immediatè præcedit, quæ dicitio relationem habet ad Cardinales, & Patriarchas, & alios priuilegiatos, post quâ statim sequitur hæc actio prohibita, id est, *Aut eos à suis Diœcesibus, &c.* eiiciunt, & ad hunc modum omnes exponunt hanc clausulam, &c. Sic ille, ex Panormitano, Cardinali, & aliis. Vgolinus *hic §. 1. num. 4.* Duardus *hic quæst. 9. num. 6.* Bonacina *quæst. 12. punct. 1. num. 15.* Qui idem docet de eiiciente Cardinalem ab Ecclesiis suis titularibus.

### QVÆSTIO VIII.

*An eiciens Episcopum, aut Archiepiscopum, aut alium ex præfatis Prælati, ex locis in quibus nati sunt, vel domicilium habent, vel ex suis Castris, aut oppidis, quæ bona sunt patrimonialia, hanc Censuram incurrat?*

**N**Egant aliqui DD. Quia, inquit, hoc priuilegium concessum est dictis Prælati in gratiam dignitatis eorum: ergo, vt quis hanc excommunicationem incurrat; debet eiicere illos à loco in quo spirituales vel temporales iurisdictionem habeant ratione dignitatis; non titulo patrimonij, hæreditatis, &c. Ita Vgolinus, & Duardus *loc. cit.* Palao *disput. 3. punct. 12. num. 4.* & penes ipsum, Nauarrus *cap. 27. num. 67.*

Sed probabilius respondeo: incurrere. Quia in casu proposito verificantur verba Canonis excommunicantis eiicientem præfatos Cardinales, vel Prælatos à terris suis: Terra enim, quæ alicui titulo originis, domicilij, patrimonij, aut hæreditatis competit, sua appellatur, iuxta communem loquendi modum. Sic Alterius *loc. cit.* vbi ita ait: Censæ excommunicationem incurri, quoniam propriè loquendo, illæ dicuntur, *Terræ suæ*, locus enim vbi Episcopus natus est, dicitur *Terræ suæ*; similiter, si possideat Castrum, Villam, iure hæreditario, sunt *Terræ suæ*. Quare si ex illis expellatur ratione dignitatis Episcopalis, qua insignitus est, excommunicatio contrahitur. Exemplo rem explico. Episcopus subditus Regis ratione originis, & domicilij, adeptus est Episcopatum alterius Ciuitatis in eodem Regno, & quia literis hortatorijs Proregis parere noluit, non eiicitur ab Episcopatu, sed compellitur à Patria exulare, hoc casu locus erit excommunicationi, sicut si expelleretur ab Episcopatu. Sic Alterius. Et Bonacina *disput. 1. quæst. 12. punct. 1. num. 17.*

### QVÆSTIO IX.

*An, vt incurratur hæc excommunicatio ob eiectiōem præfatorum Prælatorum lata, opus sit, vt eiectio fiat factō, & non sufficiat verbis?*

**R**espondeo tanquam certum: non esse opus, vt eiectio fiat factō; sed sufficere, si fiat verbis comminatorijs, quia his solis potest quis à loco expelli. Necessè tamen est, vt actus sit consummatus, hoc est, vt Prælati cum effectu ob minas sibi illatas actu relinquant diœcesim, & recedat. Sic Nauarrus *cap. 27. num. 67. vers. Quinta.* Vbi ait, hanc excommunicationem latam esse contra Iudices sæculares, qui cum

Episcopus non parentes suis iussis, non possunt capere, neque punire, iubent eis, vt à Regno exeant; ob quod, non solum iubentes, sed & lictores iussa exequentes, & opem ad id ferentes, imò & consulentes hac excommunicatione ligantur. Alterius *lib. 5. disput. 12. cap. 4. prope finem*, vbi admissa hac doctrina Nauarri, addit, illam esse omnino veram, quamuis Episcopi, & aliæ personæ priuilegiatæ, ita se gerent in administratione officij, vt digni essent eiectiōe, & priuatione officij, ob eam rationem, quia sæcularis potestas nullam habet iurisdictionem in Episcopum, & ideo non potest illum bannire. Vnde bene Victoria *in 1. relect. de potest. Eccles. sess. 7. præpos. 9.* dicit, grauitè errare, & peccare Magistratus, qui iudicia exercent contra priuilegia Clericorum, licet perniciosi, & criminosi sint, præterquam in casibus iure permissis. Bonacina *loco citat. num. 19.* Filliucius *tract. 16. cap. 9. num. 248.* & alij.

### QVÆSTIO X.

*An hæc excommunicatione feriatur, occidens, aut mutilans, &c. Cardinales, qui ad Cardinalitiam dignitatem electi à Pontifice sunt, & consensum electioni præstiterunt; galærum tamen rubeum non obtinuerunt?*

**R**espondeo tanquam certum: affirmatiuè. Quia Relectione Summi Pontificis, & assensu electi, creantur Cardinales. Vnde rubeus galærus minimè ad substantiam Cardinalitæ dignitatis pertinet. Ex quo constat quod præfatus occidens, verè afficiatur Censura huius Canonis, cum verè occidat veros Cardinales. Sic Paludanus *in 4. distinct. 18. quæst. 3. art. 2. casu 16.* Sayrus *lib. 3. cap. 15. num. 3.* Filliucius *tract. 16. cap. 9. quæst. 5. num. 239.* Duardus *Can. 11. quæst. 6. n. 1.* Vgolinus *hic cap. 11. §. 1. num. 1. & 2.* Bonacina *disput. 1. quæst. 12. punct. 2. num. 2. & 3.* Soula *hic cap. 12. disp. 60. num. 1.* Diana *part. 5. tractatu 2. resolut. 74.* Palao *disputat. 3. punct. 12. num. 5.* & alij.

### QVÆSTIO XI.

*An etiam, qui occideret, mutilaretve, &c. Cardinales Ecclesiæ S. Iacobi, afficeretur excommunicatione huius Canonis?*

**R**espondeo tanquam certum: negatiuè. Quia prædicti non sunt Cardinales S. Romanæ Ecclesiæ, de quibus expressè loquitur hic Canon. Sic communiter omnes, & præcipuè Alterius *lib. 5. disp. 12. cap. 2. col. 2.* vbi sic ait: Addit autem Sum. Pontifex, *Sanctæ R. E.* vt significaret, de quibus Cardinalibus loqueretur: nam Canonici etiam quarundam Ecclesiarum, Cardinales appellari solent, & solitis Cardinalium indumentis vti; vt Canonici Ecclesiæ S. Iacobi Compostellanæ, & Rauennatensis, vt notat Glossa dicta *Clement. Dignum, verb. Romana, de celebr. Missarum*: Illis tamen Papa hoc priuilegium non intendit concedere; sed tantum Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ, qui verè, & propriè sunt Cardinales, & creati possunt à solo Romano Pontifice: ideo, qui offenderet Canonicum S. Iacobi Compostellani, vel Rauennatens. vel alterius Ecclesiæ, quæ priuilegio nominis, vel habitus Cardinalium gauderet, non incurreret excommunicationem huius Canonis. Sic ille. Et Filliuc. & Bonac. *loc. citatis.*

## QVÆSTIO XII.

*An interficiens, aut capiens, &c. Episcopum electum, & confirmatum, sed non consecratum, vinculo excommunicationis huius ligetur?*

**A**ffirmant aliqui; eo quod Episcopus confirmatus, verè & propriè est Episcopus; cum gaudeat iurisdictione Episcopali, & actus iurisdictionis exercere possit, cap. *At si Clerici, de iudicijs*, & cap. *Nihil, de electione*; ergo debet etiam gaudere priuilegio huius Canonis; ergo, &c. Ita Graffius 1. p. *decis. lib. 4. cap. 18. n. 102.*

Sed probabilius respondeo non ligari. Quia probabilius est, quod Episcopus confirmatus, sed nondum consecratus, non vocetur verè, & propriè Episcopus, vt ait Glossa in *Clement. 1. de pœnis, verb. Quemuis Pontificem*, ergo & probabilius est, quod interficiens, aut capiens Episcopum electum, confirmatum, etiam post acceptam possessionem Episcopatus, nondum tamen consecratum, non remaneat obstrictus hac Bullæ excommunicatione, quamuis remaneret alia, etiam reseruata Papæ, cap. *Si quis suadente 17. quest. 4.* Sic Caiet. *verb. excommun. cap. 12. ibi*: Aduerte hic, quod appellatione Pontificis, seu Episcopi, non venit nisi consecratus Episcopus: quia electus, & non consecratus non est Episcopus, licet sit administrator, & Episcopus electus. Syluester *excommun. 7. §. 44.* Nauarr. *cap. 27. num. 67. vers. octaua.* Tolet. *lib. 1. cap. 25.* Abbas, Felin. Cardin. & D. Anton. quos omnes refert, ac sequitur Alterius *lib. 5. disp. 12. cap. 3. dubit. 2.* Suarez *disp. 21. sect. 2. num. 69.* vbi ad fundamentum oppositæ sententiæ respondet, quod licet Episcopus electus, & confirmatus sit verè Episcopus, quoad ea, quæ iurisdictionis sunt; quia tamen deest illi consecratio, propter quam immunitas hæc, & priuilegium Episcopis est concessum, ideo hoc priuilegium solis Episcopis consecratis esse concessum censendum est. Sayrus *lib. 3. cap. 15. num. 4.* Duard. *hic quest. 8.* Reginald. *lib. 9. cap. 20. n. 3. 13.* Filliuc. *tract. 16. q. 5. n. 240.* Vgolin. Soufa, Viuald. quos affert, & sequitur Bonacina *hic disp. 1. quest. 12. punct. 2. num. 7.* Palao *disp. 3. punct. 12. num. 5.*

## QVÆSTIO XIII.

*An interficiens, aut mutilans, &c. Episcopum excommunicatum, suspensum, interdictum, irregularem, aut degradatum verbaliter, incidat in censuram huius Canonis?*

**R**espondeo incidere. Quia interficit, aut mutilat Episcopum, verè, & propriè talem. Sic Alterius *lib. 5. disp. 12. cap. 3. dub. 3. & 6.* Bonacina *disp. 1. quest. 12. punct. 2. num. 8.* Sayrus *lib. 3. cap. 15. num. 4.* Vgolinus *hic cap. 11. §. 1. num. 1.* Reginaldus *lib. 9. num. 3. 13.* Duardus *hic quest. 8. à num. 5.* Qui idem dicunt de interficiente, aut mutilante, &c. Episcopum, qui loco, Episcopatus, & dignitati renunciauit. Secus verò de interficiente, seu mutilante, &c. Episcopum, Cardinalem, Patriarcham, &c. actualiter, & realiter depositum, seu degradatum; quia hi per actualem, & realem depositionem, seu degradationem priuantur priuilegio clericali; & ita percutiens, aut mutilans, seu occidens, &c. illos, non incurrit excommunicationem huius Canonis, quam tamen incurreret si offendat prædictos Prælatos depositos, seu degradatos verbaliter tantum.

\* \* \*

## QVÆSTIO XIV.

*An item in excommunicationem huius Canonis incidat, qui clericam, vel Religiosum de familia Cardinalis, Nuncij, vel Episcopi, &c. occidit, mutilat, vel vulnerat, &c.*

**A**ffirmant Sayrus *lib. 13. cap. 15. num. 3.* & Viualdus *hic casu 11. num. 86.* vbi ita dicit. Secundò nota quod hæc excommunicatio, quæ hodie est Bullæ Cœnæ, fuit olim etiam lata, & canonico iuri inserta, in cap. *Felicitis, de pœnis, lib. 6.* Notat Armilla *supr.* & Nauarr. *cap. 27. n. 67.* Ex quo capite, & ex constitutione Pij V. edita, anno 1564. 14. *Kalend. Ianuar. Pontif. sui, anno 4.* nota tertio, quod licet in hac clausula, tantum fiat mentio de Cardinalibus, Archiep. Episcop. &c. extendenda est tamen ad percutientes, vulnerantes, &c. Clericos, vel Religiosos familiæ Cardinalium, vt notat Armilla *verb. excommun. cap. 2.* & Felicianus Episcop. Scalensis in suo *Enchirid. in explicatione huius cap.* Ita Viualdus.

Sed certè malè (sicut etiam Bonac. mox citand.) citat Armillam pro hac sententia: quoniam Armilla ad summum, solum affirmat, quod vulnerantes, seu percutientes, &c. Clericos, vel Religiosos familiæ Papæ, vel Cardinalium afficiantur excommunicatione lata in cap. *Felicitis, cit.* (de quo infra) non tamen Bullæ Cœnæ. Vnde

Probabilius longè respondeo: Non incidere, etiam si occidat, mutilat, &c. coram Cardinali, Nuncio, vel Episcopo, &c. & in contemptum ipsorum. Quia quamuis occidens, aut mutilans Clericum, vel Religiosum familiarem alicuius Cardinalis, vel Nuntij, &c. iniuriam faciat ipsimet Cardinali, aut Nuntio, &c. non tamen punitur censura huius Bullæ Canonis, quia in illo non exprimentur familiares horum Prælatorum; sed solum ipsimet Prælati: & ideo occidens eos, non est contumax contra hunc Canonem. Sic Alterius *lib. 5. disp. 12. cap. 3. dub. 7. pag. 613.* Soufa *hic cap. 12. disp. 66. num. 3.* Duardus *lib. 2. Can. 11. q. 10. n. 1.* Bonacina *hic disp. 1. quest. 12. punct. 2. n. 11.* Palao *disp. 3. punct. 12. num. 5.* Acolta in *Bulla Cruc. quest. 65.* Barboza in *Collect. Doct. tom. 3. in 6. Decret. lib. 5. tit. 9. cap. 5. n. 35.* Legatur etiam Diana *part. 5. tract. 2. resol. 83.* vbi refert vtramque sententiam nulli tamen adhæret.

## QVÆSTIO XV.

*An saltem offendentes non solum Clericos, vel Religiosos familiares Papæ, vel Cardinalium, sed etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporumve, incidant in excommunicationem latam in cap. Felicitis, de pœnis?*

**A**ffirmant Nauarr. *cap. 27. num. 67. vers. Secunda, & vers. Tertia.* Duard. *loc. cit. quest. 22. num. 26.* & Soufa *loc. cit.* Quorum fundamentum est: quia in d. cap. *Felicitis*, afficiuntur excommunicatione offendentes Clericos, & Religiosos familiares Papæ, vel Cardinalium: at sic est, quod quantum ad cap. dictum, & pœnas in eo contentas, æquantur Cardinalibus, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Legati, seu Nuncij Sedis Apostolicæ: ergo.

Alij verò media via incedentes, docent, solum affici excommunicatione d. cap. *Felicitis*, offendentes, (aliqua actione ex hinc prohibitis) Clericos, seu Religiosos familiares Papæ, vel Cardinalium, non verò offendentes Patriarcharum, Archiepiscoporum, & aliorum Prælatorum familiares: quia, inquit, non de his, sed de illis fit mentio in d. cap. Ita Alterius *loc. cit.*

Sed ego probabilius respondeo neutros incidere

in excommunicationem latam in d. cap. *Fœlicis*. Quia probabilius est, nullam, contra præfatos offendentes Papæ, aut Cardinalium familiares, extare in præfato capite excommunicationem: ergo nullus offendens familiares Papæ, siue Cardinalium, siue aliorum Prælatorum, excommunicationem incurret. Consequentia est euidens. Antecedens verò probatur: quia in d. cap. nullum verbum excommunicationis contra ipsos reperitur, sed tantummodo statuitur, vt offendentibus familiares Papæ, aut Cardinalium imponatur pœna pro qualitate culpæ: *Premissis* (inquit Bonifac. VIII.) *etiam dignum censuimus annectendum, vt si quisquam aliquo prædictorum excessum* (scilicet, ait Glossa, infecutionis, captionis, aut percussiois, aut societatis horum criminum) *quemquam de Clericis, vel Religiosis nostræ familia, vel Cardinalium afficere forte præsumpsit: proportionetur pœna delicto, ita quod vindicta ex æquo excessu respondente, ab offensa nostrorum cohibeantur deinceps manus temeraria formidine ultionis, quas Dei, vel nostræ, seu fratrum nostrorum reuerentia non coërcet*. Hucusque textus. Ex quo, & veritas nostræ responsionis; & responsio ad fundamenta oppositarum, clarè apparet. Sic Bonacina *disp. 1. q. 12. punct. 2. num. 12. vers. Addunt tamen*, tenet. Et ante illum, ni fallor, Armilla *hic excommun. 2. fol. mibi 109. ibi*: Simili pœna plectendi sunt facientes prædicta Clericis, & Religiosis, familiaribus Papæ, vel Cardinalium. Sic ille.

#### QVÆSTIO XVI.

*An Cardinalis, Episcopus, vel Nuncius occidens, mutilans, capiēsvē, &c. alium Cardinalem, Episcopum, vel Nuntium, excommunicatione huius Canonis afficiatur?*

**R**espondeo affici. Quia verè delinquit contra Canonem ligantem omnes homines cuiuscunque sexus, & conditionis existant. Sic Vgolin. & Duard. quos affert, & sequitur Bonacina *disp. 1. quest. 12. punct. 3. num. 2.* & colligitur ex dictis in simili *suprà disp. 10. quest. 17.*

#### QVÆSTIO XVII.

*An Cardinalis, seu Episcopus, &c. se ipsum vulnens, aut percutiens, excommunicationi huius Canonis subijciatur?*

**N**egat Bonacina *loc. cit. n. 3.* & negabunt etiam illi, qui existimant non subiici excommunicationi Canonis, *Si quis suadente*, Clericum, qui in seipsum manus violentas iniicit, de quo *infra*. Bonacinam sequitur Diana *part. 3. tract. 5. resol. 81. & part. 5. tract. 2. resol. 84.*

Sed probabilius respondeo subiici excommunicationi huius Canonis. Quia præfatus, verè exercet actionem in hoc Canone interdictam sub excommunicatione. Sic Tabiena *excommunic. 5. casu 1. num. 32.* Vgolinus *hic cap. 11. §. 1. num. 1.* Duardus *hic q. 8. n. 8. & q. 22. n. 2.*

#### QVÆSTIO XVIII.

*An occidens, aut percutiens Cardinalem, seu Episcopum, turpiter inuentum cum propria matre, uxore, vel filia, hanc excommunicationem incurrat?*

**A**ffirmat Alterius *lib. 5. disput. 12. cap. 5. dubit. 3. pag. 621.* quem citat, ac sequitur Bonacina *disp. 1. q. 12. punct. 3. n. 5.* Quia (inquit) hic Canon absolute ex-


communicat offendentes Cardinales, & alios Prælatos in eo expressos absque exceptione causarum in cap. *Si verò 1. & 2. de sententia excommun.* ergo frustra excipiuntur præassignatæ causæ.

Sed probabilius respondeo: Non incurtere in præassignatis casibus excommunicationem. Quia qui in illis incontinenti Cardinalem, aut Episcopum, &c. percutit, non præsumitur percutere, suadente diabolo, sed ex vehementi passionis impetu, quasi proprium honorem quodammodo tuendo: & ideò non videtur agere contra Canonem contumaciter. Sic Duardus, & Vgolinus *loc. cit.* & apud Bonacinam, Vivaldus *hic num. 5.* Sed hic author in impressione antiqua nil de hac quæstione agit.

#### QVÆSTIO XIX.

*An mandans, ratum habens, consulens, fauens, & auxilians præfata delicta, in excommunicationem incidant?*

**R**espondeo affirmatiuè, quia id constat ex ipsomet textu Canonis, vt habes *supr. quest. 1.* Sic omnes Doctores, inter quos legatur Alterius *lib. 5. disp. 12. cap. 6. vbi in principio*, sic ait: Ex narratis verbis Canonis colliguntur quinque actiones damnatæ sub eadem censura excommunicationis in ordine ad illas nouem actiones principales. *Prima* est, mandare. *Secunda*, ratum habere. *Tertia*, præstare auxilium. *Quarta*, dare consilium. *Quinta*, fauorem præbere alteri, vt interficiat, mutilet, vulneret, vel aliam ex actionibus prohibitis, committat in Cardinalem, Patriarcham, Archiepiscopum, Episcopum, Legatum, aut Nuncium Apostolicum. Sic ille.



#### DISPUTATIO XII.

*De duodecima Excommunicatione lata contra offendentes recurrentes ad Romanam Curiam, super eorum causis, & negotijs.*

#### QVÆSTIO PRIMA.

*Contra quos lata sit hæc Excommunicatio?*

**R**ESPONDEO ex textu Canonis, quod contra omnes illos, qui per se, vel per alios, personas Ecclesiasticas quascunque, vel seculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negotijs recurrentes, ac illa in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, negotiorumque Gestatores, Aduocatos, Procuratores, & Agentes; seu etiam Auditores, vel Iudices super dictis causis, vel negotijs deputatos; occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi, occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant; seu qui per se, vel per alios, directè, vel indirectè delicta huiusmodi committere, Exequi, vel Procurare; aut eisdem, Auxilium, Consilium, vel Fauorem præstare non verentur, cuiuscunque præminentia, & dignitatis fuerint. Sic Canon.

Ex quo constat, quod excommunicatio huius Canonis fertur contra omnes personas cuiuscunque conditionis, gradus, præminentia, & dignitatis existant, exercentes contra nouem genera personarum, nempe, Contra Recurrentes ad Curiam Romanam, super causis & negotijs eorum. Contra Prosequentes easdem causas in Romana Curia. Contra Procurantes in iisdem causis. Contra Gestatores negotiorum. Contra

tra Aduocatos. Contra Procuratores. Contra Agentes ipsorum. Contra deputatos super dictis causis, & denique contra Iudices super iisdem, aliquam actionem ex sepre in dicto Canone prohibitis, quæ sunt; Occidere, Percutere, Spoliare, Committere per se, vel per alium, directè, vel indirectè eiusmodi delicta, Exequi, Procurare, & denique in iisdem Præstare auxilium, Consilium, & Fauorem. Sic omnes in præsentiarum.

## QVÆSTIO II.

*In quo distinguatur hæc censura ab alia, in ordine, nona?*

**R**espondeo distingui in hoc, quod in illa excommunicantur offendentes eos, qui veniunt ad Curiam, vel recedunt ab ea, dum adhuc sunt in itinere, & eos, qui eisdem morantes in Curia, sine speciali iurisdictione, iudicant, & puniunt pœnis corporalibus. At in hac, excommunicantur offendentes eos, qui recurrunt ad Sedem Apostolicam, siue veniant ipsi in persona, siue non, siue sint in Curia, siue alibi. Et præterea offendentes Aduocatos ipsorum, Procuratores, &c. Ac tandem, excommunicantur qui ad hæc facienda directè, vel indirectè cooperantur, aut auxilium, consilium, vel fauorem præstare præsumunt. Legantur Filliuc. tract. 6. cap. 7. quas. 10. n. 180. Alterius lib. 5. disp. 13. in principio. Bonacina disp. 1. q. 13. etiam in principio. Palao disp. 3. punct. 13. n. 4.

## QVÆSTIO III.

*An incurrant excommunicationem huius Canonis, illi, qui occidunt, seu percutiunt, spoliantve recurrentes ad Curiam super eorum causis; casu, quo, ex alijs motiuis, & occasionibus, eos occidunt, percutiantve, &c.*

**R**espondeo tanquam certum: Non incurrere excommunicationem huius Canonis, (quamuis non euitent illam, quæ lata est Canone nono contra offendentes eos, qui ad Sedem Apostolicam proficiscuntur, vt habitum est supra disp. 9.) Ratio est, quia in casu assignato cessat ratio formalis huius excommunicationis. Sic Viuald. hic n. mibi 92. his verbis: Tertiò nota, quod si quis aliquam dictarum personarum, zelotypiæ, ludi, alteriùsve litis, vel negotij occasione, occiderit, percusserit, vel spoliauerit, non incurreret excommunicationem; quia dicitur in Bulla; occasione causarum, vel negotiorum huiusmodi. Sic ille. Alterius lib. 5. disp. 13. cap. 2. vers. Ex dictis patet, pag. 645. Suarez disp. 21. sect. 2. n. 73. Filliuc. loc. cit. n. 173. Vgolin. Sayrus, Reginaldus, Graffius, & alij, quos citat ac sequitur Bonac. q. 13. cit. punct. 1. n. 7. & punct. 2. n. 3. Palao punct. 13. cit. n. 3. vers. Præterea, & communis.

## QVÆSTIO IV.

*An recurrentes ad Curiam pro suis negotijs, gaudeat priuilegio huius Canonis, casu quo ipsis iam absolutis, & finitis, in suam domum sit reuersus?*

**R**espondeo non gaudere, quia huiusmodi priuilegium solum est concessum recurrentibus ad Sedem Apostolicam pro suis causis, & negotijs: at qui iam absoluta causa, reuersus est in domum suam, non dicitur iam recurrentes: ergo. Ex quo sequitur, quod ille, qui prædictum occurrentem, peractis causis, & negotijs occidit, non subiiciatur huic excommunicationi, etiam si illum occidat intuitu negotiorum. Sic Soufa disp. 68. n. 3. Bonacina disp. 1. quas. 13. punct. 2. n. 4. Palao disp. 3. punct. 13. n. 7.

## QVÆSTIO V.

*An saltem gaudeat priuilegio huius Canonis recurrentes ad Curiam, dum ad suam domum reuertitur?*

**N**egat adhuc Bonacina loc. cit. n. 5. Quia qui negotium, & causam absoluit, non dicitur amplius recurrentes ad Sedem Apostolicam, seu eius Curiam: ergo clarè sequitur, illum, absolutis negotijs, non gaudere priuilegio huius Canonis, etiam si domum nondum redierit. Negat etiam Palao loc. cit.

Sed probabilius respondeo gaudere in eo casu, Et consequenter in excommunicationem hanc incidere non minus eos, qui offendunt recedentes à Curia finitis suis causis, & negotijs; quam si offenderent recurrentes, vel in ea manentes. Ratio est, tum quia priuilegium concessum alicui veniendi, intelligitur eo ipso concessum ad recedendum cap. fin. de treug. & pac. & ibi Abbas, Felin. & alij DD. Tum etiam, quia quamuis in hoc Canone non fiat mentio de recedentibus, sed solum de recurrentibus, affirmandum est nihilominus, priuilegium esse etiam concessum recedentibus à Curia: quia si huiusmodi recedentes à Curia non gauderent priuilegio huius Canonis, quando ab ea recedunt, hæc constitutio careret fine suo, qui est, vt vnicuique tutò, & absque villo timore pro suis causis, & negotijs ad Curiam Rom. confugere liceat: nam, vt benè Abbas in cap. Ego N. n. 21. de iureiur. Non securè venit, qui tutò redire non potest. (Addo, quod in omnium sententia, non euitaret excommunicationem Canonis noni, qui offenderet recedentes à Sede Apostolica, iuxta dicta à nobis disp. 9.) Sic latè, & optimè Alterius lib. 5. disp. 13. cap. 3. vers. Quæret aliquis. Vgolinus hic vers. Ac illa. Duardus q. 8. & Anton. de Soufa loc. cit.

## QVÆSTIO VI.

*An ad incurrendam excommunicationem huius Canonis, opus sit, vt prædictæ actiones, fiant autoritate iudiciaria laica?*

**A**ffirmatiuam sententiam tenuisse Caietanum, ait Nauarrus infra citandus; sed non assignat locum. Nec inuenit Suarez. Et certè in verb. excommun. cap. 15. vbi hunc Canonem exponit, id non dicit. Imò ait, hanc censuram quoad personas offendentes esse vniuersalem. Quapropter Alterius vbi infra, pro negatiua parte Caietanum citat.

Vnde tanquam certum respondeo: Non esse opus ad incursum excommunicationis huius Canonis, vt prædictæ actiones fiant auctoritate iudiciaria laica: sed sufficere si committantur etiam à priuata persona, vel Ecclesiastica. Quia verba Canonis sunt vniuersalia: ergo vniuersaliter sunt intelligenda: ergo ad incursum eius censuram sufficere, vt prædictæ actiones, seu impedimenta publica, seu iudiciaria auctoritate laica, siue priuata, aut Ecclesiastica fiant. Sic Nauart. c. 27. n. 68. vers. Quinta. Rebuffus hic art. 9. Alterius disp. 13. cit. cap. 1. vers. Quare, pag. 645. Suarez disp. 21. sect. 2. n. 73. Filliucius tract. 16. cap. 7. quas. 10.

## QVÆSTIO VI.

*An qui iniuste occidit, seu percutit, aut spoliat illum, qui iniuste recurrit ad Sedem Apostolicam, excommunicationem huius Canonis incurrat?*

**N**egant illam incurrere, qui occidit, seu percutit illum, quem certò constat non habere in foro conscientia,

conscientiæ, seu externo, ius confugiendi ad Sedem Apostolicam, Rebuff. art. 9. in verb. Recurrentes. Reginald. lib. 9. n. 3. 19. Duard. q. 9. vers. Quinto, & Soufa c. 13. disp. 69. num. 5. & seq.

Sed probabilius respondeo incurrere excommunicationem hanc. Quia huiusmodi Canon absolute, & indistinctè loquitur de recurrentibus ad Romanam Curiam ob causas, seu negotia: ergo indistinctè intelligendus est, cap. solita, § fin. de maiorit. & obed. Tum, quia fieri potest, vt recurrentes, bona fide recurrat, putans se iustam prosequi causam: ergo par est, vt priuilegio huius Canonis protegatur. Sic omnino Bonac. disp. 1. q. 13. punct. 3. n. 3. & ante illum, Alterius lib. 5. disp. 13. cap. 3. vers. Petrus Rebuffus. vbi ait sententiam contrariam carere fundamento. Vgolinus hic §. 1. n. 3. vers. Septimo.

### QVÆSTIO VIII.

*An ratas habens actiones in hoc Canone prohibitas, vinculo huius excommunicationis ligetur?*

**A**ffirmat Alterius lib. 5. disput. 13. cap. 2. col. 2. vers. Queret quis, casu, quo commissum fuerit delictum nomine illius, qui postea illud ratum habet, ita vt postquam factum fuerit comprobet, & placeat.

Sed probabilius respondeo non ligari. Tum, quia in hoc Canone nulla fit mentio de ratihabitione. Tum etiam, quia licet ratihabitio æquiparetur mandato, habeatque vim mandati virtualis, iuxta regul. ratihabitionem, de regul. iur. in 6. hoc tamen solum habet verum in contractibus, non verò in delictis cum ratihabitio sit posterior delicto commissio, & sic in illud posituè influere nequeat. Vnde etiam si mandantes prædictas in Canone prohibitas actiones, videantur comprehendi illis verbis, *Per se, vel per alios, directè, vel indirectè*, non tamen ex eo licet inferre, vt Alterius infert, etiam comprehendi ratum habentes, ob rationem dictam. Sic Vgolinus hic §. 1. num. 1. vers. Item locum. Duardus can. 11. quest. 9. num. 5. Filliucius tract. 16. cap. 7. q. 12. dicto 2. n. 181. Bonacina hic disp. 1. quest. 13. punct. 3. num. 7. Palao disp. 3. punct. 13. num. 10. & communis.

### QVÆSTIO IX.

*An non impediens præfata fieri delicta, vinculo huius censura obstringatur?*

**A**ffirmant obstringi, casu, quo persona non impediens, cum possit, sit publica; aut etiam priuata, si tales actiones fieri, dolo malo permittat, Alterius disp. 13. cit. cap. 2. dub. 3. Duardus loc. cit. num. 7. & Filliucius num. 182. ita dicens: Scientes aliquem, qui velit, v. g. occidere, aut spoliare prædictos, siquidem teneatur ex officio, vel dolosè non succurrat, probabile est etiam incurrere; quia censentur fauere: non alij, qui tantum sciunt, sed non tenentur ex officio, quia non censentur propterea fautores. Ita ille.

Sed probabilius respondeo non obstringi. Ratio est, inquit Bonacina, quia ad hanc censuram incurrendam, necessarius videtur actus aliquis positiuus in crimen prohibitum, vt examinanti verba textus liquidò constabit. Qui autem non impedit, nullum positiuum actum in crimen prohibitum exercet; cum negatiuè se habeat, nec magis in delictum influat, non impediendo prauo animo, quàm ex sola culpabili negligentia. Hoc tamen intelligitur, modò quasi auctoritatiuè non assistat, tunc enim delinquens animosior fit ad delictum patrandum, & consequen-

ter assistens censetur auxilium, vel fauorem præstare. Hucusque ille disp. 1. q. 13. punct. 3. n. 8. quem citat, & sequitur Palao disp. 3. punct. 13. n. 11.



### DISPVATIO XIII.

*De decimatertia Excommunicatione, lata contra appellantes, à grauamine, aut executione literarum Apostolicarum, ad laicam potestatem.*

### QVÆSTIO VNICA.

*Contra quos lata sit hæc Excommunicatio?*

**R**ESPONDEO ex textu Canonis, quod lata sit contra omnes tam Ecclesiasticos, quam saculares cuiusque dignitatis, qui prætexentes friuolam quandam appellationem à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis, tam gratiam, quàm iustitiam concernentium; necnon Citationum, Inhibitionum, Sequestrorum, Monitoriorum, Processuum executorialium, & aliorum decretorum à Nobis, & à Sede prædicta, seu Legatis, Nuncijs, Præsidentibus Palatii nostri, & Camera Apostolica Auditoribus, Commissarijs, alijsque Iudicibus & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint, aut alias, ad Curias saculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea instante etiam Fiscus Procuratore, vel Aduocato, appellationes huiusmodi admitti; ac Litteras, Citationes, Inhibitiones, Sequestra, Monitoria, & alia prædicta, capi, & retinere faciunt. Quæve illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine, executioni demandari; aut ne Tabelliones, & Notarij super huiusmodi literarum, & processuum executione, instrumenta, vel acta conficere aut confecta, parti, cuius interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent: Ac etiam partes, seu eorum Agentes, consanguineos, affines, familiares, Notarios, Executores, & Subexecutores literarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent; ex ciuitatibus, locis, & regnis eijciunt, bonis spoliunt, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios a publicè, vel occultè: Quæve alias quibuscumque personis, in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotijs prosequendis, seu gratijs, vel literis impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant; seu gratias ipsas, vel literas à dicta Sede impetrent, seu impetratis utantur, directè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere presumunt. Hæc Canon.

Ex quo constat, hanc excommunicationem continere tres partes. Prima, contra eos, qui prætextu friuolæ appellationis recurrunt ad Curias saculares, ad quas appellant à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum. Et hæc pars continetur vsque ad illa verba; *capi, & retineri faciunt.*

Secunda pars, est contra ipsos Magistratus prohibentes prædictas literas Apostolicas executioni mandari, siue simpliciter, siue sine eorum beneplacito, & contra impediens, seu prohibentes acta confici, seu instrumenta, & alia huiusmodi super executione dictarum literarum. Et hæc pars continetur, vsque ad illa verba, *Publicè, vel occultè.*

Tertia tandem est contra eos, qui prohibent directè vel indirectè, accedentes ad Romanam Curiam pro negotijs

negotiis prosequendis, gratiis, vel literis impetrandis; vel ne impetratis utantur; vel dictas literas apud se, vel apud alios quomodolibet retinere præsumunt.

Quia materia huius Censuræ est grauissima, & à multis hoc tempore disputata in Hispania, libenter de ea tractare, secutus Suarium, omitto. Legantur Alterius, Filliuc. Bonac. & alij DD. hic.



## DISPUTATIO XIV.

*De decimaquarta Excommunicatione, lata contra eos, qui causas spirituales commissas à Papa, virtute Literarum Apostolicarum, ad se aduocant, vt illarum executionem impediunt.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*Contra quos lata sit hæc Excommunicatio?*

**R**ESPONDEO ex textu Canonis; Quod contra omnes & singulos, qui per se, vel alios, auctoritate propria, ac de facto, quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & Literarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus & Commissarijs nostris, aliisque Iudicibus Ecclesiasticis auocant, illorumque cursum & audientiam, ac personas, Capitula, Cõuentus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Iudices interponunt. Quine partes actrices, quæ illas (scilicet causas) committi fecerunt & faciunt, ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes vel inhibitiones, aut alias literas in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à Censuris, & pœnis in illis contentis absolui, per statutum, vel alias compellunt, vel executionem literarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, & decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum præventionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, vt dicunt, supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram nobis, & Sede Apostolica legitime prosequantur; etiam si talia Commitentes fuerint Præsides Cancellariorum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Consiliarij, Ordinarij, vel Extraordinarij, quorumcunque Principum secularium; etiam si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate; aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij, seu Vicarij fuerint. Huc vsque textus. Quem non posse melius exponi, quàm ad literam referendo, ait Suarez hic, disput. 21. sect. 2. n. 75. & ideo, ita facit, & alij plures cum eo. Legatur Palao tom. 6. disp. 3. de Censur. puncto 15.

## QVÆSTIO II.

*Quæ sit materia; quæ actiones; & quæ personæ comprehensæ in hæc Excommunicatione?*

**R**ESPONDEO: Quod materia est sacrilegium, quo Sedes Apostolica in sua iurisdictione violatur, per has sex actiones principales in hoc Canone expressas. Prima est, auctoritate propria auocare causas

R. P. Leand. de Censuris.

spirituales, aut spiritualibus annexas, ad se ab Auditoribus & Commissarijs Sedis Apostolicæ, & alijs Iudicibus Ecclesiasticis. *Secunda*, impedire cursum earundem, & personas, vel capitula, &c. prosequi eas volentes. *Tertia*, interponere se tanquam Iudices in cognitione earundem causarum. *Quarta*, compellere partes actrices, quæ causas prædictas Iudici Ecclesiastico committi fecerunt, ad reuocandas citationes, inhibitiones, & alias literas decretas in huiusmodi causis. *Quinta*, compellere easdem partes ad faciendum eos absolui à Censuris, contra quos emanarunt tales inhibitiones. *Et sexta*, impedire executionem literarum Apostolicarum, executorialium, processuum, & decretorum quomodolibet. His accedunt tres actiones accessoriae, quæ sunt; præstare fauorem, consilium, & assensum. Personæ autem quæ prohibentur dictas actiones exercere, sunt omnes; quamuis principales nouem; nempe, Præsides Cancellariorum, Consiliorum, & Parlamentorum, Cancellarij, Vicecancellarij, Consiliarij tam ordinarij, quàm extraordinarij quorumcunque Principum: Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij & Vicarij, & hi omnes, siue per se, siue per alios, prædictas actiones exercent. Sic Filliuc. tr. 16. c. 10. à n. 250. Legantur Alterius lib. 5. disput. 15. c. 1. Bonac. disp. 1. q. 15. punct. 1. Palao punct. 15. cit.

## QVÆSTIO III.

*An incidant in excommunicationem huius Canonis, qui auocant ad se, à dictis Ecclesiasticis Iudicibus, causas non spirituales, sed temporales?*

**R**ESPONDEO tanquam certum: Non incidere. Quia in Canone solum exprimentur causæ spirituales, aut spiritualibus annexæ: ergo per illum non prohibentur causæ temporales; nam vbi aliqua expressè prohibentur, alia concessa videntur, si in prohibitis & omissis non sit eadem ratio. l. Marius. C. de Procur. l. Cum Prator. ff. de Iudic. Sic Alterius lib. 5. disp. 15. c. 1. vers. Hinc sequitur. Palao disp. 3. punct. 6. n. 8. & 9.

## QVÆSTIO IV.

*An ad incurrendam excommunicationem huius Canonis opus sit, vt aduocentur ad seculare Tribunal cause, quæ iam coram Ecclesiastico Tribunali erant introductæ?*

**N**EGATIUM sententiam amplecti Vgolinum hic, capite 14. §. 1. versu, Septimo. & Filliucium tractatu 16. capite 10. numero 253. & alios, dicit Bonacian, vbi infra. Sed non omni ex parte bene. Quia ex his, Filliucius, saltem, solum ait, quod non modo prohibetur aduocatio ad se causarum iam pendentium apud Ecclesiasticos Iudices, verum etiam si quis prohibeat Ecclesiasticis Iudicibus, ne procedant in cognoscendis talibus causis, aut partibus ipsis ne prosequantur coram dictis Iudicibus, incidet in hanc Censuram. Hæc Filliuc. Et bene, vt constat ex habitis quaestione 2. Sed non negat, quæ illi imponit Bonacina. Vnde

Omnino respondeo: dicendum opus esse ad incurrendam hanc excommunicationem per actionem auocandi causas spirituales ad seculare Tribunal, quod prius coram Tribunali Ecclesiastico sint introductæ. Ratio est, quia alias non dicerentur illæ à Iudicibus Ecclesiasticis auocari, quod expressè exigit Canon: ergo. Sic Duardus hic, quaestione 5. num. 30. Bonacina disputatione 1. quaestione 15. puncto 1. num. 3. vers. Secundo sequitur.



## QVÆSTIO IV.

*An ut Magistratus secularis incurrat hanc Censuram, auocando causas spirituales ab Auditoribus Sedis Apostolicæ, necesse sit, ut hoc faciat auctoritate iudiciaria, & etiam prætextu privilegiorum & gratiarum, quas præterdit à Sede Apostolica obtinuisse?*

**N**egat Alterius *lib. 15. disp. 15. c. 1. col. 2. vers. Quorumcunque exemptionum* existimantes ad incurrendam quem dictam Censuram vnum, aut alterum sufficere, nempe, aut quod dictam actionem auocandi, exerceat prætextu privilegiorum, exemptionum, aut gratiarum Apostolicarum; aut solum ex mera ipsius voluntate, absque vilo prætextu exemptionum, &c. Quia aliàs (inquiunt) non fuisset satis prouisum expeditionum causarum spiritualium.

Sed probabilius respondeo: Vtrumque esse necessarium ut dictus Magistratus incurrat huius Canonis Censuram, per auocationem causarum spiritualium, videlicet, & quod hoc faciat auctoritate iudiciaria, & simul etiam prætextu exemptionum, gratiarum, seu literarum Apostolicarum. Quia in textu clarè id habetur, ibi: *Auctoritate propria, & de facto, quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum prætextu*: ergo. Sic Suarez *disp. 21. sect. 2. n. 75.* vbi explicans præfata Canonis verba, ita ait: In quibus verbis illud solum aduertendum est, hinc solum excommunicari eos, qui auctoritate iudiciaria hoc faciunt, & prætextu literarum Apostolicarum. Vtrumque enim sub particula copulatiua proponitur. Vnde hæc clausula. vel supponit tales literas, vel gratias Apostolicas nullas esse, sed falsò confingi; aut certè eas reuocat quæcunque illæ fuerint. Hæc Suarez. Coriolanus *hic, vers. Benè verum.* Bonac. *q. 15. cit. puncto 1. num. 6.* vbi citat etiam Filliucium *tractatu 16. capite 10. questione 2. numero 244.* Sic etiam Palao *disputat. 3. puncto 15. n. 15.* & penes illum Sayrus *lib. 3. cap. 18. num. 5. Regin. lib. 9. n. 335.* & Duard. *Canone 14. q. 3. n. 1.*

## QVÆSTIO V.

*An Auocatio causarum spiritualium à Iudicibus Ecclesiasticis, sit sub hac excommunicatione, non solum casu, quo fiat auctoritate laica, sed etiam casu, quo fiat auctoritate Ecclesiastica?*

**A**ffirmant Reginald. *lib. 9. c. 22. n. 335.* & Filliuc. *tract. 16. cap. 10. q. 2. num. 243.* Qui pro se citat Sayrum *hic, n. 5.* & alios recentiores, existimantes, auocationem causarum dictarum à Iudicibus Ecclesiasticis, esse sub excommunicatione vetitam, siue fiat auctoritate laica (in quo omnes conueniunt) siue auctoritate Ecclesiastica. Quia Canon generaliter, & sine exceptione loquitur de omnibus auocantibus, sine debita auctoritate, causas apud Iudicem Ecclesiasticum pendentes: ergo

Negant verò contrà Nauarr. *cap. 27. n. 70.* & Sebastianus Medices *in summ. tit. 9. q. 78. n. 18.* & apud Bonacinam, Sayrus loco à Filliucio pro sua sententia adducto, nempe *lib. 3. cap. 18. n. 5.* arbitantes, auocationem causarum à Iudicibus Ecclesiasticis, vetitam in hoc Canone, esse solum casu, quo fiat auctoritate laica. Quia huiusmodi solum est editus contra eos, qui laica fungentes potestate, Ecclesiasticam iurisdictionem sibi usurpant prætextu exemptionum, & literarum Apostolicarum.

Sed clariùs concordando ambas sententias. Sic respondeo. *Primò*, cœrum est quod auocatio causa-

rum spiritualium à Iudicibus Ecclesiasticis facta ab eo qui fungitur dumtaxat auctoritate laica, vt à Principe, Rege, &c. est vetita in hoc Canone sub excommunicatione, vt constat ex ipsiusmet textu. In hoc conueniunt omnes.

Respondeo *Secundò*. Auocatio prædicta, facta ab habente iurisdictionem Ecclesiasticam, vt à Cardinali, vel ab Episcopo, vt tales simpliciter sunt, hoc est, quatenus Ecclesiasticam iurisdictionem exercent, non est vetita sub excommunicatione in hoc Canone. Hæc responsio conuincitur ex ratione secundæ sententiæ.

Respondeo *Tertiò*. Auocatio facta ab eo qui iurisdictionem Ecclesiasticam habet, non verò quatenus Ecclesiasticam iurisdictionem exercet, sed quatenus laica auctoritate fungitur, est vetita in hoc Canone. Quia hæc auocatio verè & simpliciter fit auctoritate laica. Sic sentit Bonac. *disp. 1. q. 15. puncto 1. n. 5.* his verbis: Si auocatio fit per eum, qui fungitur auctoritate laica, perspicuum est sufficere ad incurrendam huius Canonis excommunicationem, etiam si fiat ab eo, qui aliàs habet iurisdictionem Ecclesiasticam, vt si auocatio fiat ab Episcopo, vel Cardinali, qui iure patrimonij laicalem Principatum habet, aut in Curia secularis Principis temporalem administrat iurisdictionem. Ratio est, tum quia hic offendit Ecclesiam, vel Sedem Apostolicam introductione alienæ potestatis. Tum etiam, quia in hoc Canone sermo est etiam de Episcopis, Archiepiscopis, Abbatibus, & Vicariis, &c. Sed isti non comprehenduntur quatenus Ecclesiasticam iurisdictionem exercent: ergo saltem comprehenduntur, quatenus laica potestate funguntur. Huc vsque Bonacina. Et ante illum Suarez *disp. 21. sect. 2. n. 76.* Alterius *lib. 3. disp. 15. c. 1. col. 1. vers. Omnes, & singulos.* Soufa *c. 15. disp. 77. n. 1. & 4.* & Duard. *hic, q. 4. n. 1. Palao disp. 3. puncto 15. n. 9.*

## QVÆSTIO VI.

*An Auocatio causarum spiritualium sit vetita sub excommunicatione huius Canonis, non solum, si causæ dictæ auocentur à Iudicibus Sedis Apostolicæ; verum etiam, si auocentur ab alijs Iudicibus Ecclesiasticis?*

**N**egant aliqui Doctores, docentes, solum auocationem causarum spiritualium à Iudicibus Ecclesiasticis Sedis Apostolicæ, non ab alijs, esse vetitam sub excommunicatione huius Canonis. Quia materia huius excommunicationis est sacrilegium, quo Sedes Apostolica in sua iurisdictione violatur, vt *sup. q. 2.* est habitum: ac sic est, quod auocatio causarum à Iudicibus, qui non sunt Iudices Sedis Apostolicæ, non est sacrilegium, quo Sedes Apostolicæ iurdictio violatur: ergo. Ita Alterius *lib. 5. disp. 15. cap. 1. col. 4. vers. Sed postulat.* (Quamuis attentè sit legendus propter defectum Typographi.) Vgol. *hic, §. 1. vers. Tertiò excommunicationem.* Bonacina *disp. 1. q. 15. puncto 1. n. 7.* & Palao *disp. 3. puncto 15. n. 8.*

Sed probabilius respondeo: Dictam auocationem esse vetitam, non solum casu, quo causæ spirituales auocentur à Iudicibus à Sede Apostolica deputatis; sed etiam si auocentur ab alijs Iudicibus Ecclesiasticis, seu aliarum inferiorum Ecclesiarum. *Primò* Quia Canon generaliter loquitur de auocatione causarum à Iudicibus Ecclesiasticis: ergo generaliter est de omnibus Ecclesiasticis intelligendus.

Quia probabilius est, per hunc Canonem voluisse Pontificem consulere iurisdictioni suæ Sedis, & etiam aliarum inferiorum Ecclesiarum: ergo. Sic Filliuc. *tractatu 16. capite 10. questione 1. numero 250.* Soufa *hic. c. 15. num. 1.* & Duard. *Canone 14. q. 7. numero 1.* &

& esse probabilissimam sententiam, & fauorabiliorrem Ecclesiasticæ iurisdictioni, fatetur Bonac. loc. cit.

## QVÆSTIO VII.

*An impediens causarum spiritualium cursum, prosecutionem, audientiam, necnon personas, Capitula, &c. causas ipsas prosequi volentes, incurrat hanc excommunicationem; nisi etiam, se tanquam Iudicem in earum cognitione interponat?*

**N**Egat Bonac. hic, disp. 1. q. 15. punct. 1. n. 14. docens, eum qui tantum impedit cursum dictarum causarum, non affici excommunicatione huius Canonis, nisi etiam se tanquam Iudicem in prædictarum cognitione interponat. Quia Pontifex loquitur per particulam, *Ac*, quæ simultatem requirit. Quam sententiam innuere Alterius loc. cit. cap. 2. vers. *Ac se*, affirmat ipse.

Sed probabilius respondeo: Incurrere excommunicationem huius Canonis, impediendo causarum spiritualium cursum, prosecutionem, &c. etiam si non se interponat tanquam Iudicem in earum cognitione. Quia probabilius est, ob solam impeditionem cursus, aut prosecutionis, &c. causarum spiritualium, absque vlllo alio adminiculo, incurrere hanc Censuram, patet *Primò*, quia actio impediendi cursum causarum distincta est ab actione interponendi se ut iudicem ad cognoscendas huiusmodi causas, ut expressè docet, eas distinguendo Alterius c. 2. à Bonac. cit. vers. *Secunda actio*. & vers. *Tertia actio*.

*Secundò*. Quia, ut docet ipsemet Alterius loc. cit. c. 1. vers. *Secundò quæret aliquis*, Iudices sæculares, qui auocant causas huiusmodi à iudicibus Sedis Apostolicæ incurrunt hanc excommunicationem, etiam si non se immisceant tanquam Iudices ad illarum cognitionem, eo quod sola actio auocandi dictas causas, est distincta ab actione interponendi se tanquam Iudicem in cognitione illarum causarum; ergo idem omnino est dicendum de actionibus impediendi cursum causarum spiritualium; & interponendi se ut Iudicem ad dictarum causarum cognitionem. Id ergo sentit Alterius, non oppositum, ut vult Bonac.

## QVÆSTIO VIII.

*An Aduocatus, vel Procurator, qui impedit cursum, & prosecutionem causarum spiritualium, incidat in Censuram huius Canonis?*

**R**espondeo: Quod non. Quia Canon expressè loquitur de Iudice impediente. Sic Alterius lib. 5. disp. 15. c. 2. col. 2. vers. *Tertia actio*. Vgol. & Duard. quos citat, & sequitur Bonac. disp. 1. cit. q. 15. punct. 1. n. 16.

## QVÆSTIO IX.

*An priuata persona compellens per vim & metum partes actrices & reuocandas citationes, & inhibitiones, vel ad consentiendum absolutioni eorum, contra quos tales inhibitiones & literæ, emanarunt, obstringatur excommunicatione huius Canonis?*

**N**Egant nonnulli, eo quod existiment ad incurrendam hanc Censuram, ob huiusmodi compulsionem, opus esse, ut ista compulsio auctoritate publica, seu iudiciaria fiat & committatur: ergo priuata persona, quæ per vim & metum compellit partem ad reuocandas citationes, &c. non obstringitur hac

R. P. Leand. de Censuris.

Censura. Ita Alterius cap. 2. cit. col. 2. vers. *Quarta actio*. & Bonac. puncto 1. cit. n. 19.

Sed probabilius respondeo: obstringi dicta excommunicatione. Quia probabilius est, damnari in hoc Canone omnem modum compellendi partes, siue publica, siue priuata auctoritate fiat, ut colligitur ex illis verbis: *per statutum, vel alias compellant*. Sic Filliuc. tract. 16. cap. 11. q. 4. dicto 2. n. in ordine 263. per errorem 253. ibi: Denique compellentes partes actrices, hoc est, vel reum, vel actorem, vel vtrumque, ut reuocent citationes iam decretas, siue compellant per statutum, siue per mandatum, siue tanquam Iudices, siue priuatæ personæ id faciant, incurrunt hanc Censuram. Sic ille. Vgolinus hic, vers. *Quæ partes actrices*. & Duard. hic, q. 13. n. 8.

## QVÆSTIO X.

*An qui partes actrices inducit ad curandam absolutionem aduersarij, &c. via iudiciaria, vel precibus, aut pecunia, aut alio modo, exclusio vis, & metus, etiam in excommunicationem incidat?*

**R**espondeo: Non incidere. Quia huiusmodi inducitor, non dicitur compellere partes, quod requiritur ad contrahendam hanc Censuram, ut ex textu constat. Nam tunc aliquis compelli dicitur, cum contra voluntatem suam, & inuitus ad aliquid agendum inducitur. cap. *Conquestus*. de foro compet. cap. 1. & cap. *fin. eod. tit. lib. 6*. Sic Vgolinus loc. cit. Alterius cap. 2. cit. col. 3. vers. *Inferitur secundo*. Filliucius loc. cit. Duard. etiam n. 9. & Bonac. n. 20.

## QVÆSTIO XI.

*An incidat in excommunicationem huius Canonis qui non partes, sed Iudicem, qui excommunicationem, & alias pœnas pronunciauit, compellit, ut absolutionem impendat, & alias pœnas reuocet?*

**R**espondeo: Non incidere. Quia Canon solum loquitur de compellente partes actrices: ergo non licet extendi ad alios. c. *Nonne*. de præsum. l. *Cum Prætor*. ff. de Iudic. Sic Vgol. Alterius, Duard. Filliucius, & Bonacina loc. cit. Aduerentes tamen, extorere contra illos, qui per vim, vel metum extorquent absolutionem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti ab ipsis Iudicibus, à quibus huiusmodi Censuræ latæ sunt, excommunicationem latam in capite unico. de his, quæ vi, metu, & causa fiunt, in 6. quam incurrunt ipso facto contravenientes.

## QVÆSTIO XII.

*An laici Iudices auocantes causas spirituales à Iudicibus Ecclesiasticis, ex privilegio Sum. Pontificis; à Censura huius Canonis excusentur?*

**R**espondeo tanquam certum: Excusari. Quia Canon huiusmodi clarè loquitur de auocantibus auctoritate propria: at qui aliquid ex privilegio facit, non dicitur facere auctoritate propria, sed auctoritate concedentis privilegium: ergo. Sic omnes Doctores. Legatur Bonacina hic, disputatione 1. questione 15.

puncto 3. §. 1

\* \* \*

## QVÆSTIO XIII.

*An Augustissimus noster Hispaniarum Rex, & eius Magistratus, ac Consiliarij, gaudeant præfato privilegio, in causis prohibenda violentia, iniuria, seu damni; itaut virtute illius, licitè auocent causas à Iudicibus Ecclesiasticis?*

**N**Egat Zauallus tract. de cognit. per viam violentia Gloss. 6. & aliis pluribus in locis, vbi, dum praxim Tribunalis de la fuerça, tueri, & à peccato, & Censura excusare conatur, excusationis causam (vt ait Bonac.) aufert, negando Regem Hispaniarum, vel ipsius Ministros & Magistratus hoc facere ex priuilegio, vel ex consuetudine priuilegio innixa.

Sed oppositum, vt verum respondeo, dicendo, gaudere dicto priuilegio. Ducor auctoritate sapientissimorum Doctorum id affirmantium, nempe Eminentiss. Card. Bellarm. tr. de Sum. Pontif. contra Bracclium, cap. 35. col. 7. vers. Addebat. Bannes 2. 2. q. 67. art. 1. Iulij Clari lib. 5. §. vlt. q. 36. n. 26. Menoch. de retinent. possessione, remedio 3. n. 354. Quos refert, nec impugnat, Bonac. hic disp. 1. q. 15. puncto 3. §. 1. num. 1. His addi potest Filliuc. tract. 17. cap. 10. q. 4. n. in ordine 268. (per errorem 258. Infertur quarto. ibi: Atque ita Regem Hispaniarum habere priuilegium, testantur Bannes, & Menochius (locis citatis) & de Rege Galliarum Carolus Grassad. l. 2. Reg. Franc. iure 5. & 6. quod præsumi potest in Regibus alioqui Catholicis, & piis, & optimè de Ecclesia benemeritis. Sic Filliuc. & benè Ioan. etiam de la Cruz in sua Summa, parte 1. præcept. 8. q. 3. art. 1. dub. 1. concl. 3. Pessantius de immunit. Eccles. disp. 3. & Suarez etiam de immunit. libro 4. capite 34. numero 43. quos pro hac parte citat Diana, nil definiens, 1. p. tractatu 2. resolut. 6. & 3. p. tractatu 2. resolutione 64.

## QVÆSTIO XIV.

*An Magistratus, seu Consiliarij Regis Hispania, atque Gallia, siue aliorum Principum, incurrant excommunicationem huius Canonis, detinendo Bullas Apostolicas, aut cognoscendo causas Ecclesiasticas, aut euocando eas à Iudicibus Ecclesiasticis, si id faciant prætextu impedienda violentia, & perturbationis in Republica vitanda?*

**A**ffirmant Alterius lib. 5. disp. 15. cap. 3. Azor 1. p. lib. 5. cap. 14. q. 6. Duard. hic q. 10. Regin. lib. 9. cap. 22. n. 338. Filliuc. tract. 16. capite 10. quest. 4. per totam ferè. Bonacina disput. 1. q. 15. puncto 3. §. 4. per totum, qui citat pro hac parte Suarium, Bellarmin. Farinacium & Salas. & id probat latissimè, respondetque contrariis fatis.

Negant verò contrà, alij, id probantes, & ex praxi Cancellariæ Regni Hispaniæ, Galliæ, atque Germaniæ, retinentis Bullas Apostolicas, maximè circa Beneficia & citationes: & ex auctoritate quamplurium Doctissimorum Doctorum id existimantium. Ita docet, & probat latè Vivald. hic, casu 14 à num. 101. usque ad 110. referens pro hac sententia Rebuff. Perez, Couarr. pluribus in locis, Montalum, Guillelm. Benedictum, Dueñas, Greg. Lopez, Palacium, & Auedañum ex Iuristis. Et ex Theologis Iacobarum lib. 8. de Concil. artic. 3. remed. 6. & artic. 12. Turrecremata libro 2. summa Ecclesie, capite 102. artic. 3. 4. & 5. & capite 106. & Caietanum in opuse. de auctorit. Papæ, capite 27. ad 2. & 2. 2. q. 39. art. 2. ad 2. & q. 69. art. 3. omnes tres Cardinales S. R. E. insuper victoriam Sylu. Cordubam, Paludanum, & alios plures.

Ego in hac quæstione, nil aliud, quàm Doctissimus Suarez ex sapientiss. Nauarro dixit, dicam. Ait enim sic, disp. 21. sect. 2. n. 79. in quibus verbis, præsertim notanda sunt illa: *Etiã prætextu violentiæ prohibenda:* Hic enim est præcipuus titulus, sub cuius specie solent Principes, & eorum Ministri nonnulla facere, quæ videntur huic dispositioni contraria. Quod putant sibi esse licitum, quia fit ad impediendum, ne aliquis sine iusta causa; & absque vera Summi Pontificis informatione à suo beneficio deturbetur, aut aliam similem iniuriam grauem patiat, quàm postea, aut vix, aut nullo modo possit reparare. Quod (inquit Nauarrus) vt, vbiq; ferè in illis Regnis (scilicet Hispaniæ, & Galliæ) seruatur, ita multi iure murire conantur: an verò satis muniant, necne, S. D. N. definitioni remitto. Quod ego nunc faciendum censeo. Sic Suarez. Et ego. Alia autem quæ circa hunc Canonem tractari solent, consulens breuitati omitto. Legantur Authores citati.



## DISPUTATIO XV.

*De decima quinta Excommunicatione, lata contra trahentes personas Ecclesiasticas ad Tribunal seculare: & contra facientes statuta, quibus Ecclesiastica libertas leditur.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*Contra quos lata sit hæc Excommunicatio?*

**R**ESPONDEO: Quod contra omnes trahentes, trahi facientes, aut procurantes trahi, directè, vel indirectè personas Ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, & Collegia, ad sæcularia Tribunalia, Audientiam, Cancellariam, Consilium, & Parlamentum: siue id faciant ex officio, siue ad instantiam partis, aut aliorum.

Rursus contra facientes, ordinantes, & publicantes statuta, ordinationes, constitutiones, pragmáticas, & alia quæuis decreta, quibus tollitur, leditur, deprimitur, seu restringitur in aliquo, directè, vel indirectè, libertas Ecclesiastica; aut præiudicatur iuribus Sedis Apostolicæ, aut aliarum Ecclesiarum. Et tandem contra vtentes statutis & ordinationibus contra libertatem Ecclesiasticam. Sic colligitur apertè ex ipso textu Canonis, qui sic se habet.

*Quiue ex prætenso eorum officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque, personas Ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, & Collegia Ecclesiarum quarumcunque, coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Iuris Canonici dispositionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant, directè, vel indirectè, quouis quæsto colore. Necnon, qui Statuta, Ordinationes, Constitutiones, Pragmaticas, seu quouis alia Decreta in genere, vel in specie ex quouis causa, & quouis quæsto colore, ac etiam prætextu cuiusuis consuetudinis, aut priuilegi, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint; vel factis, & ordinatis uti fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo leditur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur; seu nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcunque Ecclesiarum iuribus quomodolibet, directè, vel indirectè, tacitè, vel expresse præiudicatur.* Sic textus huius decimiquinti Canonis, qui

qui cum antecedenti connectitur, & cum tribus aliis subsequentibus; quia sub vna eademque forma verborum excommunicationem continente, enunciatur. Legantur Alterius, Bonac. & Filliuc. hic.

## QVÆSTIO II.

*An si Iudex laicus, siue spontè ratione sui officij, siue ad instantiam partis recurrentis ad eum, trahat aliquam personam Ecclesiasticam ad suum Tribunal, excommunicationem huius Canonis incurrat?*

**R**espondeo tanquam certum: Incurrere. Quia id intendunt illa verba textus: *Ex prætento eorum officio*, hoc est sponte, motu proprio, & nemine instante, seu ex proprio officio: *vel ad instantiam partis*. hoc est, vel parte instante & Iudicis officium implorante. Sic omnes. Legantur Alterius lib. 5. disp. 10. cap. 1. Bonac. hic disp. 1. q. 16. sect. 1. puncto 4. num. 3. Vgolin. hic §. 1. Duard. Canone 15. q. 2. & Palao disp. 3 de Censuris, puncto 16. num. 3.

## QVÆSTIO III.

*An Iudex secularis feriatur excommunicatione huius Canonis, casu quo Clericum sponte accedentem ad suum Tribunal, ut coram eo se purget, admittat purgationem, & sententiam proferat?*

**A**ffirmatiuam sententiam tenere Filliucium tractatu 16. cap. 10. q. 6. n. 260. cit. Bonacina. Et bene certè, cum id clarè indicet his verbis: Respondeo primò, esse cognoscendum quid significet, trahere Ecclesiasticos ad Tribunal sæculare. Quatuor enim significat. *Primò*, citare, id est, vocare in iudicium præcipiendo, auctoritate sæcularis iurisdictionis, ut compareat ad respondendum. *Secundò*, Præcipere, ut aliquid soluant, vel faciant; vel contra, ut aliquid ne faciant, siue simpliciter, siue cum clausula iustificatiua, *si senseris te grauatum*. *Tertiò*, Per distractionem & capturam personalem facere, ut ducantur ad idem Tribunal. *Quartò*, in iudicio præsentem interrogare, iudicare, condemnare. Hæc ille.

Sed probabilius longè respondeo: Non feriri Iudicem in casu assignato excommunicatione huius Canonis. Ratio est. Quia in hoc Canone excommunicantur, ut vidimus, trahentes, vel trahi facientes, aut procurantes trahere: at in præassignato casu Iudex sæcularis, nec trahit, nec facit, nec procurat trahi Clericum: ergo vi huius Canonis, non est excommunicatus. Minor probatur; quia ille dicitur aliquem trahere ad suum iudicium, seu Tribunal, qui nolentem, & per vim quasi, aut coactionem adducit, ut quidam volunt; vel adminus, ut alij, qui simpliciter aliquem trahit, siue ductus trahatur inuitus, siue volens: ergo. Sic Alterius lib. 5. disp. 16. cap. 1. in fine. *vers. Postulabit aliquis*. Duard. Can. 15. q. 10. n. 4. Sayrus, quem citat, & sequitur Bonacina hic disp. 1. q. 16. sect. 1. puncto 4. n. 4. Qui bene nihilominus aduertit, quod acta facta à dicto Iudice in eo casu, sint irrita & inualida, etiam si Clericus intendat iuri suo cedere; quia hic nequit priuilegio exemptionis, cum concessum sit in honorem status Ecclesiastici, renunciare, cap. *Si diligenti, de foro compet.* Legatur Diana 1. parte, tractatu 2. resolutione 3. & parte 3. tract. 1. resolutione 29.

\* \* \*

R.P. Leand. de Censuris.

## QVÆSTIO IV.

*An Pars, aut eius Procurator, seu quæuis aliâ priuata persona, qui curat, & instat apud Iudicem sæcularem, ut Ecclesiasticos ad suum trahat Tribunal, afficiatur excommunicatione huius Canonis?*

**R**espondeo tanquam certum: Quod non. Quia Canon clarè loquitur de Iudicibus sæcularibus, qui ex prætento officio, vel ad instantiam partis trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant ad suum Tribunal, &c. ergo non est extendendus ad alias priuatas personas, qui non agunt auctoritate iudiciaria. Sic Alterius c. 1. cit. *vers. Trahunt, vel trahi faciunt; & vers. Hinc sequitur. pag. mibi 680. & 681.* Vgol. Duard. & Regin. quos citat, & sequitur Bonac. puncto 4. cit. n. 10. & 11. Addit tamen Alterius idem, ac de Iudicibus dicendum esse de eorum Ministris, quia hi sunt tanquam pars Iudicium, aut manus Magistratus, & idèd hi omnes afficiuntur hæc excommunicatione, si trahant ad iudicium sæculare personas Ecclesiasticas, cuiuscunque generis causarum, ciuiliū scilicet, vel criminalium prætextu. Legantur Diana parte 4. tractatu 1. resolutione 66. & Bonacina loco citato. numero 13. Palao puncto 16. numero 3.

## QVÆSTIO V.

*An incurrat hanc excommunicationem Iudex sæcularis qui amicabiliter, & absque vlla coactione, suadet alicui Ecclesiastico, ut ad suum accedat Tribunal, ut sedentur lites?*

**R**espondeo: Non incurrare, quia in eo casu non dicitur Iudex trahere ad suum Tribunal personam Ecclesiasticam, saltem ut Iudex, seu auctoritativè, quod exigit Canon. Sic Bonac. disp. 1. q. 16. sect. 1. puncto 4. n. 12. & penes illum, Sayrus, Alterius, Duardus, & Reginald. Sed ex his, Alterius solum ait quod præfatus Iudex fortassè non contrahat excommunicationem. Conueniunt tamen omnes, Iudicem præfatum incurrare, si auctoritativè Ecclesiasticum ad suum Tribunal trahat, minis, suasionibus, vel alio quouis modo, directè, vel indirectè, ut infra diximus.

## QVÆSTIO VI.

*An Iudex secularis, qui iniquè vexat Clericum, aut eius Consanguineos, vel famulos, aut Colonos, ut sic cogat illum ad suum Tribunal, sit excommunicatus?*

**R**espondeo tanquam certum: Esse excommunicatum. Quia sic Clericum ad suum Tribunal indirectè trahit, quod expressè prohibet Canon illis verbis: *Directè, vel indirectè, quouis quæsito colore*. Sic Suarez disp. 21. sect. 2. n. 78. Alterius libro 5. disput. 16. capite 1. *vers. Hinc sequitur pag. 681.* Vgolinus hic §. 1. n. 2. Filliuc. tract. 16. c. 10. n. 261. Duard. q. 12. n. 1. Bonac. loc. cit. n. 15. & 16.

## QVÆSTIO VII.

*An non solum Iudex laicus, sed etiam Ecclesiasticus trahens iurisdictione laica, personas Ecclesiasticas ad suum Tribunal, excommunicationem huius Canonis incurrat?*

**R**espondeo: Incurrere, iuxta dicta sup. disput. 14. q. 5. Sic Caiet. *verb. Excommunicatio. capite 29.* ibi: Nota, quod licet appareat, quod ille Canon

E e 3 sit

fit editus contra Dominos sæculares, qui seiplos constituunt Iudices Ecclesiasticarum personarum, &c. secundum tamen veritatem, ligat etiam Ecclesiasticos, qui præter Iuris communis dispositionem, hæc eadem præsumunt autoritate alia, quam ecclesiastica: quia in hoc Canone non fit discretio inter Laicos & Clericos quum excommunicantur. Non enim dicitur, *Excommunicamus illos laicos*; sed absolute illos, Et forte fuit ratio, quia in multis locis Prælati Ecclesiastici instituuntur à Principibus ad causas huiusmodi: & propterea omnes communiter sunt hic excommunicati. Huc vsque Caiet. Filliuc. *cap. 10. cit. q. 6. n. 262.* Duardus *Can. 15. q. 1. n. 1. & q. 28. n. 1.* Regin. *libro 9. numero 350.* Bonacina *disput. 1. questione 16. sectione 1. puncto 5. numero 2.*

### QVÆSTIO VIII.

*An Iudex laicus incurrat hanc Censuram trahendo Ecclesiasticum ad suum Tribunal, ob grauissima aliqua delicta?*

**N**Egant nonnulli Doctores, existimantes posse sæculares Iudices, ob aliqua grauissima delicta trahere ad suum Tribunal Ecclesiasticos.

Respondeo absolute esse dicendum, quod verè incurrat excommunicationem huius Canonis Iudex laicus, trahens ad suum Tribunal Ecclesiasticos etiam ob patrata quæcunque grauissima delicta, quandiu exempti remanent à laica potestate. *Primò.* Quia ita prohibitum est sub hac Censura in hoc Canone. *Secundò.* Quia laici nullam potestatem habent in Clericos; cum hi, iure diuino, & naturali exempti sint ab illorum potestate, vt bene Bonac. *hic disp. 1. q. 16. sect. 1. puncto 5. n. 4.*

Ex quibus constat generaliter prohibitum esse laico Iudici per hunc Canonem sub excommunicatione, trahere personas Ecclesiasticas ad suum Tribunal, quod intelligendum est, dummodò hoc faciat præter Iuris Canonici dispositionem, per quam aliquibus in casibus concessum est Iudici laico, absque excommunicationis pœna, trahere ad suum Tribunal personas Ecclesiasticas, vt mox videbimus. Sit ergo

### QVÆSTIO IX.

*An laico Iudici liceat trahere ad suum Tribunal, & iudicare Clericum degradatum, seu depositum realiter?*

**R**espondeo tanquam certum: licere ei. Ex cap. *Degradatio, de pœnis in 6. &c.* Ratio est. Quia per degradationem, omnia Clericorum priuilegia, Clericus amittit. Sic Alterius *lib. 5. disp. 20. c. 2. quest. 6.* Duard. *Can. 19. q. 7.* Iulius Clarus, Molina, Farinac. & alij, quos affert, ac sequitur Bonac. *hic disp. 1. q. 16. sect. 1. puncto 6. n. 3.* & omnes.

### QVÆSTIO X.

*An etiam sit licitum Iudici laico trahere ad suum Tribunal Clericum bigamum?*

**R**espondeo tanquam certum: Etiam esse ei licitum. Quia certum est Clericum bigamum, bigamia vera, vel interpretatiua, omnia Clericorum priuilegia amittere. *capite unico. de bigamis in 6.* Sic Duardus *hic Canone 15. questione 11. numero 87.* Bonacina *loco citato, numero 4.* & penes ipsum, Farinacius, Gomez, & Martha, & communis.

### QVÆSTIO XI.

*An in causa feudi, licitum sit Iudici, Domino laico, trahere ad suum Tribunal, Clericum feudum laicum possidentem?*

**N**Egant Guido Papæ *decif. 139.* & alij penes ipsum Quibus fauet Paulus Squillante *de priuil. Cleric. c. 7. dub. 14. n. 105.* docens id esse verum casu, quo de possessione feudi agatur, non de proprietate.

Sed, vt ferè certum, respondeo: Esse licitum, siue agatur Iudicio petitorio, de proprietate ipsius feudi; siue possessorio, de sola possessione feudi. Quia absolute loquendo, vassallus, etiam si Clericus, in iis, quæ pertinent ad feudum, subijcitur Domino feudi, quamuis sæculari ex cap. *Transmissa, de foro compet. & cap. Caterum, de Iudicys.* Sic vt certum docet Filliuc. *tract. 16. cap. 10. q. 6. n. 262.* Et antea Iulius Clarus *libro 4. §. feudum, q. 90. n. 8.* Toletus *lib. 5. c. 56.* Sayrus *in Clauis Reg. lib. 12. c. 8. n. 9.* Reginald. *libro 9. n. 151.* Farinacius, Menoch. Surdus, Ambrosinus, Martha, Duard. & alij, quos citat, & sequitur Bonac. *hic disput. 1. quest. 16. sect. 1. puncto 6. n. 6.* de quo casu agit etiam, nihil definiens, 3. p. *tr. 1. resol. 59.*

### QVÆSTIO XII.

*An in causa reconuentionis in ciuilibus, possit laicus reconuenire Clericum coram eodem Iudice seculari, apud quem Clericus, vt actor conuenit laicum?*

**N**Egant nonnulli Doctores, quos, tacitis nominibus, refert Bonac. *ubi infra.*

Affirmat verò è contra Vinius *decif. 49. n. 6. tomo 1.* & ita, vt existimet, posse laicum reconuenire Clericum coram Iudice laico, etiam de re, quæ non habet connexionem cum petitione.

Sed clarius respondeo: Possè quidem laicum in causa reconuentionis in ciuilibus, reconuenire Clericum coram Iudice laico; de re tamen, quæ habet connexionem cum petitione; non de alia. *Prima pars* constat ex cap. 1. & 2. *de mutuis petitionib. & cap. Accusatores. §. cuius in agendo. 3. q. 8.* *Secunda* verò etiam patet. Quia reconuentio de re diuersa potius dicenda est conuentio, quam reconuentio: at sic est, quod laicus etiam in causa ciuili, nequit conuenire Clericum, coram Iudice laico: ergo. Sic præcipuè, quoad primam partem, tenent Clauis Reg. *loc. cit.* Regin. *loc. cit. n. 351.* Graffius *lib. 4. decif. cap. 18. num. 114.* Duard. *hic, Canone 15. q. 11. n. 66.* Farinacius, Surdus, Decian. Ambrosin. Martha, & Carolus de Grassis, quos refert, ac sequitur Bonac. *puncto 6. cit. num. 8.* Quibus addi possunt Filliuc *tract. 16. cap. 10. quest. 6. n. 262.* & Diana *parte 4. tract. 1. resol. 65.* Qui bene ex hoc inferunt, quod licet Clericus teneatur stare sententiæ contra se, in causa reconuentionis, lata à Iudice laico, cum per reconuentionem effectus sit ipsi in hac parte subditus, nihilominus non poterit Clericus condemnatus à laico Iudice cogi ad soluendum, eo quod coactio supponat iurisdictionem, quam laicus minimè habet in Clericum. Legantur Duard. Filliuc Bonac. & Diana *loc. cit.*

### QVÆSTIO XIII.

*An etiam sit licitum laico, reconuenire Clericum in causis criminalibus, coram Iudice laico?*

**R**espondeo tanquam certum: Non esse ei licitum. Ex cap. *Neganda. 2. q. 2. & cap. Prius. 3. quest. 11.* Et

Et ratio est. Quia Clericus nequit in causa criminali laicum coram Iudice sæculari conuenire: ergo nec poterit à laico in eadem causa, coram dicto Iudice reconuenire. Sic Reginald. *lib. 9. n. 352. vers. Secundò cessat.* Farinac. *de Inquisit. q. 8. n. 10.* Scaccia in *tract. Crimin. p. 1. c. 11. n. 93.* Bonac. *loc. cit.* & Diana *loc. cit.* vbi sic ait: Notandum est hic obiter, etiam in multis aliis casibus Clericum coram Iudice laico reconueniri non posse, nempe; si reconuentio oriatur ex causa criminali, etiamsi ciuilliter fuerit intentata; vel si reconuentio de re spiritali, vel connexa spiritali; vel propter quam Clericus possit incarcerari; vel si lis contra Clericum fuerit affectatè procurata per laicum, sub spe, & intentione reconueniendi Clericum. Sicille. Et antea Reginald. *loc. cit.*

QVÆSTIO XIV.

An ob negligentiam, vel ob defectum Iustitiæ Ecclesiasticæ, possit Iudex laicus trahere ad suum Tribunal personas Ecclesiasticas?

Affirmant aliqui Iuristæ: eo quod Iudex Ecclesiasticus, ob negligentiam, seu defectum Principis sæcularis, deficientis in iure suis subditis tribuendo, & in causis cognoscendis, potest illas causas cognoscere, & ius cuique suum tribuere, *ex cap. licet. cap. Transmissa, de foro comper.* ergo etiam poterit Iudex laicus in defectum Principis Ecclesiastici, causas Ecclesiasticorum cognoscere, & ius cuique suum tribuere, &c. Ita tenent Bobadilla in *polit. tomo. 1. lib. 2. cap. 18. n. 91.* Escobar *de ratiocin. cap. 7. 31.* Morla in *Empor. Iuris tit. 2. q. 14. n. 4. & 5.* Menochius *de retin. possess. remed. 3. num. 154.* & alij penes ipsum. Guillel. de Benedictis, Igneus, Cassaneus, & Olibanus apud Dianam *3. p. tract. 1. ref. 25.*

Sed tanquam mihi certum respondeo: Non posse absque incurfione excommunicationis huius Canonis. Quia sic expressè cauetur in *cap. Qualiter, & quando, de Iudicij,* vbi definitur, ne ob defectum iustitiæ trahantur Clerici ad Tribunalia sæcularium. Et meritò, quia ex negligentia, aut defectu Ecclesiasticorum Iudicum, non acquirunt iurisdictionem aliquam in illos: cum ergo semper habeant inferiorem iurisdictionem, semper manet in eis necessitas obsequendi Clericis, nunquam auctoritas imperandi.

Nec obstat argumentum contrariorum: nam concessio antecedenti, neganda est consequentia. Ratio disparitatis est: quia Iudex Ecclesiasticus potestatem habet, saltem indirectè, exercendi iudicia ciuilia & politica, in ordine ad salutem spiritualem animarum: laici verò incapaces sunt iurisdictionis Ecclesiasticæ, nisi indulto Summi Pontificis capaces efficiantur. Sic Bonac. *hic disp. 1. q. 15. puncto 4. §. 4. num. mihi 11.* Dianæ *10.* Suarez *contra Regem Angliæ, lib. 4. cap. 14.* Alvarez *de priuileg. pauper. q. 50. num. 11.* Guazinus, Gratianus, Tamburinus, Azorius, Pefantius, Angianus, & Laymann, quos citat, ac sequitur Diana *1. p. tract. 2. resol. 15. & 3. p. tract. 1. resol. 25. & parte 4. tractatu 1. resolur. 80.* Filliuc. *tractatu 15. capite 10. quæstione 6. numero 263.*

QVÆSTIO XV.

An, absque incurfione Censuræ, possit Iudex laicus eicere è Regno Clericum seditiosum, & perturbatorem Reipublicæ?

Affirmant Ramirez *tract. de lege Regia, §. 27. numero 15. in Glossa, lit. G.* Anton. de Ballis in *tractatu variar. lib. 5. pragmat. 1. tit. 10. n. 44.* Fuscus *de visitat. lib. 2. c. 20. n. 25.* Manuel Rodrig. *in addit. ad*

*Bullam Cruc. §. 9. n. 84.* & Bobadilla in *polit. tomo 1. libro 2. capite 18. num. 112.* ita scribens: Si algun Clerigo fuessè sedicioso, y reboltofo, que turbale la paz de la Republica, podriale el Corregidor mandarle salir de la iurisdicion por algun tiempo, aunque fuessè Clerigo de Miſſa, y condenarle en las temporalidades. Ita ille.

Sed longè multò verius & probabilius, imò vt mihi certum, respondeo: Non posse absque incurfione Censuræ Bullæ. Quia, vt benè, Megal. in *3. p. lib. 3. cap. 11. n. 14. & 34.* in hac Bulla Cænæ expressè excommunicantur mulctantes quomodolibet personas Ecclesiasticas, necnon executores huius banni: ergo ex quacunque causa hoc faciant excommunicantur. Ita enim decreuit Frideric. Imp. in *tit. 1. §. Si Clericus, de pace tenenda in vsib. feud.* dicens, coram suo Episcopo conueniendum, & adducendum esse Clericum pacis violatorem, & ab eodem puniendum. Sic etiam Ioan. de Heuia in *Curia Philippica, parte 3. §. 3. n. 30.* ita scribens: Aunque parece que el Clerigo, que turba la Republica, y paz, puede ser echado del Reino, por el Rey, y su Consejo, por estar à su quenta el procurar esta paz, esto es peligroso, y no se admite segun Gregorio Lopez. Ita ille, & alij quamplures Doctores, quos affert, ac sequitur Diana *1. p. tract. 2. resol. 18. & 3. p. tract. 1. resol. 27. & parte 4. tract. 1. resol. 81.* Legatur.

QVÆSTIO XVI.

An Iudex laicus possit capere, & punire pœna pecuniaria, Ecclesiasticos impediētes, aut resistentes iurisdictioni laicali?

Affirmant Villadiego, *polit. cap. 5. n. 77.* & Bobadilla in *polit. tomo 1. lib. 2. c. 18. n. 84.* vbi sic ait: Si algun Clerigo, ò Religioso, impidiessè la iurisdiction seglar, ò la resistiessè, quitando a los Ministros de Iusticia, que no prendan à alguno, ò forçando para que suelten al preso, en los dichos casos podra el Corregidor, y sus Ministros prender à los Clerigos ò Religiosos para remitirlos à los Iuezes: y podra tambien mulctarlos en penas pecuniarias en sus bienes. Ita Bobadilla.

Sed clarius respondeo: Primò. Certum est, quod nec ob resistentiam, nec ob aliam causam possit Iudex laicus punire Ecclesiasticos pœna adhuc pecuniaria. Quia pecunia, sicuti & alia bona Ecclesiasticorum, gaudent priuilegio, quo gaudent ipsimet Ecclesiastici: at hoc nequit Iudex laicus punire in persona: ergo neque in eorum bonis. Sic Sanchez *tom. 1. consil. lib. 3. c. unico, dub. 31. n. 2. & dub. 21. numero 12.* Megal. in *3. p. lib. 3. c. 11. n. 23.* Diana *parte 4. tr. 1. resol. 79.*

Respondeo Secundò. Etiam est certum, quod Iudex laicus nequeat capere Ecclesiasticos ob resistentiam suæ iurisdictioni; nisi dumtaxat in casu, quo aliàs laicus nequeat iurisdictionem suam defendere; quia tunc ei liceret ratione iustæ defensionis: Quia expressè prohibetur in hac Bulla, vt benè docet Megal. *loc. cit.* iuxta sup. dicta. An autem ob alias causas possit dicemus infra.

QVÆSTIO XVII.

An laicus Iudex possit punire Ecclesiasticos pœna pecuniaria, casu quo illi signa reuerentiæ non exhibuerint, aut coram illo deliquerint?

Affirmant Pereira *tract. de Manu Regia p. 1. cap. 7. n. 42.* & Bobadilla *loc. cit. n. 89.* his verbis: Si el

Clerigo cometiessè algun delicto, ô defa cato contra los Ministros de Iusticia seglar, ô en su presencia, podranle prender para remitirle, porque la iurisdiccion real no que de illusoria, y menos preciada, como quiera que ay algunos Clerigos poco corteses, y otras tan atreuidos que se precian de no respetar à la Iusticia seglar, y de passar delante del Corregidor ô de su teniente, estando en su Tribunal, y fara del sin hacerles cortesia: lo qual echo de malicia es bien refrenar cueradamente con alguna multa, y pena pecuniaria. Ita Bobadilla, poco cuerdo en hablar del estado Ecclesiastico. Vnde

Tanquam certum respondeo: Non posse puniri Ecclesiasticos pœna pecuniaria. Quia, vt nuper habitum est, bona Ecclesiasticorum idem priuilegium habent, ac ipsorum personæ. Deinde, quia & est contra hanc Bullam Cœnæ; & contra cap. vnic. de Cleric. coniug. ergo. Sic Megala in 3. p. lib. 3. num. 35. c. 11. Diana 1. p. tract. 2. resol. 26.

#### QVÆSTIO XVIII.

*An Ecclesiastici crimen læsæ maiestatis committentes, possint puniri à Iudice laico, ab eoque condemnari?*

**A**ffirmant Callistus Ramirez in tract. de lege regia §. 27. num. 11. & penes ipsum in Glossa litera D. & alij plures. Quibus addi potest Hæuia in Curia Philippica parte 3. §. 2. n. 23. & alij, quos ipse citat.

Sed, vt certum respondeo: Non posse. Quia ita, in casu contingenti in Regno Neapolitano, declarauit Clemens VIII. anno 1600. vt notat Genuensis in praxi cap. 71. Sic ipse, & ex ipso, Diana 1. p. tract. 2. resol. 20. & 3. p. tract. 1. resol. 30. & penes ipsum, Vigianus, Belletus, Pefantius, Zanard. Salzedus, Bern. Diaz, Azor, Duard. Tamburinus, & alij, docentes prædictum Iudicem contrarium facientem incurrere hanc Bullæ excommunicationem.

#### QVÆSTIO XIX.

*An Iudex laicus possit trahere ad suum Tribunal, & punire Ecclesiasticos delinquentes in officio aliquo seculari, illis, ab ipsomet Iudice, seu Principe, concesso?*

**A**ffirmant Suarez contra Regem Anglia lib. 4. c. 34. n. 26. Laymann lib. 4. tract. 9. c. 4. n. 3. Cenedo in Collect. Iur. Canon. parte 1. collect. 37. n. 16. Bobadilla tomo 2. lib. 2. c. 18. n. 99. & Ceuallos tract. de cognit. per viam violentia, parte 2. q. 65. n. 14. vbi sic ait: Quando algun Ecclesiastico delinque en el officio, que tomo, como si es Medico, Boticario ô Abogado, ô Tutor, ô Curador de algun Menor: ô tiene officio de su Magestad, Presidente de hacienda, ô Consejero, y delinque en el: ô vende el Clerigo con medidas falsas su mercaduria, y en otros calos semejantes, porque entonces ratione officij potest puniri in bonis, & Iudex sæcularis est competens. Ita ille. Et Borrell. Anguianus, Pereira, Escobar, & alij penes Dianam, infra.

Sed probabilius respondeo: Non posse absque incurfione huius Canonis Censuræ. Quia Canon vniuersaliter loquitur, & solum exceptit casus in iure expressos: ergo. Sic Bonacina hic disp. 1. q. 16. puncto 5. Quamobrem (inquit) Clericus, qui officium Tutoris, vel Curatoris, vel Administratoris bonorum exercuit, & in eo deliquit, non potest in iudicium à laico ad reddendam rationem vocari: quamuis enim delinquat assumendo huiusmodi officium; non tamen amittit fori priuilegium. Sic ille, citans pro

hac parte contra nonnullos Doctores Gallos, Ambrosinum c. 20. n. 5. Martam, de Iurisd. parte 4. casu 148. & Duardum can. 15. q. 11. n. 26. & 38. Quibus addi possunt Megala in 3. p. lib. 3. c. 11. n. 26. & 36. Cochier, Zanardus, Graffis, & Squillante, quos citat, ac sequitur Diana 1. p. tract. 2. resol. 19. & parte 4. tract. 1. resol. 39.

#### QVÆSTIO XX.

*An Iudex laicus possit, absque incurfione huius Canonis Censuræ, punire Ecclesiasticum assassinum; hoc est, Ecclesiasticum, qui pretio aliquem occidit, aut occidi mandat?*

**A**ffirmant Iacob de Graffis 1. p. decis. aur. libro 4. c. 18. n. 5. Carolus de Graffis de effect. cleric. effect. 1. n. 668. & Cenedo in Collect. 37. n. 11. Marsilius, Grammaticus, & alij, apud Ambrosinum, infra. Quorum placitum, probabile reputant Molina tom. 4. tract. 3. disp. 25. n. 6. & disp. 49. n. 20. & Gambarupta de Immunit. Eccles. lib. 7. c. 14. n. 13.

Sed, vt mihi certum respondeo: Non posse, in dicto casu punire Ecclesiasticum assassinum, nisi post sententiam declaratoriam crimini, factam à Iudice Ecclesiastico; aliàs certum esse excommunicationem huius Canonis incurrere. Quia certum est, quod Ecclesiasticus assassinus non subijcitur potestati Iudicis sæcularis, nisi post sententiam criminis declaratoriam; imò & post depositionem & traditionem brachio sæculari. Sic Bonacina de Legib. disp. 10. quæst. 2. puncto 1. §. 4. n. 8. & hic, disp. 1. q. 16. sect. 1. puncto 5. n. 4. & puncto 6. n. 16. & 17. & penes illum, Farinac. de Inquisit. q. 8. n. 85. Ambrosinus c. 17. n. 10. Iul. Clar. lib. 5. sentent. q. 36. n. 31. Marta de Iurisd. parte 4. casu 129. Duard. Can. 15. q. 11. n. 18. Couarr. & Capicius. Quibus addi possunt Mastrillus, Belletus, Marius, Antonius, Salzedo, Diaz, Ceuallos & Megala, quos citat, & sequitur Diana 1. p. tr. 2. resol. 52.

#### QVÆSTIO XXI.

*An casu, quo Ecclesiasticus sit notorius Sodomita, possit licitè Iudex sæcularis illum punire?*

**A**ffirmat Garfias de nobilit. Glossa 9. n. 19. Sed etiam, vt certum respondeo: Non posse absque mortali, & incurfione Censuræ huius Bullæ; nisi post Iudicis Ecclesiastici declatationem, criminis depositionem, & traditionem brachio sæculari. Quia tunc, & non antea, amittit Ecclesiasticus priuilegium fori. Sic Bonac. hic, disp. 1. q. 16. sect. 1. puncto 5. n. 4. Duard. Can. 15. q. 11. n. 61. Marta de Iurisd. parte 2. capite 16. n. 4. Megala in 3. p. lib. 8. c. 11. n. 11. Bobadilla tomo 1. polit. lib. 2. c. 18. n. 59. Ceuallos tract. de cognit. per viam violent. p. 2. q. 43. n. 6. vbi ait, ita in casu contingenti, esse factum, & rursus idem docet, ibid. q. 97. art. 4. Diana 1. p. tractatu 2. resolut. 52. cit. vers. Hoc etiam militat.

#### QVÆSTIO XXII.

*An concessum sit Iudici laico, Clericum incorrigibilem ad suum Tribunal trahere, & punire?*

**R**espondeo, absolutè loquendo: Esse concessum illi. Sic communiter DD. & præcipuè Glossa summaria ad initium cause 11. id colligit ex cap. Nec licuit. dist. 17. Cui addi possunt cap. de Liguriis 23. q. 5. cap. Cum non ab homine, de Iudicijs. cap. Vt fama, de sent.

*sent. excommun. vbi incorrigibiles Clerici censentur, qui postquam de crimine sunt condemnati, in similia, vel peiora delicta dilabuntur. Legantur Nauar. cap. 27. n. 79. Suarez disp. 22. sect. 1. n. 9. Reginaldus libro 9. numero 151. Bonac. hic disp. 1. quest. 16. sect. 1. puncto 6. n. 11. & alij.*

An verò liceat Iudici laico, Clericum incorrigibilem punire, etiam ante declarationem Iudicis Ecclesiastici, qua constet Clericum esse prorsus incorrigibilem, non constat. Nam aliqui affirmatiuè sentiunt cum Nauarro *loc. cit.* Alij verò, & probabilius, negatiuè, idque colligunt ex cap. *Vi fama, cit.* vbi de Clericis incorrigibilibus dicitur, & quod possint, & debeant per Ecclesiasticum Iudicem sub arcta custodia detineri, & quod laicus non possit huiusmodi Clericum comprehendere, nisi de mandato Prælati Ecclesiastici, & hinc non sua, sed committentis auctoritate, id facere. Ex quo constat, quod Clericus incorrigibilis non amittat ipso iure priuilegium fori, absque declaratione & depositione, & traditione brachio sæculari, facta à Iudice Ecclesiastico. Sic Suarez & Bonac. *loc. cit.* & penes ipsum, Duardus, Ægidius, Farinac. & Ambrosin. Necnon Diana 1. p. tr. 2. res. 52. vbi ait, id haberi expressè in quadam Bulla Clem. VIII. dat. Rom. 18. Decembr. 1591.

Q V Æ S T I O XXIII.

*An Iudex laicus possit conuenire Ecclesiasticos, & trahere ad suum Tribunal, pro solutione gabella; in casu, quo teneantur illam soluere?*

**A**ffirmant Salgado de *protect. regia, p. 4. capite 14. n. 100.* Mexia in *pragm. taxa panis, concl. 5. n. 23.* Lassarte de *gabellis, c. 19. n. 84.* Coriolan. in *Bulla Cæne, excommun. 16. fol. 945.* Gutierrez de *gabellis, libro 7. q. 94.* Ceuallos *tract. de cognit. per viam violent. p. 2. q. 64. n. 7.* Tiraquel, Aufrerius, & Guillelm. de *Benedictis, quos omnes pro hac parte refert Diana 1. p. tract. 2. res. 42. & 3. p. tract. 1. res. 44.* docentes in dicto casu, posse superiorem laicum procedere contra bona Ecclesiasticorum, & cogere illos ad soluendas gabellas.

Sed longè multò probabilius respondeo: Non posse Iudicem laicum absque incurfione Censuræ huius Bullæ, compellere Ecclesiasticos ad soluendas gabellas, etiam casu quo teneantur illas soluere. Quia longè probabilius est, etiam in dato casu, quod Iudices Ecclesiastici debeant illos ad eas soluendas compellere, non Iudices sæculares. Sic Diana *resol. 42. & 44. citatis* & penes ipsum, Salzed. in *pract. crim. c. 55* Squillante de *priuileg. Cleric. c. 8. dubit. 1. num. 31.* citans Bertachinum, Nattam, Carolum de Grassis, Surdum, & Molfesum. Sic etiam Anguianus de *legib. tomo 1. libro 2. controu. 15. n. 14.* Barthol. à S. Faulto in *speculo Confessor. disputat. 33. q. 21.* Bald. Abbas, & Rolandus à Valle. & alij.

Q V Æ S T I O XXIV.

*An Iudex laicus possit trahere ad suum Tribunal, & punire Clericum pro delicto commissso ante Clericatum?*

**A**ffirmant apud Bonacinam *infra Anton. Gomez. 3. variar. res. cap. 10. n. 5.* Vgolinus *c. 15. §. 1. n. 8.* & alij absolutè docentes, suscipientem primam Tonsuram post delictum, iudicandum esse à Iudice sæculari.

Sed ferè certum respondeo: Non posse, aliter incurret excommunicationem huius Canonis. Sub qua

absolutè prohibetur, ne Iudices sæculares trahant ad suum Tribunal personas Ecclesiasticas. Sic Carolus de Grassis de *effect. Cleric. effect. 8. n. 15.* vbi affirmat fuisse decisum; Notarium effectum Clericum, non posse cognosci à Iudice laico, pro instrumento falso confecto, tempore, quo erat laicus. Diana *p. 4. tr. 1. res. 84.* & penes illum, Mastrillus, & Guazzinus. Quibus addi possunt Filliuc. *tractatu 16. cap. 10. q. 6. numero 265.* Bonacina *hic disputatione 1. questione 16. puncto 5. numero 8.*

Q V Æ S T I O XXV.

*An saltem possit Iudex laicus liberè punire Clericum, qui post delictum patratum assumpsit habitum Clericalem, intentione se subtrahendi à iurisdictione seculari?*

**A**ffirmant, & à fortiori, Gomez, & Vgolinus *loco cit.* Quibus pro nostro quæsito adherent Molina de *Iustit. tomo 4. tract. 3. disput. 49. n. 21.* Couart. *practicar. q. 32. vers. Secunda conclusio.* Gutier. *libro 1. practicar. q. 5.* Iulius Clarus *q. 36. n. 38.* & eius Additionator *ibid. lit. G.* Farinac. *tit. de Inquisit. quest. 8. n. 104.* Menoch de *presumpt. lib. 6. q. 76. n. 35.* Zerola *verb. Clericus n. 6.* Ambrosinus de *immunit. c. 19. n. 5.* Quos omnes pro hac parte refert Bonacina mox citandus. Quibus addi possunt Ceuallos *tract. de cognit. per viam violent. parte 2. q. 44. n. 7.* & Filliuc. *tr. 16. c. 10. q. 6. n. 265.* & alij, asserentes posse in hoc casu Iudicem sæcularem, dictum Clericum in fraudem Curie ordinatum, adducere ad suum Tribunal, & punire illum, non quoad pœnam corporalem, sed tantum ad pœnam pecuniariam, & confiscationem bonorum.

Sed probabilius respondeo: Adhuc non posse. Primò, quia dici potest præfatum criminofum vt iure suo assumendo statum Clericalem: qui autem vitur iure suo, nemini fraudem facit. Secundò, quia hinc non sequitur, eum qui statum Clericalem assumpsit intentione se subtrahendi à laica potestate, priuari ipso facto priuilegio Clericali. Tertio, quia qui confugit ad Ecclesiam post delictum patratum, animo se à Curia sæculari subtrahendi, verè gaudet immunitate Ecclesiastica, quamuis remaneat laicus, & in ea ad tempus moretur: ergo multò magis ea debet gaudere laicus, qui post patratum delictum ad Ecclesiam confugit, & personam suam per ordinis susceptionem Deo consecrat, vt illi perpetuò famuletur. Sic Suarez *contra Regem Anglia, c. 15. num. 17.* Genuens. in *praxi, c. 8. n. 5.* Bonac. de *legibus, disp. 10. q. 2. puncto 1. §. 1. n. 16.* & *hic in Bulla Cæne, disput. 1. q. 16. sect. 1. puncto 5. num. 9.* vbi aliquater hanc sententiam linuat: sed sine sufficienti ratione. Diana *1. p. tract. 2. res. 27. & 3. p. tract. 1. res. 67.* Et hæc sufficiant circa primam partem huius Canonis, Circa secundam ergo sit.

Q V Æ S T I O XXVI.

*An vt facientes, ordinantes, seu publicantes, statuta, decreta, ordinationes, &c. contra libertatem Ecclesiasticam, excommunicationem incurrant; sit necessum, vt id ex intentione faciant?*

**R**espondeo tanquam certum: Esse necessum. Quia statuere, seu ordinare aliquid contra Ecclesie libertatem, est per se, seu ex intentione, tendere contra Ecclesiasticam libertatem. Vnde si aliqui bona fide statuta contra Ecclesie libertatem fecerint, &



& sint parati ad ea, cum cognouerint, tollenda, non incurrunt hanc excommunicationem. Sic Caiet. *verb. excommunicatio* 31. *vers. Quarto nota. & vers. Sexto nota.* Nauarr. *c. 27. n. 119. in 4. declarat.* Filliuc. *tr. 16. c. 10. quæst. 7. num. 266.*

### QVÆSTIO XXVII.

*Quid sit statuta, &c. contra Ecclesiasticam libertatem facere, ordinare, & publicare?*

**R**espondeo dicendum, quod *facere* statuta, est aliquid publica auctoritate, constituere per modum legis, aut decreti generalis ab omnibus seruandum. *Ordinare*, est Superioris voluntatem, a pertis verbis disponere & explicare. *Publicare* verò est, promulgare statuta, voce præconis, vel per affixionem ad loca publica & consueta. Sic Filliuc. *loc. cit. numero 267.* Alterius *lib. 5. disp. 16. c. 3.* Bonac. *hic disp. 1. q. 16. sect. 2. puncto 1.* & Palao *disp. 3. puncto 16. n. 6.* & alij

### QVÆSTIO XXVIII.

*An qui unam solum ex his actionibus facit, excommunicationem huius Canonis incurrat?*

**N**egat, apud Bonacinam Duardus *hic Canone 15. q. 21. n. 2.* Cuius fundamentum potest esse, quod in Canone, tres primæ actiones exprimuntur, addita copula, *Et*, dicitur enim; *vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint*: at sic est, quod proprium huius particulæ est copulare & coniungere antecedentia cum subsequenti, vt notum est in iure: ergo, vt quis incurrat excommunicationem, omnes tres actiones prædictas debet efficere. Ita etiam sentit Palao *puncto 16. n. 5. in principio*, & penes ipsum Vgol. Quæuis hic pro opposita parte à Bonac. citetur.

Sed, vt certum ferè respondeo: Incurrere efficiendo quamlibet prædictarum actionum. Quia certum ferè est, quod in præsentia, particula, &, sumatur disiunctiue pro, vel vt sumitur semper quod subiecta materia istam significationem admitti petit, vt petit præfens: tum quia est fauorabilis Ecclesiæ: tum etiam quia alioqui ferè nunquam incurreretur Censura ob violatam libertatem Ecclesiasticam: cum Auctores statutorum contra illam, non soleant ordinare, sed ab alijs ordinari curent, ac publicari, vt constat. Sic Filliuc. *n. 266. ibi*: Per singulas autem actiones potest incurri, *excommunicatio*; vt per solam publicationem, etiam si non vterentur; per solum vsum, etiam si non publicauerint, & sic de cæteris. Alterius *disp. 16. c. 3.* Vgolinus *hic, vers. Necnon qui statuta, §. 4. vers. Tertio.* Bonac. *disp. 1. q. 16. sect. 2. puncto 1. n. 11.* Qui ait, ita etiam tenuisse prius Duardum, postea sibi contrarium, *loc. cit. q. 1. ad finem.*

### QVÆSTIO XXIX.

*An faciens statuta, seu decreta contra libertatem Ecclesiasticam, incidat in hanc excommunicationem, etiam ante promulgationem illorum?*

**A**ffirmatiuam sententiam esse probabilem, aperte insinuat Alterius *lib. 5. disp. 17. cap. 3. col. 6. pagina 689.* Respondeo (inquiens) quamuis certum sit, quamlibet dictarum trium actionum, causam esse sufficientem, ad excommunicationem incurrendam, vt probatum est; tamen probabilius esse puto affirmare, neque facientes, neque ordinantes excommunicatos esse antequam promulgatio facta sit. Quamobrem si Princeps mandet fieri statutum, quod libertatem Ec-

clesiasticam minuat, & officiales iuxta mentem Principis illud disponant, & in formam statuti redigant; si postea mutato proposito, prohibent illud promulgari, nec ipse Princeps, neque officiales excommunicationi subiacebunt; sequuta tamen promulgatione, ipso iure, facientes, ordinantes, & publicantes erunt excommunicati. Sic Alterius. Et bene certè. Quia statuta non habent rationem statutorum formaliter ante publicationem, seu promulgationem, ex communi Theologorum cum S. Thom. *1. 2. q. 90. art. 4.* Sic etiam Filliuc. *tr. 16. c. 10. q. 7. n. 266. vers. Præterea.* Vgol. *loc. cit. Duard. Can. 15. q. 21. n. 1.* Soufa *hic c. 16. disp. 81. num. 2.* & Bonac. *puncto 1. cit. n. 3.* Qui inde colligunt a fortiori negandum esse, affici excommunicatione huius Canonis, qui statutum contra Ecclesiæ libertatem incepit facere, sed non perficit. Legatur Felinus *in cap. Nouerit. de sent. excomm. vers. Item. adde, n. 4.*

### QVÆSTIO XXX.

*An qui statutum edidit, aut ordinauit, statim afficiatur excommunicatione, sequuta publicatione, si statuta nunquam executioni mandentur?*

**R**espondeo: Affici statim. Quia executio decreti, non est formaliter de substantia decreti; cum potius supponat iam in suo esse constitutum. Sic Alterius verbis mox adducendis Bonac. *loc. cit. n. 4.*

### QVÆSTIO XXXI.

*An Princeps, qui contra libertatem Ecclesiasticam non fecit statutum, tamen ab alio factum promulgari curat, excommunicationem huius Canonis contrahat?*

**R**espondeo: Contrahere. Quia, qui statutum promulgare facit, statim facere censetur; cum per promulgationem vim tribuat statuto ab alio factum. Sic Alterius *lib. 5. disp. 16. c. 3. col. 5. vers. Respondeo, in fine.* ibi: Sed cum primum promulgatio sequitur, æquè sunt excommunicati, qui fecerint, ordinauerint, & publicauerint, quamuis statuta edita nunquam executioni mandentur. Neque excusantur ab excommunicatione, qui non faciunt statuta, sed promulgant illa alijs facta. Sic ille. Et Bonac. *hic, disp. 1. q. 16. sect. 2. puncto 1. n. 7.* Et idem dicendum est de Superiori, qui dicta statuta facit seruari: cum proprius vsum legis sit obseruantia eius. Sic Filliuc. *tr. 16. c. 10. q. 7. n. 168.* & antea Suarez *disp. 21. sect. 2. n. 80.* Palao *disp. 3. puncto 16. numero 5.*

### QVÆSTIO XXXII.

*An Præcones, & alij inferiores Ministri, qui statutum contra libertatem Ecclesiæ publicè promulgant, Censuram huius Canonis incurrant?*

**N**egatiuam sententiam tenet Palao *puncto 16. n. 5.* eamque tenere Suarium *hic, disputat. 21. sect. 2. numero 79.* & Duardum *hic, Can. 15. q. 22. n. 2.* aiunt Bonac. & Palao. Sed ex his, Suarez, si attentè legatur id non docet; nam postquam dixit, quod præco, v. g. qui legem promulgat, non incurrat hanc Censuram, sed qui promulgare præcipit, qui propriè promulgare dicitur; hæc addit verba: Quæ responsio posset acceptari nisi in Bulla adderetur illa vox; *quomodolibet fecerint & publicauerint*, non ergo cõprehendit tantum præipientem, sed etiam subscribentem: nam hi omnes aliquo modo publicationem efficiunt. Hæc Suar. Vnde

Vnde probabilius respondeo: Incurrere; nisi alias titulo probabilis ignorantia excusentur. Quia in hoc Canone excommunicantur omnes illi, qui quomodolibet, decreta facta contra libertatem Ecclesiasticam publicant; at sic est, quod Præcones, & alij Ministri inferiores, aliquo modo dicta decreta publicant, dum promulgant illa, vt concedit Suarez: ergo. Sic Filliuc. tract. 16. cap. 10. q. 7. n. 267. ibi: Tertio, Tabelliones, Præcones, Affigentes, & alij Ministri statuta, prædicto nomine publicantes, etiam incurrerent. Sic ille. Cuius sententiam videtur sequi Bonacina puncto 1. cit. n. 8. quamuis primam sententiam non reputet improbabilem. Citatque pro hac, Alterium lib. 5. disp. 16. c. 3. dub. 2. Sed hic Author, solum dicit, esse certissimum, tales inferiores Ministros, qui de mandato Superiorum, publice denunciant huiusmodi statuta, immunes esse, & liberos ab excommunicatione, si probabiliter ignorant vt regulariter contingit, illa continere aliquid contra libertatem Ecclesiasticam. Hæc Alterius, & non amplius: credo tamen hoc contigisse ex defectu Typographi, vt ex Alterij verbis colligitur. Legatur.

QVÆSTIO XXXIII.

An Scriptores statutorum contra libertatem Ecclesiasticam; etiam sub hac excommunicatione comprehendantur?

Negant aliqui, & quidem probabiliter eo quod non videantur in tota clausula huius Canonis, comprehendi. Ita Duard. hic, q. 22. n. 1. & Reginald. lib. 9. n. 362. Bonac. etiam disp. 1. q. 16. sect. 2. puncto 3. num. 7. quamuis limitatè id neget.

Sed probabilius respondeo: Comprehendi; & Primò, sub illo verbo, publicauerint; Quia, cum scriptura sit publicum instrumentum, meritò dici potest publicare statutum, qui illud scribit. Secundò, sub illo verbo, ordinauerint. Qui enim statutum literis mandat, ordinate videtur, licet, qui disponit, & in formam redigit. Et Tertio, sub illo verbo: Quomodolibet, quod omnem modum ordinandi complectitur. Sic Suarez n. 79. cit. Alterius c. 3. cit. dub. 3. & Filliuc. c. 10. cit. q. 7. n. 167. ibi: Secundò, Cancellarij, Dictatores, Compòsitores, & Scriptores eorundem statutorum; quia censentur comprehendi sub ordinantibus, etiam incurrunt: Non qui solum transcriberent, vel exciperent alio dictante, ligarentur tamen Censura cap. Nouerit, de sent. excomm. & cap. Nuper. eod. Sic Filliuc. ibi, quam doctrinam repetit, n. 168. Soufa hic, c. 16. disp. 71. n. 2. Caiet. verb. excommunicatio, capite 31.

QVÆSTIO XXXIV.

An Magistratus, seu Rectores Ciuitatum, scientes seruari statuta contra libertatem Ecclesiasticam, & non impediens, hanc excommunicationem incurrant?

Affirmant Nauarr. c. 27. n. 119. & Regin. libro 9. c. 23. n. 359. & 364. sub finem, apud Bonacinam q. 16. cit. sect. 2. puncto 3. n. 10. Sed certè Reginaldus n. 359. nil ad propositum dicit: & n. 364. id non docet absolutè, sed sub disunctione; ait enim, hoc verum esse, loquendo de his personis, quæ veram habent potestatem abrogandi dicta statuta, & prohibendi eorum obseruationem: non verò loquendo de his, qui potestatem ad id non habent. Ita Reginald. & satis probabiliter. Qui pro sententia Nauarri citat Suarium, ubi infra.

Sed non minus probabiliter respondeo absolutè;

Non incurrere hanc excommunicationem. Quia Censura lata ob actionem positiuam, vt est eiusmodi, non incurritur per omissionem. Sic Bonac. loc. cit. citans pro hac sententia Caietanum cap. 31. vers. Tertio nota. Suarium disp. 21. sect. 2. n. 83. Alterium disp. 16. c. 4. diff. 2. Filliuc. tr. 16. c. 10. q. 7. n. 268. & Duard. hic, Can. 15 q. 13. n. 3. Sed ex his Authoribus, Suarius, qui pro hac parte à Bonac. necnon & à Filliuc. citatur; non est certè pro illa. Nam licet n. 83. cit. dicat, sententiam Caietani esse satis probabilem: at verò, n. 85. expressè docet, sententiam Nauarri, sibi probabiliorē videri; & pro illa melius Suarius à Reginaldo citatur.

QVÆSTIO XXXV.

An incurrant hanc Bulla Censuram, qui statuta facta contra libertatem Ecclesiasticam, non delent è libris publicis, etiam si non faciant ea seruari?

Respondeo tanquam certum: Non incurrere. Quia id non est prohibitum per hanc Bullam. Sic Suarez disp. 21. sect. 2. num. 80. ita dicens: Si aliquis Princeps, vel Respub. talia haberet statuta; eis verò non vteretur, nollet tamen ea abradere à suis libris, seu Capitularibus, sed ea conseruare ad memoriam; non videtur incurrere in hanc Censuram Bullæ: quia illud non est facere, aut ordinare talia statuta, nec eis vti, & hæc tantum sunt, quæ prohibentur in hac Bulla. Sic Suarez. Filliuc. tr. 16. c. 10. q. 7. n. 268.

QVÆSTIO XXXVI.

An saltem incurrant excommunicationem latam in cap. Nouerit, de sent. excomm. qui dicta statuta omittunt delere à libris Capitularibus; etiam si obseruari non curent?

Affirmant quamplures Doctores existimantes, ob solam omissionem delendi talia statuta à libris Capitularibus incurri excommunicationem dicti capituli. Ita penes Bonac. Alterius lib. 5. disp. 16. c. 4. diff. 1. Angelus etiam, Palud. & Tabiena, quos affert, ac sequitur Sayrus lib. 3. c. 34. n. 4. Filliuc. tr. 14. c. 10. n. 166. & tr. 16. n. 268. cit. Tolet. lib. 1. c. 38. n. 13. & Regin. lib. 9. n. 362. dicens, sic significare Caiet. verb. excommunicatio, cap. 31. & de rigore Iuris sic esse tenendum, fateri Suarium disp. 21. n. 82.

Negant contra alij, docentes vtrumque ad incurrendam dictam excommunicationem requiri, nempe; & vt quis dicta statuta obseruari curet, & simul non faciat illa è libris Capitularibus deleri. Quia in textu dicti capituli, sic dicitur: Necnon, & qui de cetero seruari fecerint statuta edita, nisi ea de Capitularibus suis fecerint amoueri. Quibus verbis, vtrumque requirit, significari videtur. Ita Bonacina disp. 1. quest. 16. sect. 2. punct. 4. num. 6. citans pro se Caiet. c. 31. cit. Nauarrum cap. 27. num. 119. Suarium disput. 21. sect. 2. numero 80. & Duardum Canone 15. quest. 14. n. 2.

Sed distinctius ego respondeo dicendum; Quod in rigore Iuris loquendo, verum, & probabilior sit prima sententia; secunda verò, mitior & æquior, & in praxi probabilis. Id expressè tenet Suarius sect. 2. cit. n. 82. in fine, Vnde benè citat illum Reginaldus pro sua sententia, malè Bonacina pro sua. Sic etiam Alterius diff. 1. citata in fine, his verbis: Et hæc opinio Syluestri, & Abbatis videtur valdè probabilis, & consona textui. Quid enim refert huiusmodi statuta delere ex Capitularibus, si in praxi & vsu seruarentur? sicut enim qui seruat consuetudinem libertati Ecclesiasticæ repugnantem, quamuis scripta non sit, incurrit hanc excommunicationem, simili modo rationi consonum

consonum videtur excommunicatione innodari, qui statutum seruat, etiamsi ex libro tollat. Et eadem ratio militat è contrario, si quis statutum non seruet, sed illud non delet de libro. Hæc igitur sententia videtur verior, sed opposita mitior & æquior, cum pœnæ non sint extendendæ, præsertim vbi verba legis sunt ambigua. Propterea in praxi illa non est improbabilis. Hæc Alterius, citans, vt vidimus pro nostra sententia Syluestrum & Abbatem. Caietanus autem clarè militat pro sententia Bonacinæ, vnde haud benè, citat illum pro sua & nostra, Reginaldus.

## Q V Æ S T I O XXXVII.

*Quando statutum aliquod censendum sit contra libertatem Ecclesiasticam, ita vt nec facere, nec ordinare illud quis possit, nec ordinato vti; nisi velit in excommunicationem huius Bullæ incidere?*

R espondo: Tunc censendum esse. Quando huiusmodi statutum per se, & ex intentione ipsiusmet operis, non autem solius operantis, seu feientis statutum, attingit libertatem Ecclesiasticam, eamque lædit. Ex quo constat (ait Suarez) quod si statutum tale sit, vt per se non respiciat res Ecclesiasticas, nec harum exemptionem diminuat, licet ipse Legislatores directè intendat detrimentum aliquod, quod per accidens potest inde resultare in Ecclesiasticas personas, & peccet; non tamen aget contra hanc prohibitionem & Censuram: quia statutum ipsum ex se, non est contra libertatem Ecclesiæ; & ea, quæ sunt per accidens, non considerantur. Et è conuersò, si statutum ipsum sit per se repugnans libertati Ecclesiæ, quamuis statuarius speciali intentione non intendat libertatem Ecclesiasticam minuere, sed aliquod temporale commodum suum, nihilominus in hanc Censuram incurret: quia opere ipso voluntariè agit contra hanc prohibitionem. Sic Suarez disp. 21. sect. 2. n. 91. Ex Caietano verb. excommunicatio, cap. 31. vers. Sextò nota. Sic item Alterius lib. 5. disp. 16. cap. 3. pag. 691. vers. Quod verò spectat. Filliuc. tr. 16. cap. 10. q. 7. n. 170. Reginald. lib. 9. c. 23. n. 359. vers. Ex praua intentione. Bonac. hic. disp. 1. q. 16. sect. 2. punct. 2. n. 1. & penes illum Duardus, Coriolanus, & Soula.

## Q V Æ S T I O XXXVIII.

*Quenam statuta in particulari censenda sint contra libertatem Ecclesiasticam?*

R espondo dicendum, quod ea, quæ in genere, vel in specie, tollunt, lædunt, vel restringunt priuilegia à Deo, Papa, vel Imperatore, Ecclesiasticis personis, vel Ecclesiis, tam in spiritualibus, quam in temporalibus concessa, vel consuetudine acquisita. Sic Doctores omnes, præcipuè nuper citati.

Ex quibus colligitur Primò, quod illa decreta, seu statuta, quæ restringunt, vel lædunt, impediuntque, immunitatem locorum sacrorum; Administrationem liberam rerum Ecclesiasticarum; Exactionem decimarum; Exemptionem personarum Ecclesiasticarum à laica potestate; Publicationem Bullæ, seu, Executionem literarum Apostolicarum; aut iurisdictionem Ecclesiasticam, sunt decreta contra libertatem Ecclesiasticam, & ideo Iudex laicus, qui talia conderet, statueret, vel ordinaret; aut factis, aut ordinatis vreretur in excommunicationem huius Bullæ incideret. Sic Filliuc. & Bonac. locis cit. & alij omnes communiter.

Secundò, quod etiam sunt contra libertatem Ecclesiasticam, illa decreta, quibus Clerici, Ecclesiasticæ personæ timidiorefficiuntur; laici audaciores ad

nocendum illis; vt statutum, v. g. quo percutiens Clericum puniatur decem solidis; percutiens autem laicum solidis viginti. Sic Filliuc. & Bonac. loc. cit. Bartol. Angel. Tabiena & Syluest. quos refert ac sequitur Reginald. loc. cit. n. 358. versu Tenendum est secundò. & alij. Plures alios casus referunt dicti authores, præcipuè Bonac. loc. cit. & Alterius loc. cit. c. 5. & 6. Legantur.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

## DISPVTATIO XVI.

*De decimasexta Excommunicatione, lata contra impediētes Pralatos, ne sua iurisdictione vtantur.*

## Q V Æ S T I O PRIMA.

*Contra quas personas lata sit hæc Censura?*

R espondo: Quod lata sit Primò, contra omnes impediētes Archiepiscopos, Episcopos, & alios Superiores & inferiores Pralatos, & Iudices Ecclesiasticos ordinarios, ne sua iurisdictione Ecclesiastica, contra quoscunque vtantur.

Secundò, contra recurrentes ad Cancellarias, & alias Curias sæculares, eludentes sententias Iudicum Ecclesiasticorum Ordinariorum, aut Delegatorum.

Tertiò, contra procurantes à dictis Cancellariis, & aliis sæcularibus Curis, prohibitiones, & mandata etiam pœnalia, contra sententias dictorum Ordinariorum, aut Delegatorum.

Quartò, contra decernentes huiusmodi prohibitiones & mandata. Et contra exequentes eadem.

Quintò denique, contra dantes auxilium, consilium, patrociniū, & fauorem in eisdem. Sic colligit Filliuc. ex textu huius Canonis 16. qui sic se habet.

*Necnon, qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Superiores & inferiores Pralatos; & omnes alios quoscunque Iudices Ecclesiasticos ordinarios, quomodolibet hæc de causa directè, vel indirectè, carcerando, vel molestando eorum Agentes, Procuratores, Familiars, necnon Consanguineos, & Affines, impediunt quominus sua iurisdictione Ecclesiastica, contra quoscunque vtantur, secundum quod Canones, & sacra Constitutiones Ecclesiasticæ, & Decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini statuunt: Ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab eis Delegatorum quorumcunque sententias, & decreta, aut alias fori Ecclesiastici iudicium eludentes ad Cancellarias, aut alias Curias sæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones & mandata etiam pœnalia, Ordinariis, aut Delegatis predictis decerni, & contra illis exequi procurant: eos quoque, qui hæc decernunt & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrociniū, & fauorem in eisdem. Sic Canon. Legatur Filliuc. tr. 16. c. 10. q. 10. n. 277. Alterius lib. 5. disp. 17. per totam. Bonac. hic. disputat. 1. q. 17. Palao disp. 3. puncto 17.*

## Q V Æ S T I O II.

*An hæc excommunicationem contrahat, qui sine vi & metu, sed precibus, pecunia, premio, amore, aliæque via, impedit Iudicem Ecclesiasticum, ne sua iurisdictione vtatur?*

R espondo: Non contrahere. Quia impedire propriè dicitur ille (ait Alterius) qui obstaculum ponit, ne alius perficiat quod cupit. Quare, vt quis alteri vere & propriè impedito sit, requiritur vt sit causa, vt alter inuitus, & contra voluntatem cesseret ab opere quod intendit, qui autem precibus, amore, aliõve

aliòve simili modo retrahit iudicem, ne iustitia dictante, in aliquem flagitiosum animaduertat, non potest dici impedire iudicem, ab usu iurisdictionis suæ; quia volens, & spontè desistit à munere suo, & subornatus, mouetur voluntariè ad aliquid iniuste agendum. Sic Alterius lib. 5. disp. 17. cap. 1. col. 7. vers. *Impedire propriè*, (non versu, Tribus autem modis, vt citat Bonacina) Filliucius *quæf. 10. cit. dicto 2. n. 278.* Vgolinus, Graffius, Duard. & Coriolanus, quos citat, & sequitur Bonacina *quæf. 17. cit. punct. 1. n. 2. & 3.*

## QVÆSTIO III.

*An qui iniuste impedit Prælatos, ne sua iurisdictione utantur, hanc excommunicationem incurrat?*

Respondeo non incurrare. Quia Summus Pontifex solum excommunicat impediētes Prælatos, ne sua iurisdictione utantur, *secundum quod Canones, &c. statunt*: at sic est, quod, quando quis iuste impedit Prælatos, hi non utantur iurisdictione Ecclesiastica, iuxta Canones, sed potius contrà: ergo. Sic Alterius cap. 1. cit. col. 9. vers. *Sequitur.* Filliucius *quæf. 10. cit. dicto 1. num. 277.* & Bonacina *punct. 1. cit. num. 4.* Qui hinc benè colligit; nec affici hac excommunicatione illum, qui Prælatus impedit, ne sua iurisdictione utatur in eum, qui non est illi subditus. Nec illum, qui prohibet, ne iudex Ecclesiasticus progrediatur in causa, in qua reus legitimè appellauit. Nec illum, qui impedit Prælatus excommunicatum vitandum, ne iurisdictionem exerceat. Nec illum, qui iudicem Ecclesiasticum præuenit in causa mixti fori: Quia omnes isti non impediunt iniuste, sed iuste: & ideo non incurrunct censuram huius Canonis.

## QVÆSTIO IV.

*An non solum publica persona, qua iurisdictionem habent, sed etiam priuata impediētes iudices Ecclesiasticos, ne suam iurisdictionem exercent, huius Canonis excommunicationem incurrant?*

Affirmant apud Bonacinam, Filliucius *tract. 16. cap. 10. quæf. 9. ad finem.* Alterius lib. 5. disp. 17. cap. 1. vers. *Se d dubitari potest,* & Vgolinus *hic §. 1. num. 1. vers. Quæ excommunicatio.* Quia Summus Pontifex vniuersaliter, & absque limitatione loquitur: *Necnon, qui quomodolibet impediunt.* ergo omnes personas vniuersaliter comprehendit.

Alij è contra respondent, solum incurrare personas, quæ auctoritate publica fungentes impediunt iudices Ecclesiasticos; minimè verò personas priuatas. Quia Canon iste verè continuatur cum præcedenti, vt indicat apertè dictio illa, *Necnon qui*: at sic est, quod in præcedenti tractatur solum de personis publicis, quæ ex prætenso officio, personas Ecclesiasticas ad sua tribunalia trahunt, vt supra *disp. antecedenti, quæst. 4.* habitum est: ergo hic Canon eodem modo de publicis solum personis intelligendus est. Sic Bonacina *hic disp. 1. quæst. 17. punct. 1. num. 7.* citans pro se, Graffium *part. 1. lib. 4. cap. 18. num. 139.* Duardum *hic quæst. 3.* Nauarrum *cap. 27. num. 69. & 70.* Suarium *disp. 21. num. 75.* necnon, & Filliucium *tract. 16. cap. 10. quæf. 10. num. 277.* & Alterium *cap. 1. cit. col. 1. vers. Necnon,* dicens, hos vltimos sibi esse contrarios. Sed certè, nec Filliucius, nec Alterius, sibi contrarij sunt: Nam locis pro hac secunda sententia citatis, solum supponunt, vt certum incurrare hanc censuram illos, qui auctoritate publica impediunt iudices Ecclesiasticos; non tamen negant incurrare priuatas

R. P. Leand. de Censuris.

personas: quia Filliucius id supposuit *quæf. 9. n. 276.* & Alterius postea immediatè, id, posita quæstione, statuit. Vnde licèt hæc sententia Bonacinæ sit probabilis, probabilior est Filliucij, & Alterij, ob eorum fundamentum; & ideo à nobis tenenda.

## QVÆSTIO V.

*An qui noctu dilacerat edictum Episcopi in loco publico affixum, huius Canonis excommunicatione feriatur?*

Negant Authores primæ sententiæ feriri censura huius Canonis. Quia non impedit iurisdictionem Episcopi auctoritate publica. Sic Bonac. *punct. 1. cit. num. 8.* Graffius, & Duardus penes ipsum, licet addant peccare grauiter, & graues pœnas mereri.

Sed melius iuxta à nobis dicta respondeo feriri dicta censura: Quia prædictus dilacerans edictum, verè impedit iudicem Ecclesiasticum, quod sufficit, cum non sit necessum ad hoc, vt sit persona publica.

## QVÆSTIO VI.

*Quot modis potest impediri iudex Ecclesiasticus, ne utatur iurisdictione sua?*

Respondeo quod tribus. Primò, vt non incipiat exercere ea, quæ ad iurisdictionem spectant. Secundò, vt non prosequatur, & executioni mandet ea, quæ iudicauit, & Tertio, vt reuocet ea, quæ perfecit, & executus est. Exemplum primi, & tertij modi impediendi Ecclesiasticum iudicem, reperies apud Trident. *sess. 25. cap. 2. prope finem,* vbi dicitur: *Nefas esse seculari Magistratui prohibere Ecclesiastico iudici, ne quem excommunicet; aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet.* Quod autem iudex impediatur, modo secundo; clarè constat, eo quod, nihil refert iudicasse, nisi mandatum executioni mandetur, cum hoc sit sententiæ finis. Sic Alterius lib. 5. disp. 17. cap. 1. col. 8. Filliucius *tract. 16. cap. 10. quæf. 1. n. 281.* & penes ipsum Vgolinus *hic n. 1.*

Ex quibus colligitur, quod in quocunque genere horum trium modorum, iudicis Ecclesiastici iurisdictione impediatur, sufficiet ad contrahendam hanc excommunicationem.

## QVÆSTIO VII.

*An impediētes Abbates, Decanos, Archidiaconos, & Vicarium generalem Episcopi, ne sua iurisdictione utantur, hanc excommunicationem contrahant?*

Respondeo tanquam certum: Contrahere, quia verè impediunt Prælatus habentes iurisdictione illorum dignitati annexam; ac proinde ordinariam; quod expressè est prohibitum in hoc Canone, Sic Alterius lib. 5. disp. 17. cap. 1. col. 6. vers. *Sequitur secundò.* Filliucius *cap. 10. citato, quæf. 10. num. 279.* Reginaldus lib. 9. num. 367. Duardus *hic quæst. 7. num. 6.* Vgolinus *hic §. 1. num. 1. vers. Item afficit,* Bonacina *punct. 1. cit. num. 11.* Qui ex Vgolino id extendit non solum ad impediētem Cardinales, ne iurisdictione utantur in Ecclesia sua titulari; verum etiam ad impediētem Generales, vel Prouinciales Ordinum: necnon ad impediētem legatos à latere, vel Nuncios; tum quia sunt Episcopi, de quibus expressà fit in textu mentio: tum etiam, quia iurisdictione, quam habent, iure ordinario ipsis competit.

## QVÆSTIO VIII.

*An etiam incurrat censuram huius Canonis, qui impedit iudices Ecclesiasticos ordinarios in causis mixti fori?*

**R**espondeo dicendum, quod incurrat, si hos iudices impediatur, cognoscendo causam, seu illam definiendam accipiendo, antequam ad iudicem Ecclesiasticum deducta sit; quia non præuenit iniuste, cum in his mixti fori criminibus, locus præuentioni detur, iuxta nuper dicta. Secus verò si impediatur iudicem Ecclesiasticum, casu, quo hic laicum iudicem præuenit, aut aliàs ius habeat cognoscendi; quia tunc iudex laicus impediens, excommunicatione afficitur, quia verè impedit iudicem Ecclesiasticum ne sua iurisdictione utatur. Sic Bonacina *disp. 1. quest. 17. punct. 1. num. 14* Vgolin. *hic §. 2. vers. Quarto. Duard. q. 5. Soufa disp. 85. Graffius lib. 4. hic, n. 126. & Filliuc. tr. 16. cap. 10. quas. 10. n. 280.* ita dicens: Impedientes Prælatos ne sua iurisdictione utantur in causis de consuetudine spectantibus ad forum Ecclesiasticum, etiam incurrunr: quia eiusmodi ratio agendi causas, approbatur etiam per Canones, ex cap. *Clericus*, & cap. *Cum sit generale, de foro comp.* Idem dic de impediens in causis mixtis, quando Ecclesiastici præueniunt, eodem enim modo excommunicati essent. Sic Filliucius.

## QVÆSTIO IX.

*An impediens Episcopum ne absolutionem sacramentalem alicui impendat; aut ne potestatem ordinis exerceat, censuram huius Canonis incurrat?*

**A**ffirmat incurrare impediens Episcopum, ne exerceat actus ad potestatem ordinis pertinentes; puta, ne conferat Sacramentum Confirmationis, Chrisma conficiat, sacret oleum infirmorum; creet Clericos, &c. Alterius *lib. 5. disp. 17. cap. 1. col. 4. pag. 711. quas. 2.*


Sed probabilius longè respondeo: In neutro casu incurrare, quia probabilius est, quod Canon hic solum loquatur de impediens vsu iurisdictionis fori externi, non ordinis, vt patet ex illis verbis: *Quominus sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque utantur.* Sic Vgolin. *hic num. 3. Duard. quas. 7. num. 7.* quos affert, & sequitur Bonacina *punct. 1. cit. num. 16. & 17.*

## QVÆSTIO X.

*An si quis ad tribunalia secularia recurrat, antequam Iudices ordinarij sententias ferant, excommunicationem huius Canonis contrahat?*

**N**egant Duard. *can. 16. q. 1. Vgolin. n. 1. & Alterius disp. 17. cit. cap. 2. col. 1. vers. Quare, & Palao disp. 3. punct. 17. n. 8. & alij.*

Sed æquè probabiliter respondeo: Contrahere, quia, quamuis excommunicatio lata in secunda parte huius Canonis, illis verbis: *Ac etiam eos, qui post sententiam, &c.* Videatur esse tantum contra recurrentes ad tribunalia secularia, post sententias datas à iudicibus Ecclesiasticis, comprehenduntur tamen his sequentibus verbis: *Aut alias (id est, aliter, aut alio modo) fori Ecclesiastici iudicium eludentes.* Sic Filliuc. *tract. 16. cap. 10. q. 11. dicto 3. n. 283. Bonacina disp. 1. q. 17. punct. 1. n. 23. Reginald. lib. 9. n. 369. & alij.* Nec plura de hoc Canone, quia quæ occurrere possunt, ex dictis *disp. 15.* dissolui à legente queunt.



## DISPVATIO XVII.

*De decima septima Excommunicatione lata contra vsurpantes Sedis Apostolica, & aliorum Ecclesiasticorum iurisdictiones, aut fructus, aut denique contra illos, sine facultate superioris, sequestrantes.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*Contra quas personas lata sit hæc censura?*

**R**ESPONDEO quod contra omnes, quæ iurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus, pertinentes ad Sedem Apostolicam, vel ad quascunque alias Ecclesiasticas personas, ratione bonorum Ecclesiasticorum vsurpant: aut eosdem sequestrant sine facultate legitima. Sic expressè colligitur ex textu huius Canonis, qui sic se habet.

*Quæve iurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes, vsurpant: Vel etiam, quauis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum, ad id legitimam facultatem habentium, expressa licentia, sequestrant.* Sic Canon: secundum quod referunt Nauarr. *cap. 27. n. 69. Vivaldus hic casu 17. Reginald. lib. 9. cap. 25. post n. 370. & Bonac. hic disp. 1. q. 18. in princip.*

## QVÆSTIO II.

*An persona, quæ per hunc Canonem, prohibentur iurisdictiones, fructus, redditus, &c. Ecclesiasticorum vsurpare; sint solum persona publica, & potestatem habentes, an etiam priuata?*

**A**ffirmare consequenter debebant Bonacina, & alij citati *supr. disp. precedenti, quest. 4.* quibus addi possunt Palao *disp. 3. punct. 18. c. 3. Vgolin. & Anton. de Soufa* penes illum, qui apertè id sentiunt, eo quod hic Canon etiam continuatur cum decimo quarto, vt denotat illa dictio relatiua, *Quæve*: at in illo, solum tractatur de personis publicis: ergo & in isto.

Sed probabilius respondeo (iuxta à nobis supradicta) quod omnes personæ, tam publicæ, quàm priuatæ prohibeantur vsurpare; quamuis principaliter personæ publicæ, & potestatem habentes, siue sint officiales, & Magistratus; siue etiam Imperatores, Reges, & Principes, eo quod ratione potestatis, quam habent, facilius quàm priuatæ personæ, bona prædicta soleant sibi vsurpare. Nam textus vniuersaliter loquitur. Nec obstat ad contrarium tuendum, quod iste Canon cum decimo quarto, qui solum de personis publicis agit, continetur. Nam licet hoc verum sit; non verò, quod illa particula, *Quæve*, sit relatiua ad personas, de quibus in illo Canone fit mentio: sed vniuersalis, & initiatiua nouæ clausulæ, & ideo comprehendit omnes, facitque hunc sensum: *Et omnes qui, &c.* Legatur Barbofa *diotione 414.* Sic Bonacina *hic disp. 1. quas. 18. punct. 3. num. 1. & 2.* & penes illum, Vgolinus, & Duardus. Alterius *lib. 1. disputat. 18. cap. 1. columna 1. Filliucius tract. 16. cap. 8. quas. 8. num. 212. Reginaldus cap. 25. cit. num. 372.*

## QVÆSTIO III.

*An solum laica persona, verum etiam Ecclesiastica, prædicta usurpantes; sint hac censura comprehensa?*

**N**Egat apud Bonacinam, Anton. de Soufa *hic cap. 28. disp. 90. vers. Respondendum*: vbi ait, Ecclesiasticos non ligari hac censura, dum fructus Ecclesiasticorum sequestrant auctoritate Ecclesiastica, sed solum dum funguntur laica auctoritate: vel dum præfatos fructus, tanquam sæculari titulo sibi debitos, usurpant. Quia Summus Pontifex consulere intendit immunitati Ecclesiasticæ contra laicos. Et hanc sententiam esse probabilem, apertè innuit Reginaldus *n. 372. cit. cum oppositam, probabilem tantum vocet.* Et illam tenet Palao *punct. 18. num. 3.* & Duard. penes ipsum.

Sed probabilius certè respondeo: Non solum laicas personas, verum etiam Ecclesiasticas, sub censura hac esse comprehensas. Quia Summus Pontifex absolute, & vniuersaliter loquitur, nec distinguit de laicis, vel Ecclesiasticis: ergo de omnibus indistinctè est intelligendus. Nam licèt præcipuè intenderit consulere bonis Ecclesiasticorum, ne auctoritate laicorum offendantur; verba tamen eius generalia sunt, nec ad alios limitata. Sic Reginaldus *loco cit.* Vgolin. & Duardus, quos affert, & sequitur Bonacina *q. 12. cit. punct. 3. n. 1. & 2.* Filliuc. *tr. 16. c. 8. quas. 8. dicto 4. n. 2. 12.* Alterius *lib. 5. disp. 18. cap. 1. col. 1. & communis.*

## QVÆSTIO IV.

*An fures, seu latrones, qui fructus, seu proventus Ecclesiasticorum furantur, aut rapiunt, incidant in censuram huius Canonis?*

**A**ffirmat Sayrus *lib. 3. cap. 21. num. 4.* Cuius sententiam, eo non citato, reputat probabilem Filliuc. *cap. 8. cit. quas. 11. n. 223.* eo quod verbum *usurpare*, etiam admittat hanc significationem, nempe, acceptionem quamcumque rei alienæ, animo faciendi illam suam.

Sed probabilius longè respondeo: Non incidere, quia probabilius longè est, quod verbum *usurpare*, strictè, & formaliter sumptum, solum significat illam actionem, qua quis aliena sibi tanquam propria, aut tanquam sibi debita, adscribit, seu (vt alij loquuntur) illam actionem, qua quis rem alienam rapit, non tanquam alienam, sed tanquam propriam, ac si ad se pertineret: at sic est, quod fures non rapiunt prædicta bona ac si ea ad se pertinerent, sed potius vt sunt aliena: ergo. Sic Caiet. *verb. excommunicatio, cap. 27. conditione 2.* Nauarrus *cap. 27. num. 70. declaratione 6.* Suarez *hic disp. 21. sect. 2. num. 96.* Alterius *disp. 18. cap. 1. col. 4. vers. Ad hunc modum.* Tolet. *lib. 1. cap. 18. verb. Tertia.* Filliuc. *loco cit.* Duard. Vgolin. Reginald. & Soufa, quos citat, ac sequitur Bonacina *disp. 1. q. 18. punct. 1. n. 3. & 4.* Luysius *lib. 3. disp. 28. dub. 6. vers. Tertio docet.* Sà de *excomm. Bulla Cœna, num. 17.* Palao *disp. 3. punct. 18. num. 4. & communis.*

## QVÆSTIO V.

*An qui usurparet proventus alicuius Episcopatus, seu beneficij, aut Ecclesie vacantis, hanc incurreret censuram?*

**N**Egant Caiet. *verbo excommunicatio, cap. 27. vers. Tertia,* & Toletus *lib. 1. summa, cap. 29. num. 5. aliàs cap. 28. vers. Secunda.* Quia existimant, necessarium esse ad hanc censuram incurrendam, vt proventus, seu

R. P. Leand. de Censuris.

fructus, qui usurpantur, sint alicuius certæ Ecclesiasticæ personæ, vel communitatis; quia in textu excommunicatur solum, *usurpans iurisdictiones, fructus, vel proventus ad personas Ecclesiasticas pertinentes.* Sed sic est, quod quando dicta beneficia vacant, proventus illorum ad nullam certam personam pertinent: ergo qui illa sibi usurparet, licèt peccaret mortaliter, & esset innoxius restitutioni, non tamen hanc censuram incurreret. Horum sententiam esse probabilem, contra Suarium, defendit Luysius *loco cit. vers. Secundo necessarium est.*

Sed probabilius longè respondeo: Incurrere hanc censuram, quia hæc non est lata præcipuè in commodum personæ, sed in defensionem Ecclesiasticæ immunitatis, & dignitatis. Quod ergo intendit Pontifex per hunc Canonem, est cohibere usurpatores Ecclesiasticorum proventuum, siue illi ad determinatam pertineant personam, siue non: nam hoc valdè accidentarium est ad finem legis. Præterquam quod dici potest, præfatos fructus pertinere ad Summum Pontificem, tanquam ad supremum dispensatorem, qui potestatem habet, eos tempore vacationis, obuientes impendendi in suos, vel in aliorum vsus. Sic optime Nauarr. *cap. 27. num. mihi 70. vers. Sexta, quod per illa verba,* vbi id latè contra Caietanum probat. Vgolin. *hic cap. 17. §. 1. vers. Quinto.* Sayrus *lib. 3. cap. 21. num. 4.* Suarez *disp. 21. sect. 2. num. 97.* vbi ait, contrarium sibi videri improbable: Alterius *lib. 5. disput. 18. cap. 2. col. 4. vers. Ex his quinque.* Filliucius *loco cit. num. 217.* Bonacina *disp. 1. quas. 18. punct. 2. n. 31.* & penes ipsum, Duard. Reginald. & Soufa. Luysius etiam *loco cit.*

## QVÆSTIO VI.

*An usurpans fructus Sedis Apostolicae, mortuo Summo Pontifice, huius Canonis censuram incurrat?*

**R**espondeo tanquam certum: Incurrere, quia usurpat fructus ad Sedem Apostolicam, seu ad Ecclesiam Romanam pertinentes, quod expresse prohibetur in textu illis verbis: *ad Nos, & Sedem Apostolicam.* Sic DD. citati, præcipuè Nauarrus *loco cit.* vbi ait, neminem contrarium dixisse. Qui addunt idem esse dicendum de usurpante fructus alicuius Monasterij, in quo, aut omnes Religiosi mortui sunt; aut nulli tunc reperiantur, eo quod aliò translati sint. Legantur Alterius, Suarez, Nauarr. Bonac. & alij *loco cit.*

## QVÆSTIO VII.

*An usurpans fundos, prædia, Ecclesias, vel ipsamet beneficia, censuram hanc etiam incurrat?*

**N**Egant aliqui, casu quo solum usurpet fundos, prædia, Ecclesias, vel beneficia, non fructus ab iis proventus: Quia Pontifex solum excommunicat usurpantem fructus, proventus, aut redditus. Ita apud Bonacinam, Duard. *hic quas. 8. num. 18.* & Vgolin. *cap. 17. §. 2. num. 1.* Quorum sententiam speculatiuè loquendo esse veriore, affirmat Palao *vbi infra.*

Sed probabilius longè respondeo: Etiam censuram hanc incurrere. Quia occupans, seu usurpans præfata bona, & Ecclesias, verè dicitur usurpare sibi ius fruendi huiusmodi bonis: at sic est, quod nomine *fructus* non solum veniunt fructus, qui suapte natura, vel industria hominum nascuntur, sed etiam vsusfructus, aut ius fruendi, *l. vacca emptor, ff. de euet. & l. per seruum, §. si vsusfructus, ff. de vsu, & habit.*: ergo usurpans prædicta bona, verè dicitur usurpare eorum fructus, & consequenter,

Ff 2 huius

huius Canonis censuram incurrere. Sic Bonacina *disp. 1. q. 18. punct. 2. n. 28. Alterius lib. 5. disp. 18. cap. 1. col. 5. dub. 1. vbi ait, id certissimum, & ab omni difficultate prorsus alienum, sibi videri. Legatur idem col. 1. & 2. & Palao disp. 3. punct. 18. n. 19. vbi ait, hanc sententiam practicè loquendo, esse tenendam.*

Secus dicendum est, de vsurpante prædia beneficij temporalis, quia hinc solum excommunicatur vsurpans fructus, redditus, &c. pertinentes ad Ecclesiasticas personas, ratione beneficiorum Ecclesiasticorum. Sic Bonac. n. 19. & Duard. *can. 17. q. 9. n. 2.*

### QVÆSTIO VIII.

*An vsurpans iurisdictionem spiritualem Prælatorum, sit per hunc Canonem excommunicatus?*

**N**egat Alterius *lib. 5. disp. 18. cap. 1. col. 1. vers. Iurisdictiones.* Quia existimat, Pontificem in hoc Canone, solum excommunicare vsurpantem iurisdictionem temporalem Prælatorum; eo quod de impediendis iurisdictionem spiritualem pertractauit *in can. 14. 15. & 16.*

Sed probabilius longè respondeo. Etiam per hunc Canonem esse excommunicatum, quia longè probabilius est, per hunc Canonem excommunicari illum, qui iurisdictionem quamcumque sibi verè vsurpat, siue sit Ecclesiastica, siue temporalis; siue ordinaria, delegata, aut accessoria: siue contentiosa, aut gratiosa, aut voluntaria. Quia Canon absolute, & vniuersaliter loquitur de iurisdictionibus: ergo de vsurpante quamlibet intelligendus est. Nec incongruum est in hoc Canone iterum de iurisdictione spirituali agere; cum hic agat Pontifex de fructibus beneficij Ecclesiastici, inter quos, iurisdictione recenseri potest, vt benè Suarez *disp. 22. sect. 2. n. 9.* Sic ipse *disp. 21. sect. 2. n. 95.* Vgolin. Duard. Soufa, & Filliuc. quos citat, & sequitur Bonac. *disp. 1. quest. 18. punct. 2. n. 3.* Palao *disp. 3. punct. 18. n. 9.*

### QVÆSTIO IX.

*An qui scienter retinet fructus beneficij, aut Ecclesia, ab alijs vsurpatos; in excommunicationem hanc incidat?*

**R**espondeo tanquam certum: Incidere statim ac illos tanquam proprios retinere incipit, quia, qui retinet fructus Ecclesiasticos, animo eos sibi appropriandi, & non restituendi, verè dicitur illos vsurpare; quamuis non ipse, sed alius arripuerit; nam in iure, idem est rem vsurpare, ac iniuste retinere. cap. *Indignè 12. q. 2. & cap. Sicut, dist. 47.* Sic Alterius *cap. 1. cit. dub. 2. pag. 720.* Filliuc. *tract. 11. cap. 8. num. 224.* Duard. *can. 17. q. 13. n. 3. vers. Octauo.* Bonacina *punct. 3. num. 3.* ex quo constat, excommunicatos esse hæredes scienter detinentes fructus Ecclesiasticos à testatoribus vsurpatos. Secus esset dicendum, si retinens non intenderet tales fructus sibi appropriare, sed solum retinere tanquam alienos, quia tunc non incurreret hanc censuram, licet peccaret contra iustitiam iniuste eos detinendo, vt *suprà quest. 4.* est habitum.

### QVÆSTIO X.

*An qui vsurpat fructus alicuius Clerici, titulo patrimonij ei competentes; Canonis huius censuram contrahat?*

**R**espondeo dicendum: Non contrahere, quia tunc non vsurpat fructus ad Ecclesiasticos pertinentes ratione monasterij, vel beneficij, vel Ecclesiarum,

quod Canon exigit. Sic ex Caietano *verb. Excommun. cap. 27.* Nauarr. *cap. 27. num. mihi 70. vers. Sexta, quod per illa.* Suarez *disp. 21. sect. 2. n. 95.* Graff. Filliuc. Duard. Soufa, Tolet. & alij, quos citat, & sequitur Bonac. *disp. 1. q. 18. punct. 2. num. 23. & 27. & punct. 3. n. 5.* Qui addit, id adhuc habere verum, casu quo vsurparet fructus ex bonis patrimonij ad cuius titulum fuit ad sacros ordines promotus. Quod additum est verum, quidquid contrarium sentiant Vgolinus *hic cap. 17. §. 2. num. 1. vers. Secundo.* Duard. *hic q. 5. n. 5. & q. 13. n. 2.* & Marta *de iurisd. part. 4. casu 11. 49. & 101.* Quorum sententiam reputat probabile Filliucius, licet probabiliorem nostram *tract. 16. cap. 8. q. 9. n. 214.*

### QVÆSTIO XI.

*An creditor, qui non potest alia via suum creditum recuperare; incurrat hanc censuram, subtrahendo Clerico ex fructibus beneficij, quantum credito correspondet?*

**R**espondeo tanquam certum: Non incurrere. Sic Filliuc. *tract. 16. cap. 8. quest. 11. dicto 5. num. 227.* his verbis: Idem dicendum, si creditor non valens, alia via recuperare suum creditum, occultè sibi satisfaciat, vel etiam per vim sibi appropriet, quia accipit, quod sibi debetur iusto titulo (*nempe, compensationis*) & multo magis si per iudices competentes Ecclesiasticos, eosdem fructus capi faciat tanquam pignora, &c. Sic ille. Et ante illum, Nauarr. *lib. 5. consil. de sent. excommun. consil. 31. per totum, & in Man. cap. 27. n. 69.* aliàs 70. ex Caiet. *verb. excommunicatio, c. 27.* Alterius *lib. 5. disp. 18. cap. 1. col. 4. vers. Hinc sequitur.* Bonacina *disp. 1. quest. 18. punct. 3. num. 6.* Addens idem à fortiori dicendum esse de illo, qui consentiente beneficiario expressè, vel tacitè, fructus ipsius subtrahit.

### QVÆSTIO XII.

*An clerici cadentes arbores frugiferas suorura beneficiorum, & eas sibi appropriantes, in hanc excommunicationem incidant?*

**R**espondeo tanquam quid certum: Non incidere, quia licet, cum sint tantum vsufructuarij, nequeant cadere arbores fructiferas sui beneficij; tamen cum sua beneficia legitime possideant, non possunt proprie dici vsurpatores dictarum arborum, etiam sibi eas appropriando, & consequenter in hanc censuram non incidunt. Sic Filliucius *loc. cit. n. 225.* & Bonacina *q. 18. cit. punct. 2. n. 30.* Qui tamen ex Nauarro addunt incidere nihilominus in suspensionem, vel excommunicationem latam *in Clement. 1. de reb. Eccles. non alien.* casu quo cadens prædictas arbores, alienauit illas, vendendo, donando, aut aliis modis alienando. Et hæc sufficiant pro primæ huius Canonis clausulæ explicatione. Pro secunda, sit

### QVÆSTIO XIII.

*An persona, quæ per hunc Canonem prohibetur sequestrare dictos fructus Ecclesiasticos, non solum sint publicæ, sed etiam priuatæ?*

**R**espondeo tanquam certum: Solum personas publicas prohiberi sequestrare dictos fructus. Quia sequestratio propria nequit fieri nisi auctoritate iudicis. Sic optimè Alterius *lib. 5. disp. 18. cap. 2. col. 3.* his verbis: Sequestrare est rem penes tertium deponere, quod duobus modis contingit fieri. Altero modo consensu partium, & dicitur voluntaria sequestratio. Altero modo auctoritate iudicis, &

& appellatur necessaria, vt notat Abbas in c. *Dilectus*, n. 11. & seq. de sequestr. possess. &c. In hoc Canone accipitur pro sequestratione necessaria, quæ sit à iudice. Fertur enim hæc excommunicatio ad tuendam dignitatem, & iurisdictionem Prælatorum Ecclesiasticorum contra iudices sæculares, qui illam vsurpare volunt, & potestate laicali ratione officij, quod gerunt, sequestrant iurisdictionem, & fructus ad Ecclesiasticas personas spectantes. Sic ille. Sed an benè in hoc quod id limitet ad iudices sæculares, statim videbimus. Filliucius etiam tract. 16. cap. 8. quæst. 3. dicto 4. n. 212. & 229. Bonac. disp. 1. q. 18. punct. 1. n. 8. vbi sequestrare in genere definit: Esse rem aliquam de qua inter duos controuertitur, tradere alicui certæ personæ custodiendam, vel etiam possidendam, donec lis dirimatur, & constet cui de iure debeat. Sequestrare verò prout in hoc Canone sumitur, dicit, idem esse, ac bona iurisdictionaliter deponere, seu impedire ne ab Ecclesiasticis personis ad quas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, vel beneficiorum pertinent, percipiantur. Legatur ille. Necnon Suarez disp. 21. sect. 2. n. 98. Duard. hic quæst. 10. Reginald lib. 9. cap. 25. à n. 372. Alterius, & Filliucius loc. cit.

QVÆSTIO XIV.

*An etiam iudices Ecclesiastici sequestrantes bona ad personas Ecclesiasticas pertinentes, sint sub hac censura comprehensi?*

**N**Egant, vt nuper vidimus, Alterius, & Filliucius loc. cit. Vgolinus hic, vers. Est etiam. Duardus q. 13. vers. Ampliatur, & Soula cap. 28. disp. 90. ob rationem ab Alterio allatam. Et quamuis fati probabiliter,

Nihilominus non minus, respondeo esse etiam sub hac censura comprehensos. Quia Canon generaliter loquitur, nec distinguit de laicis, aut Ecclesiasticis: ergo. Sic Bonacina disp. 1. q. 18. punct. 3. n. 2. & 7. & constat ex dictis supra quæst. 3. agentes de personis, quæ comprehenduntur sub censura lata in prima huius Canonis clausula.

QVÆSTIO XV.

*An non solum iudices, sed etiam eorum Ministri exequentes sequestrum, hanc excommunicationem incurrant?*

**R**espondeo tanquam certum: Etiam incurrere, quia, etsi ministerialiter, veri sunt sequestratores. Adde, quod exequens, vnum censetur cum iudice mandante; cum illius auctoritate operetur, & vnum sit vtriusque delictum, l. *Athletas*, ff. de fals. Sic Filliuc. & Soula loc. cit. qui tamen solum de Ministris laicæ potestatis loquuntur, & licet consequenter, non ita benè, iuxta nuper à nobis dicta, Bonacina punct. 3. cit. n. 9. & alij communiter.

QVÆSTIO XVI.

*An qui instat, & procurat apud iudicem præsertim seculari sequestrationem Ecclesiasticorum fructuum sibi concedi; incidat in hanc censuram?*

**A**ffirmat Toletus lib. 1. sum. cap. Bonacina 30. n. 6. vers. Aduerte: mihi, cap. 29. num. 4. his verbis: Aduerte etiam excommunicationem Bullæ extendi ad per se, vel per alios, directè, vel indirectè aliquid prædictorum facientes, exequentes, procurantes, consilium, auxilium, aut fauorem dantes. Vbi nota  
R. P. Leand. de Censuris.

hanc extensionem comprehendere omnia à principio decimæ quartæ inclusiue excommunicationis dicta, vt notat Syluester verb. *excommun.* 7. §. 70. 71. 72. & Tabiena verb. *excommun.* 6. num. 12. & propterea sub vno contextu eouè legitur. Ita Tolet. & ex parte Duard. can. 17. q. 2. n. 1. & q. 13. Quorum sententiam esse probabilem ait Filliuc. si verum sit decimam quintam, decimam sextam, & decimam septimam excommunicationem vnum caput efficere.

Sed probabilius multo respondeo dicendum, quod licet olim tempore Clementis VII. & Pauli III. verè incideret in hanc censuram procurans apud iudicem, sequestrationem præfatam; eo quod in Bullis illorum addita erant hæc verba: *Vel per se, vel alium, seu alios, directè, vel indirectè prædicta exequi, vel procurare, aut in eisdem consilium, auxilium, vel fauorem præstare non verentur.* Modò tamen nullo modo incidat: quia præfata verba, sublata sunt his temporibus à Bulla, ex quo aperte colligitur, Summum Pontificem non intendere censura afficere procurantes, aut instantes apud iudices, sibi sequestrationem fructuum Ecclesiasticorum concedi: quia quando verba legis tolluntur, dispositio, quæ ex verbis sumenda est, cessat. l. 4. §. *Prætor ff. de damn. infect. l. statum, in princ. ff. de admin. tut.* vbi Bart.

Nec obstat, quòd opponit Toletus, quod hic Canon connectatur cum præcedentibus, in quibus etiam excommunicantur mandantes, procurantes, &c. Quia verba præcedentium Canonum, seu excommunicationum, nullo modo referuntur ad hunc Canonem, cum distinctum sensum à præcedentibus faciat. Sic Nauarr. *consil. mihi* 38. (Bonacina 36.) de sent. *excomm. per totum.* Et ex illo Alterius lib. 5. disp. 18. cap. 2. vers. *Postulabit aliquis.* Filliuc. tract. 16. cap. 8. quæst. 12. n. 228. & 232. Vgolin. & alij, quos affert, & sequitur Bonacina disp. 1. q. 18. punct. 3. n. 10.

QVÆSTIO XVII.

*An iudex sequestrans fructus Ecclesiasticos, ad tollendas lites, aut ob aliam honestam causam, sit per hunc Canonem excommunicatus?*

**R**espondeo tanquam quid certum: Esse, quia Pontifex quamlibet sequestrationem, quauis occasione, vel causa fiat, expressè sub excommunicatione prohibet. Per hanc enim dictionem, *Quauis*, quæ vniuersalis est, remouet omnem excusationem, quæ excogitari potest. Vnde siue fructus Ecclesiastici sequestrantur ad tollendas lites, contentiones, inimicitias, aut discordias, & alia mala: aut ne distrahantur, aut dissipentur; aut ne illos retinens ius acquirat in possessorio; siue ex quacumque alia causa, semper incurritur hæc censura. Sic Alterius lib. 5. disp. 18. cap. 2. col. 2. vers. *Vel etiam quauis occasione.* Duard. & Vgolinus, quos sequitur Bonacina punct. 3. cit. n. 11.

QVÆSTIO XVIII.

*An iudices laici, qui fructus Ecclesiasticos sequestrant, sine facultate legitima, incurrant hanc censuram, si id faciant, vt Ecclesiastici, radio affecti, desistant ab vsurpatione secularis iurisdictionis, casu, quo vsurpatam illam habeant?*

**N**egatiuam sententiam tenuisse Couarruiam *præct. quæst. cap. 35. n. 3.* & alios, apud Marram, & Duardum, affirmat Bonacina *infra* citandus. Sed certè Couarruias loco à Bonacina citato, id nullo modo docet, vt legenti constabit. Vnde quidquid alij sentiant:



Oppositum omnino respondeo dicendum. Iudices praefatos etiam in casu per assignato excommunicationem huius Canonis incurrere. Quia sub poena illius, absolute prohibet Pontifex bona Ecclesiasticorum, quavis occasione, vel causa sine legitima licentia sequestrari. Sic Marta, Duard. & Azor, quos citat, ac sequitur Bonac. *disp. 1. q. 18. punct. 3. n. 12.*

### QVÆSTIO XIX.


*An non solum Romanus Pontifex, sed & alij Prælati possint iudicibus secularibus facultatem sequestrandi fructus Ecclesiasticos concedere?*

Respondeo tanquam certum: Possè, quia id expressè habetur in hoc Canone iis verbis: *Sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia.* Possunt ergo etiam talem facultatem concedere, Episcopi, & eorum Vicarij, necnon & à fortiori, legatus Sedis Apostolice, vel Nuncius. Quia sicut hi omnes potestatem sequestrandi habent, ita etiam ad alios ipsam tribuendam. Sic Alterius *lib. 5. disp. 18. cap. 2. col. 1. in princip. & col. 2. vers. Sine Romani Pontificis.* Vgolinus *hic, vers. Vel etiam.* Reginaldus *lib. 9. cap. 25. num. 373.* Bonacina *punct. 3. cit. n. 14.* Addens, eandem facultatem concedere posse partes litigantes, modò vtraque consentiat.

### QVÆSTIO XX.

*An bonorum Ecclesiasticorum usurpatio non solum in hac Bulla, sed etiam in alijs locis vetita sit?*

Respondeo esse pluribus in locis, cap. *Non minus, de immun. Eccles. cap. Prædica, & seqq. 12. quest. 2. cap. Attendendum est 17. quest. 4. in Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 9. & 10. & nouissimè in Tridentino sess. 22. cap. 11. & ultimo.* De quibus latè agit Bonacina *hic disp. 1. quest. 1. punct. 4. per totum.* Legantur etiam Alterius *lib. 5. disp. 18. cap. 2. col. ultima.* Filliuc. *tract. 16. cap. 8. quest. 12. & alij.*



### DISPUTATIO XVIII.

*De decima octava Excommunicatione lata contra imponentes Decimas, & alia onera Ecclesiasticis personis, Ecclesijs, Monasterijs, & eorum fructibus.*

#### QVÆSTIO PRIMA.

*Contra quas personas fertur hæc Excommunicatio?*

Respondeo dicendum, quod feratur **R**Primò, contra omnes personas cuiuscumque sint dignitatis, ordinis, conditionis, & præminentie, imponentes Decimas, Collectas, Tallias, præstantias, & alia onera, per se, vel per alios, directè, vel indirectè, Clericis, Prælati, & alijs personis Ecclesiasticis; ac earundem personarum, Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum benefi-

ciorum Ecclesiasticorum bonis: necnon eorundem fructibus, redditibus, & prouentibus.

Secundò, fertur contra Exigentes prædicta tributa, & onera, Ecclesiasticis enumeratis, vel eorum bonis, imposita.

Tertiò, contra Recipientes dicta tributa, seu onera præfatis Ecclesiasticis imposita, etiam ab eisdem spontè ea dantibus, seu soluentibus.

Quartò, contra Facientes per se, vel per alios prædicta onera Ecclesiasticis imponere, seu exigere. Et contra Exequentes mandatum impositionis, & exactoris dictorum onerum: Necnon & contra Procurantes, ut talia onera, & tributa imponantur; aut imposita exigantur, & recipiantur.

Quintò denique, fertur contra Præstantes auxilium, consilium, vel fauorem ad imponenda Ecclesiasticis, aut exigenda, & recipienda ab eisdem tributa, & alia onera. Sic Filliuc. Alterius, & Bonac. *hic*, ex textu huius Canonis, qui sic se habet:

*Quæve collectas, decimas, tallias (seu talcas) præstantias, & alia onera Clericis, Prælati, & alijs personis Ecclesiasticis; ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia, imponunt; & diuersis etiam exquisitis modis, exigunt; aut sic imposita etiam à spontè dantibus, & concedentibus, recipiunt. Necnon qui per se, vel alios, directè, vel indirectè, prædicta facere, exequi, vel procurare; aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscumque sint præminentia, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status; etiam si Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij potentatus; quicumque etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, & Terris, quoquomodo Præsidentes, Consiliarij, & Senatores; aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innouantes decreta super his per sacros Canones, tam in Lateranensi nouissime celebrato, quam alijs Concilijs generalibus edita, etiam cum censuris, & poenis in eis contentis. Sic Canon.*

Legantur super eo DD. citati, aliique mox citandi.

#### QVÆSTIO II.

*An in hanc excommunicationem incidat Princeps, qui imponit gabellas, & alia tributa Clericis in minoribus ordinibus constitutis?*

Negare videtur Angles in floribus *Theol. tom. 2. quest. de restitutione veltigalium, disp. 5.* eo quod sic dicat: Clerici in maioribus ordinibus constituti, à Subdiaconatu, scilicet, vsque ad Sacerdotium, & Monachi, atque Moniales, à cuiuscumque tributi solutione exempti sunt, exactoresque excommunicati sunt, & ad restitutionem tenentur, &c. Ita Angles.

Sed tanquam certum respondeo incidere. Quia certum apud omnes est, Clericos in minoribus constitutos, esse immunes ab onere tributorum; comprehendique in hoc Canone nomine *Clericorum*, cum verè sint Clerici: ergo Princeps, qui sine expressa licentia Pontificis, eis imponeret gabellas, aut alia tributa, aut ab illis talia exigeret, verè in censuram huius Canonis incideret. Sic communiter DD. Molina, Malderus, Lessius, Vasquez, Rodriguez, & alij plures, quos affert, & sequitur Diana *1. part. tract. 2. resol. 36. & p. 4. tract. 1. resol. 20.* Qui id intelligit loquendo de iure communi; nam in aliquibus regnis, inquit, Clerici in minoribus constituti, si actu beneficium non habent, non sunt exempti ab onere tributorum, & ideo ea, ex consuetudine scita, & approbata à Pontifice, solunt. Legatur.

## QVÆSTIO III.

*An saltem, absque incurfione huius Censuræ, possit Princeps imponere tributa, & alia onera Clericis, solum prima Tonsura insignitis?*

**A**ffirmat expressè Angles *loc. cit.* his verbis: Medina *ubi supra*, tenet, Clericos primæ Tonsuræ hoc immunitate gaudere, quod est contra totius Hispaniæ usum, & in iure Canonico non habetur: nam in cap. *Quamquam cit.* solum fit mentio Ecclesiasticorum, & in cap. *Aduersus*, & in cap. *Meminimus*, de immunit. Ecclesiarum. Habentes autem primam Tonsuram non sunt Ecclesiastici. Quamuis enim priuilegio Canonis, si quis suadente, gaudeant; non tamen priuilegio fori, iuxta decretum Concilij Tridentini *sess. 23. cap. 7.* Hinc, portitores pedagia à Clericis, vel pro seipsis, vel pro rebus suis deportandis, exigentes, excommunicati sunt, & ad restitutionem tenentur, si sint in maioribus Ordinibus constituti, non autem si in prima Tonsura. Ita Angles. Cuius sententiam sequuntur, apud Dianam, Lassarte *de decim. vendit. cap. 19. num. 21.* Gutierrez *pract. 99. lib. 1. q. 8.* Ledesma *tom. 2. sum. tract. 17. cap. 2. concl. 27.* & Ioan. de Cruze in *director. consc. 1. part. precept. 7. art. 3. concl. 1.*

Sed longè multò probabilius respondeo: non posse illis imponere habita, aut alia onera, absque incurfione excommunicationis latæ in hoc Canone. Quia longè multò probabilius est, quod nomine Clerici, & Ecclesiasticorum veniant Clerici, etiam primæ Tonsuræ: at sic est quod in hoc Canone excommunicantur imponentes tributa, & alia onera Clericis, & aliis personis Ecclesiasticis: ergo. Sic docent Molina *tom. 3. tract. 2. disp. 270. n. 5.* Malder. *in 2. 2. tract. 5. cap. 9. dub. 8.* Lessius *lib. 2. cap. 33. dub. 5. n. 39.* & alij, quos citat, ac sequitur Diana *1. p. tract. 2. resol. 36.* Quibus addi possunt Bonacina *hic q. 16. punct. 3. & q. 19. punct. etiam 3. §. 1. num. 2.* Barbosa *de iure Eccl. lib. 3. cap. 39. §. 5. num. 15.* Palao *tom. 1. disp. unica, punct. 9. n. 13.* Machado *tom. 2. sum. lib. 4. part. 1. tract. 14. docum. 10. n. 1.* Vbi sic ait: Por disposición del Derecho común, cap. *Non minus*, cap. *Aduersus*, de immunit. Eccl. & cap. *Quamquam*, de cens. in 6. goçan deeste priuilegio de no pagar alcuala, ni las demas imposiciones, todos los Clerigos generalmente assi los Orden sacro, como los de menores, y de prima Tonsura. Sic ille, & antea Torreblanca *de iure spirituali lib. 2. cap. 12. & lib. 15. cap. 5. & seqq.* Philibertusque *de Ordine tract. 2. part. 1. cap. 1.* Quos citauimus, & secuti etiam fuinus *2. part. de Sacram. tract. 6. disputatione 2. questione 8.*

## QVÆSTIO IV.

*An ad minus, licetè possit Princeps imponere tributa, & alia onera, Clericis, qui non seruant præscripta à Concilio Tridentina sess. 23. cap. 6.*

**A**ffirmant apud Dianam, Homobonus *de exam. Eccl. p. 1. tract. 7. cap. 29. q. 120.* Laymann *lib. 4. tract. 9. cap. 6. num. 3.* Suarez *contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 27. n. 14.* Azor *part. 3. lib. 5. cap. 19. q. 6.* Filliuc. *tr. 16. cap. 11. n. 298.* Coriolan. *hic excomm. 19.* Alter. *lib. 5. disput. 19. cap. 6. dub. 10.* Barbosa *in Collect. tom. 1. lib. 3. tit. 49. cap. 7. n. 7.* Ceuallos *tract. de cognit. per viam violent. in proem. cap. 7. n. 22.* Molfes. *tom. 1. tract. 6. cap. 10. n. 65. & tom. 2. tract. 12. cap. 22. n. 162.* & Reginald. *lib. 9. cap. 25. n. 376.* Vbi sic ait: Notandum est tertid, hic nomine Clericorum, non comprehendit Clericos primæ Tonsuræ, aut etiam minorum Ordinum, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant; aut Clericalem

habitum, & Tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi seruiunt, vel in seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos, versentur. Id quod habetur ex Concil. Tridentino *sess. 21. cap. 6. de reform.* Ita Reginaldus. Per cuius verba cognosces præscripta à Tridentino. Citat etiam Machado pro hac parte Bonacinam *de Censur. disput. 2. quest. 4. punct. 2. num. 1.* Sed haud benè, quia Bonacina *loco citato, punct. 1. (non 2.) num. 1.* solum ait, has præfatas condiciones reperiri debere in Clerico, vt gaudeat priuilegio Canonis, seu fori, quod est verissimum, cum illas ad id prærequirat Concilium; non verò eas requirit vt gaudeat priuilegio immunitatis à tributis, & gabellis; cum oppositum, *ubi infra*, doceat. Vnde

Probabilius respondeo: nec in præassignato casu posse Principem imponere gabellas, & alia tributa Clericis, etiam si non seruent requisita à Concilio Tridentino, absque incurfione huius Censuræ. Quia dicti Clerici de iure communi sunt exempti, vt diximus, à solutione gabellarum, & aliarum impositionum. Et quamuis Clericus simplex (ait Bonacina) non habens beneficium, non gaudeat priuilegio fori, nisi habitum, & tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat; vel in seminario Clericorum, aut in aliqua schola, de licentia Episcopi, versetur, iuxta Tridentinum *loc. cit.* nihilominus aliis priuilegiis non priuatur: quia Concilium Tridentinum prædicta requirit solum in eo, qui priuilegio fori gaudere cupit; consequenter non est faciendæ extensio ad alia priuilegia. Hucusque Bonac. *tom. 1. disp. 1. de Bulla Cæna, q. 19. punct. 3. §. 3. num. 1. & 2.* Molina etiam & Malder. *loc. quest. preced. cit. Lessius dub. 5. cit. n. 38.* Garcias *de benef. tom. 1. cap. 3. part. 2. num. 5.* Comitulus etiam *in respons. moral. lib. 6. q. 20.* Torreblanca *in defensione lib. de Magia, cap. 6. num. 96.* Barbosa *de iure Eccl. lib. 1. cap. 39. §. 5. num. 15. & 16.* Qui omnes testantur sic esse declaratum à Sac. Cardinalium Congregatione. Diana *1. part. tract. 2. resol. 37.* vbi ait, de hoc non esse amplius dubitandum. Machado *tom. 2. lib. 4. part. 1. tract. 14. docum. 19. num. 2.* Sanchez *lib. 7. Moral. cap. 13. n. 35.* & penes ipsum Nauar. *lib. 5. consil. 24. tit. de priuileg.* Gonzalez, Azeuedo, & alij.

## QVÆSTIO V.

*An Princeps possit, absque incurfione huius excommunicationis, imponere gabellas, aut alia tributa, super bona Nouitiorum?*

**A**ffirmant apud Dianam, Parladorius *rer. quotidiana. lib. 1. cap. 13. n. 21.* & Lassarte *tract. de decim. vendit. cap. 19. num. 50.* Quia Nouitius non est verè Religiosus, & potest transire ad sæculum. His addit Sanchez *ubi infra*, Emanuelem Rodriguez *tom. 2. 99. regul. q. 47. art. 8. ad finem, & tom. 1. q. 74. art. 9.* & Gironda *de Gabellis 7. part. in princip. num. 46.* licet hic cum Parladorio apud Sanchez cum limitatione aliqua loquatur. Ita etiam Portel *in dub. Regul. verb. Nouitij annus num. 53.*

Sed multò verius, & probabilius respondeo: non posse, absque incurfione Censuræ. Quia multo probabilius est, quod Nouitij, tam sub nomine Clerici, quam sub nomine personæ Ecclesiasticæ, super quorum bona prohibentur Principes imponere gabellas, & alia onera, comprehendantur, vt communiter docent Doctores: ergo. Sic Sanchez *lib. 6. summ. cap. 10. num. 16.* Et penes ipsum, Bertachinus *de gabellis 7. p. num. 56.* Molina *tom. 3. de Iust. disput. 671. n. 2.* & Mena *in suis varijs, lib. 2. quest. 21. num. 198.* His addi possunt

Malderus in 2.2.tract.1.cap.16.dub.8. Luyfius Turrian. tom.2. in 2.2. disp. 44. n. 12. Barthol. à Sancto Fausto in speculo Confess. disput. 33. q. 14. num. 2. Barbola in Collect. tom. 1. lib. 3. tit. 49. cap. 7. n. 11. Grassis de effectibus Cleric. effect. 3. Quos omnes, & alios nonnullos Canonistas citat, & sequitur Diana 1. p. tract. 2. resol. 38. & 3. part. tract. 2. resol. 73. Quibus ego adhuc addo Bonacinam hic disput. 2. q. 16. sect. 1. punct. 3. num. 10. & 11. & magis ad propositam quæst. ead. disput. 1. quæst. 19. punct. 3. §. 1. num. 2. Machado, cum aliis apud ipsum, lib. 5. part. 1. tract. 2. docum. 3. num. 2.

Nec obstat argumentum Ignatij de Lassarte, respondetur enim, quod licet Nouitius non sit verè & propriè Religiosus cum effectu; tamen in fauorabilibus habetur vt talis, & largo modo Religiosus, & Professus dicitur; & ideo gaudet priuilegijs Professus concessis. Legatur Diana locis citatis.

#### Q V Æ S T I O V I.

*An onus hospitandi milites, aut Principes, &c. possit personis Ecclesiasticis imponi?*

**R**espondeo tanquam certum: non posse. Quia id onus, vel imponitur ratione personæ, vel ratione bonorum: sed neutro modo potest imponi Ecclesiasticis; cum hi exempti sint à laica potestate, tam quoad bona, quàm quoad personas: ergo. Sic Baldus, Panormitanus, Quaranta, Belletus, & Filliuc. quos citat & sequitur Bonacina hic q. 19. punct. 3. §. 1. num. 5. Qui idem cum Filliucio dixerat, num. 4. loquendo de oneribus, quæ à subditis soluuntur Principibus pro capite; hæc namque Ecclesiasticis imponi nequeunt à laicis absque priuilegio speciali Pontificis.

#### Q V Æ S T I O V I I.

*An exigentes, aut extorquentes ab Ecclesiasticis gabellas, aut alia tributa; casu etiam quo hæc tantummodo laicis sint imposita; excommunicatione huius Canonis afficiantur?*

**A**ffirmat Alterius lib. 5. disp. 15. c. 3. col. 3. pag. 73. 2. Quia in hoc Canone excommunicantur exigentes à Clericis gabellas, & alia tributa: ergo incidunt in hanc Censuram, qui exigunt huiusmodi onera à Clericis, siue illa fuerint imposita Clericis, siue tantum laicis, hoc enim nihil refert, cum in hoc Canone excommunicentur exigentes à Clericis gabellas; super iis imponentes. Ita Alterius, qui citat pro se Syluestrum excommunic. 9. §. 46. vers. Hodie tamen. Sed certè Syluester ibi, si id affirmat, est valde obscure. Innueret tamen hanc partem Reginaldum lib. 9. n. 377. fatetur Bonacina infra citandus. Sed hic Author, nil aliud dicit, quàm Syluester loc. cit. & contrarium expressè docet, vt infra.

Multò ergo probabilius respondeo: non affici excommunicatione huius Canonis exigentes à Clericis gabellas, & alia onera, quoties hæc non fuerint Ecclesiasticis imposita. Quia probabilius est, quod Pontifex hic, tantum excommunicet exigentes, aut recipientes tributa, & onera imposita Ecclesiasticis, vel eorum bonis, fructibus, &c. ergo exigens gabellam, pedagium, seu tributum aliquod ab Ecclesiasticis, quibus Princeps in impositione dictorum onerum, nullam mentionem fecit, non afficietur excommunicatione huius Canonis. Sic Sayrus lib. 3. cap. 22. num. 10. Vivaldus hic n. 12. in nouis. alias 117. Suar. disp. 23. sect. 4. n. 22. Toletus lib. 1. cap. 41. ad finem. Duardus Canon. 18. q. 15. n. 1. Filliuc. tract. 14. cap. 4. quæst. 10. num. 62. Soufa, Quaranta, & Vgolinus, quos omnes refert, & sequitur Bonac. hic disput. 1. quæst. 19. punct. 1. num. 6. Qui etiam ci-

tat pro hac parte Reginaldum loc. cit. pro contraria n. 376. & 381. Et bene certè; nam id expressè docet, & probat his verbis: Si custodes alicuius pontis, portus vel fluminis, pedagium, gabellas, aut alia onera petant ab Ecclesiasticis transeuntibus: vel Ecclesiastici ipsi transeuntes, spontè illis dent; non incurrere hanc Censuram: nisi talia onera essent ipsis quoque Ecclesiasticis imposita: quia in textu particula coniunctiua, cum dicitur, *Imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt*; indicant ad hanc excommunicationem duo illa debere simul concurrere; nempe, & quod prædicta onera sint Ecclesiasticis imposita, & quod ab ipsis exigantur, vel ab ipsis spontè dantibus recipiantur. Sic Reginaldus. Non ergo potest dubitare quis de mente huius Authoris. Sic etiam Palao disp. 3. punct. 19. n. 12. Conueniunt tamen vtriusque sententiæ DD. præfatos Custodes dicta tributa exigentes, affici excommunicatione cap. *Quamquam de Censur. in 6.* quæ tamen non est Papæ reueruata.

#### Q V Æ S T I O V I I I.

*An exigentes pretium à Clerico pro translatione, & transitu fluminis, in hanc incidant Censuram?*

**R**espondeo tanquam certum: quod non. Quia id non recipit, tanquam tributum, & onus impositum; quod solum prohibet Pontifex à Clericis exigere: sed tanquam sui laboris, & operis pretium, quo operarius quisque dignus est. Sic Suarez disputat. 23. sect. 4. n. 21. Alterius lib. 5. disp. 19. cap. 3. col. 4. vers. Quintò notandum. Filliucius tract. 14. cap. 4. quæst. 10. & tract. 16. cap. 11. quæst. 2. num. 297. Duardus, Panormitanus, Nauarrus, Caietanus, & alij, quos citat, & sequitur Bonacina quæst. 19. cit. punct. 2. num. 8.

#### Q V Æ S T I O I X.

*An recipiens tributum ab Ecclesiastico spontè datum, hanc excommunicationem incurrat?*

**A**ffirmant absolute quidam Doctores; eo quod in Canone dicatur; *aut sic imposita, etiam à spontè dantibus, & concedentibus recipiunt*: ergo.

Sed clarius respondeo: incurrere, casu, quo tale tributum esset etiam contra Clericos impositum: minimè verò aliàs. Quia ad incurrendam hanc Censuram, duas conditiones requirit Canon; prima est, quod tributum, aut onus, sit contra Clericos impositum: & secunda, quod sic impositum ab eis petatur, vel eis voluntariè dantibus, recipiatur, quod patet legenti clarè. Recipiens ergo aliquid à Clericis tanquam sibi debitum, seu ob impositionem onerum, etiamsi id recipiat absque præuia petitione, sed à voluntariè dante, hæc Censura manet ligatus: minimè vero, si id non recipiat tanquam sibi debitum, quia non est tale tributum Clericis impositum. Sic Suarez disp. 21. sect. 2. n. 99. & disput. 23. sect. 4. n. 21. Vivaldus hic, casu 18. num. mibi 117. Duard. Can. 18. q. 18. Sayrus lib. 3. cap. 22. n. 10. Reginaldus lib. 9. num. 376. quæst. antecedenti cit. Bonac. disp. 1. q. 10. punct. 2. n. 10. Alex. Bertach. Souf. Grassis, & Ruin. apud ipsum. Pal. disp. 3. punct. 19. num. 11. & alij.

#### Q V Æ S T I O X.

*An exigens, aut mandans exigere tributa à Clericis, animo ea restituendi in fine anni, excommunicationem huius Canonis contrahat?*

**N**egat Duardus hic Can. 18. quæst. 15. num. 3. casu solum, quod exigens, aut Mandans, in fine anni restituat

restituatur aliquid plus, supra id, quod exegit, in recompensationem dicti incommodi, & interesse.

Sed absolute loquendo respondeo: excommunicationem huiusmodi contrahere; etiam si id faciat ad vitandas fraudes Publicanorum exigentium tributa. Quia reuera prefatus exigens cogit Clericos antea ad soluenda dicta tributa, quod clare prohibetur in hoc Canone. Nec facit quid limitatio Duardi: quia illa maior compensatio, quam facit exigens in fine anni, non tollit excommunicationem, antea, ob iniustam exactionem, contractam. Sia Alterius lib. 5. disput. 19. cap. 3. col. ult. vers. Sexto notandum, pag. 734. Bonac. puncto 2. cit. num. 11. & alij.

Quamuis Diana 1. p. tr. 2. resol. 45. sentiat oppositum esse licitum, casu, quo illa exactio tributorum fiat ex concordatis factis cum Episcopis, & consentientibus, atque volentibus ipsis Clericis; non renunciantibus privilegio, sed sustinentibus eius effectum differri in tempus, quod proxime sit magis opportunum, sine ullo onere, & interesse. Et quamuis id satis sit probabiliter dictum; non tamen tollit veritatem nostre sententiae directe quaestioni propositae respondententi.

### QVÆSTIO XI.

*An imponens onera, siue personalia, siue realia, Famulis Clericorum; Censura huius Canonis ligetur?*

**A**ffirmat Filliucius tract. 16. cap. 11. quæst. 4. n. 302. Quia hæc onera, inquit, redundaret in ipsos Ecclesiasticos.

Sed absolute omnino respondeo: negatiue. Quia in hoc Canone, solum excommunicantur imponentes onera Ecclesiasticis: sed famuli Clericorum, non sunt Ecclesiastici: ergo non remanent excommunicati, imponentes onera quæcumque contra illos. Sic Bonac. disp. 1. q. 19. punct. 3. n. 6. & Duardus hic Can. 1. 8. q. 14. n. 1. Qui secus dicunt, casu, quo Princeps, aut alius, imponeret gabellas, aut alia tributa, & onera colonis Ecclesiasticorum, aut eorum consanguinibus, seu aliis, qui cum Ecclesiasticis bona indiuisa habent, ex quorum impositione ipsi Ecclesiastici damnum aliquod paterentur; nam tunc imponentes onera dictis Colonis; aut consanguinibus Ecclesiasticorum, & eorum fructibus, hæc excommunicatione afficerentur. Legantur Bonac. hic q. 19. punct. 1. n. 15. Alter. lib. 5. disp. 19. c. 4. col. 2. Duardus quæst. 17. & alij, penes ipsos.

### QVÆSTIO XII.

*An Princeps imponens tributa super bona patrimonialia, & aliunde acquisita Clericorum; hoc Canone sit excommunicatus?*

**N**egant aliqui DD. quia existimant, prædicta bona esse laicalia, & potestati Principis subiecta: ergo possunt ab illo, tributis, & oneribus grauari. Ita apud Bonac. Purpuratus consil. 324. & apud Dianam, Bobadilla in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 18. num. 160. Qui in Glossa lit. F. citat plures Iuristas, cum limitatione tamen, ut hoc non intelligatur de bonis patrimonialibus, ad quorum titulum Clerici ordinati sunt.

Sed ut certum, respondeo: esse excommunicatum, per Canonem, Principem imponentem tributa super bona, non solum Ecclesiastica, sed etiam patrimonialia: & acquisita Clericorum. Quia id clare colligitur ex illis verbis Canonis: *Imponentes decimas, &c. personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiasticorum bonis.* Vbi dictio, illa, *eorum*, planè condistinguitur ab altera dictione sequenti, *Ecclesiarum*, & ideo per illam, relata intelliguntur omnia bona patrimonialia, ac propria

Clericorum: per hanc verò, bona Ecclesiastica eorundem. *Confirmatur*, quia dispositio huius Canonis est conformis intrinseci dispositioni: at sic est, quod iure antiquo in cap. *Quamquam*, de censib. in 6. etiam bona patrimonialia Clericorum sunt exempta: ergo. Sic Diana 1. p. tr. 2. res. 40. & tr. 3. res. 22. in fine, & part. 5. tr. 5. res. 27. §. Resat. & alibi, & penes ipsum, Suar. contra Regem Angliæ lib. 4. cap. 24. & 25. Molina tom. 3. tract. 2. disp. 671. Alter. disp. 19. cit. c. 6. dub. 2. Sayr. lib. 3. c. 22. n. 9. Filliuc. tr. 16. cap. 11. n. 297. Reginald. lib. 9. n. 379. Less. lib. 2. cap. 33. dub. 1. n. 19. Riccius, Sylu. Laymann, Azor, Duard. Molfes. Coriolan. Megala, Salon. Homobon. & alij. Quibus adhuc addi possunt Bonac. hic disp. 1. q. 19. punct. 3. n. 12. & penes ipsum, Couar. cap. 11. pract. 99. Tolet. lib. 1. cap. 29. Salas de legib. disp. 14. sect. 1. n. 114. Vgolin. Grassis, Marta, Medina, Complutens. & alij. Sic etiam Pal. disp. 3. punct. 19. n. 10. & rursus Suarez de Censur. disput. 21. sect. 2. n. 99. & alij communiter Qui à fortiori id docent loquendo de bonis patrimonialibus, ad quorum titulum Clericus est sacris Ordinibus initiatus. Legatur Bonac. loc. cit. n. 13. & seqq. pro aliis similibus difficultatibus.

### QVÆSTIO XIII.

*An licitum sit laicis, imponere Ecclesiasticis tributa, & onera, de expressa Summi Pontificis licentia?*

**R**espondeo tanquam certum: licitum esse illis. Quia id ex se, & ex verbis expressis Canonis constat. Et tenent omnes DD. Notantes, hanc licentiam non concedere Sum. Pontificem laicis, nisi urgente graui necessitate, vel publica vtilitate, eo quod impositio tributorum iustam causam requirat. Legantur Nauar. cap. 17. n. 207. Alter. lib. 5. disp. 19. c. 2. Bonac. disp. 1. q. 19. punct. 3. §. 3. n. 12. vbi n. 13. addit hanc facultatem imponendi Ecclesiasticis tributa, cessante cessante causa impositionis. Quod etiam docent Alterius loc. cit. & Duardus hic quæst. 3.

### QVÆSTIO XIV.

*An laicis sit licitum imponere Clericis onera, casu, quo de hoc habeant immemorabilem consuetudinem?*

**A**ffirmat apud Bonac. Bartolus in l. 1. Cod. de auro coronario, lib. 10. & alij.

Sed ut certum respondeo: quod non. Primò, quia laici sunt incapaces iuris in Ecclesiasticos. Secundò, quia Bulla expresse excommunicat eos, qui collectas, tributa, & alia onera Ecclesiasticis imponunt, sine speciali, & expressa licentia Sum. Pontificis: ergo sine hac, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, illicitum erit laicis onera Ecclesiasticis imponere. Sic cõmuniter DD. Filliuc. tr. 16. c. 11. quæst. 2. n. 293. ibi: Neque contraria cõsuetudo excusat, cum sit contra libertatem Ecclesiasticam, cõtra quam præscribi nõ potest, ut ex Abbate, & aliis iuribus docet Vgolin. hic §. 1. Sic Filliuc. Reginaldus lib. 9. num. 181. Duardus hic quæst. 20. num. 5. Bonacina disputat. 1. quæst. 19. puncto 3. §. 3. num. 14. & alij communiter penes ipsos.

### QVÆSTIO XV.

*An Princeps laicus possit, absque incurfione huius censura, imponere Clericis tributa, & alia onera, pro reparatione pontium, vel murorum Ciuitatis, pro arcendis hostibus, vel pro alia simili publica causa?*

**A**ffirmant plures DD. ducti auctoritate leg. Ad instructions, C. de Sacros. Eccles. Vbi dicitur: *Ad instructions*

*structiones itinerum, pontiumque, etiam diuinas domus, & venerabiles Ecclesias, libenter adscribimus.* Ita Humada l. 5. tit. 6. p. 1. Glossa 2. n. 1. Mexia *pragm. taxa panis, concl. 5. num. 63.* Cenedo in *Collect. ad Ius Can. p. 2. collect. 153 n. 3.* Lader *lib. 1. consil. 145 n. 3.* Salgadus *de prolect. Regi ap. 3. cap. 5. num. 9.* Purpuratus sibi contrarius, *consil. 50. lib. 5. & consil. 324.* Surdus *consil. 301. num. 3. lib. 3.* & alij Iuristæ. Et ex Theolog. apud Dianam, Vivaldus *hic, casu 18. n. 3.* & Henriq. in *sum. lib. 19. cap. 15. n. 5.* Sed ex his, Vivald. in *antiquis*, saltem, nil habet *loc. cit.* bene tamen Henriq. nam in corp. *Capitis n. 5.* vbi tractat de casibus in quibus Princeps sæculari cogere potest Clericos ad contributionem, ita ait: *Secundò, cum adest causa boni cõmunis, quæ ex æquo concernit Clericos, ac laicos; vt pro fonte, aut murorum reparatione, quod dicitur bonum procummunale, & exprimitur lege Regni (nempe l. 1. & 11. tit. 3. lib. 1. recop. l. Ad portus, C. de operibus publ. 1. ad instructiones, C. de Sacros. Eccles.) quæ sanè non corrigitur iure Canonico, vt quidam putant, sed declarat prædictum ius, & mentem Pontificis.* Ita ille. Qui pro se citat Vbaldum *tom. 1. lib. 4. cap. 3. n. 9.* & Sot *lib. 3. de Iust. q. 4. art. 4.* & alios.

Sed vt mihi certum respondeo: non posse, absque incurfione huius Censuræ, nisi casu, quo facultates laicorum non sufficiant ad consulendum prædictis necessitatibus communibus, & interueniat licentia Summi Pontificis; vel adminus Episcopi, si necessitas vrgeat, & non sit facilis aditus ad Pontificem. Ratio est. Tum, quia in hoc Canone simpliciter excommunicantur imponentes taleas, collectas, & alia onera Clericis, sine expressa licentia Sum. Pontificis. Tum etiam, quia hoc ipsum cautum est, in cap. *Clericis*, & in cap. *Aduersus*, & in cap. *Non minus, de Immunit. Eccles.* ergo, &c. Sic Sylu. *verb. Immunitas, n. 20.* Lessius *lib. 2. cap. 17. dub. 3. n. 25.* Suar. *lib. 4. contra Regem Angliæ cap. 6. n. 3.* Azor *p. 3. lib. 5. cap. 19. q. 10.* Alter. *hic disp. 19. cap. 1.* Duardus *hic q. 3. & 12.* Anton. de Sousa *hic etiam cap. 19. disp. 92. n. 7.* Garcias *de benef. tom. 1. p. 2. c. 4. n. 14.* Laymann *lib. 4. tract. 9. cap. 6. n. 6.* Barbosa in *consil. post flores director. inquisit. consil. 2.* Marta *de iurisd. p. 4. cent. 1. casu 1. n. 52.* vbi asserit, ita fuisse decretum, in casu occurrenti, à Clem. VIII. anno 1600. Molina, Megala, Molfes, Barthol. à S. Fausto, Bellerus, Homobon. Ioan. de Cruce. Portel, & Salon. Quos omnes citat & sequitur Diana *1. p. tr. 2. resol. 39. & tr. 3. resol. 22. & 133. & p. 5. tract. 1. ref. 11. & 15.* Quibus addi adhuc possunt Purpuratus *consil. 335. & 485.* Grassis, Decian, Berous, quos citat, & sequitur Bonacina *hic disputat. 1. q. 19. punct. 3. §. 3. num. 15. & 16.*

Nec obstat lex à contrariis adducta. Quia respondetur cum Lessio; eam, nec vim habere, cum sit contra immunitatem Ecclesiarum; & fuisse correctam à Iure Canonico, vt notat Glossa in cap. *Generaliter, vers. Nouarum, & vers. Collationib. 6. q. 1.* & tandem contrarium postea docuisse ipsos Imperatores in Iure nouo Ciuili, ex Authent. *Item nulla Communitas, C. de Episc. & Cleric.* vbi Ecclesiastici facti sunt immunes ab onere imposito, & imponendo.

### QVÆSTIO XVI.

*An Prælati Ecclesiastici imponentes onera Ecclesiasticis; huius Canonis Censuram incurrant?*

**N**Egant aliqui DD. casu tamen quo tales Prælati auctoritate Ecclesiastica, non laica, id faciant. Ita Filliuc. *tr. 16. cap. 11. q. 3. n. 300.* his verbis: *Dubium est, de Prælatis Ecclesiasticis eiusmodi onera imponentibus. Et respondendum est, si id faciant auctoritate laicali ob dominia temporalia, quæ simul hebeant, vtique tunc incurfuros.* Si verò auctoritate Ecclesia-

stica, etiã id facere prohibeantur multis capitibus 3. q. 10. & cap. *Cum Apostolus, cap. Prohibemus, de censib.* tamen non videntur incurrere, quia hîc tantum excommunicantur offendentes immunitatem Ecclesiasticam; non offenditur autem quando ab Ecclesiasticis auctoritate Ecclesiastica illa fierent, etiam si peccarent contra iustitiam onera indebita imponentes. Ita ille. Quem citat, & sequitur Palao *disp. 3. pun. 19. n. 5.*

Sed probabilius respondeo: incurrere, etiam si auctoritate Ecclesiastica, onera dicta Ecclesiasticis imponant. Quia Canon expressè, & absolute loquitur de Prælatis Ecclesiasticis, ibi: *Aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti.* Vbi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, l. 1. §. *generaliter, ff. de leg. præst.* Sic Duard. *Can. 18. n. 1.* Alter. *lib. 5. disput. 19. cap. 4. vers. Cuiusque sint,* & Bonac. *hic q. 19. punct. 2. n. 8.* Qui ad rationem Filliucij respondet, verum esse Summum Pontificem intendisse primariò immunitati Ecclesiasticæ contra laicos consulere; nihilominus eadem occasione voluisse etiam Ecclesiasticos, ipsorum bona tueri, ne ab vlllo, etiam Ecclesiastico, oneribus grauentur.

### QVÆSTIO XVII.

*An excommunicatio contra imponentes onera Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis etiam extra hanc Bullam, alibi expressa reperitur?*

**R**ESpondeo alibi expressam reperiri, præcipuè, in cap. *Non minus, cap. Aduersus, de Immunit. Eccles.* ex Concil. Lateran. sub Alexand. III. in cap. *Clericis, eod. tit. lib. 6.* edita à Bonifacio VIII. in cap. *Quamquam, de censib. in 6.* & in Concil. Trident. *sess. 23. cap. 10. de reformat.* De quibus Alter. *lib. 5. disput. 19. cap. 5. per totum.* Filliucius *hic tr. 16. c. 11. quæst. 5.* Bonac. *hic disp. 1. q. 19. punct. 4. per totum.* Palao *disput. 3. punct. 19. num. 2.*

Et hæc de hac excommunicatione, nam cetera, quæ occurri possunt, ex textu facile constare possunt.

### DISPUTATIO XIX.

*De decima nona Excommunicatione, lata contra Iudices sæculares, qui se, in causis criminalibus, interponunt contra personas Ecclesiasticas.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*Contra quos fertur excommunicatio huius Canonis?*

**R**ESpondeo quod contra quoscumque Magistratus, Iudices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores, Consiliarios, Senatores, Præsidentes, Cancellarios, & alios quouis nomine nûcupatos; Qui contra personas Ecclesiasticas in causis capitalibus, seu criminalibus, quomodolibet se interponunt, illas processando, banniendo, capiendo, aut proferendo sententias, contra illas, easvè exequendo, sine speciali, specifica, & expressa Sedis Apostolicæ licetia. Sic colligitur planè ex textu huius Canonis, qui sic se habet.

*Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque Magistratus, Iudices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus, contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias*

rentias contra illos proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa huius Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quique eiusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs perperam abutuntur; etiamsi talia committentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati. Sic Canon. Super quo, legantur præcipuè Suarez, Alterius, Filliucius, Bonacina, & alij citandi.

QVÆSTIO II.

*An Reges, seu Principes, contrahant Censuram huius Canonis, processando, aut faciendo aliam actionem in eo expressam, contra Ecclesiasticos?*

Respondeo dicendum: quod non. Quia non comprehenduntur sub personis in hoc Canone nominatis, & quia quando Pontifex Censuram ad Reges extendere vult, solet eos nomine saltem generali eos exprimere: ut patet in excommunicationibus præcedentibus. Sic Filliuc. tract. 16. c. 11. quas. 7. n. 308. ubi sic ait: *Dico secundò.* Nec Iudices Ecclesiasticos, aut Magistratus, nec Reges & laicos Principes mandantes fieri actiones prædictas, incurrere hanc excommunicationem. Primò de Iudicibus Ecclesiasticis colligitur euidenter; tum quia hi iure communi possunt processum facere, & bannire Ecclesiasticos: non est autem cõsendum Papam voluisse per simplicem impositionem derogare iuri cõmuni. Sic Filliuc. n. cit. & n. seq. sic: *Secundò* de Principibus mandantibus patet: quia non veniunt nomine personarum expressarum: sub Magistratibus enim, sub quibus solum videri posset fuisse cõprehensos, nõ Principes ipsi, sed Ministri, & officiales eorum tantum comprehenduntur. Quamuis tamen sub hac excommunicatione non contineantur, incurrunt tamen primò in excommunicatione. Canonis *si quis suadente*, secundò, si essent Episcopi, vel Cardinales incurrunt in 11. Bullæ huius tertio in 15. eiusdem contra trahentes personas Ecclesiasticas ad sua tribunalia. Hucusque ille. Bonac. hic disput. 1. q. 20. punct. 2. n. 7. Pal. disput. 3. punct. 20. num. 3.

QVÆSTIO III.

*An Iudices Ecclesiastici interponentes se contra personas Ecclesiasticas in causis criminalibus, dum in illis se interponere non possunt, extommunicationem huius Canonis incurrant?*

Respondeo non incurrere ob rationem nuper à Filliucio adductam: nisi aliàs dicti Ecclesiastici Iudices id faciant vtentes potestate laica, veluti si Episcopus se in causis criminalibus interponat contra Ecclesiasticos, quatenus Consiliarius est, vel Præses Principis laici; quia tunc incurreret, ut in simili diximus, supra disp. anteced. q. .... Sic Filliuc. loc. q. anteced. citato. Duard. hic Can. 19. q. 8. n. 5. vers. *Quartò.* Vgolinus hic §. 2. vers. *Quintò.* Bonac. loco cit. num. 8.

QVÆSTIO IV.

*An incidat in hanc Censuram Iudex secularis, qui in causa criminali facit informationem contra Clericum, non ut pœnam inferat, sed ut facti veritas cognoscatur?*

Negant apud Bonacinam, Graffius lib. 4. decis. c. 18. n. 134. & Reginald. lib. 9. cap. 26. n. 384. & alij, eo quod existiment, processare, idem esse ac inquirere contra aliquem in ordine ad pœnam de crimine su-

mèdam. His addi potest Viuald. hic casu 19. n. mibi 125. ubi ita ait: *Septimò nota.* Quod si in causa capitali, quia Clericus occidit aliquem, Iudex secularis faciat informationem contra illum, quia aliàs recederent illi, qui possunt esse testes occulti (*lege, oculati.*) Vel si sequestret eius bona, ut tradat Prælato, ne fugitiuus secum ferat, non videtur incurrere: quia hæc sunt velut medium necessarium ad finem licitæ comprehensionis. Ita Viualdus.

Sed probabilius longè respondeo: incidere. Quia verè in causa criminali, contra personam Ecclesiasticam processum facit. Nec enim est de ratione processus, ut fiat animo infligendi pœnam; sed solum ut inquisitio, aut informatio de crimine alterius iudicialiter fiat. Vnde nec excusabit ab hac Censura Iudicem animus, quem habuit non inferendi pœnam Ecclesiastico: nec quod dictam informationem fecit animo præsentandi eam Prælato, aut ut per illam facti veritas innotesceret; quia nihil ex his confert illi iurisdictionem ad informationem contra Ecclesiasticos iudicialiter faciendam; ut constat. Sic Bonac. disp. 1. q. 20. punct. 1. n. 7. & penes illum, Sousa hic cap. 20. num. 3. & disp. 95. n. 2. Quibus in hac parte, consentiunt Vgolin. hic c. 19. n. 2. Duard. Can. 19. q. 5. n. 1. & Filliuc. tract. 16. cap. 11. quas. 8. num. 312. & Palao punct. 20. num. 5.

QVÆSTIO V.

*An etiam incidat in hanc Censuram Iudex secularis, qui in cursu processus comperit delinquentem esse Ecclesiasticum, & nihilominus processum prosequitur?*

Respondeo etiam incidere. Quia tunc reuera Iudex propriè dicitur processum contra personam Ecclesiasticam facere. Nec huic quid obstat, quod processum contra Ecclesiasticum ab initio non instituit; nam sufficit quod contra illum prosequatur. Ex quo constat quid sit dicendum in casu, in quo Iudex secularis processum facit circa crimen ad quod laicus, & Ecclesiasticus operatus est: tunc enim Iudex, benè poterit dicta testium circa Ecclesiasticum recipere, quatenus opus fuerit ad processum perficiendum contra laicum, non verò contra Ecclesiasticum; quia causa Ecclesiastici non agitur per se, & propriè, coram laico Iudice, sed solum incidenter, obiter, & secundariò. Sic omnino Bonacina quas. 20. cit. punct. 1. num. 9.

QVÆSTIO VI.

*An Iudex laicus interponens se in causis criminalibus contra Clericum, consentientem contra se processum fieri; huic Censura subiiciatur?*

Negandum videtur. Quia quilibet potest cedere suo priuilegio, & fauori, l. *Quod fauore, C. deleg.* Et D. Paulus ad Cæsarem appellauit, Actor. 25. ergo.

Sed ut certum respondeo: subiici. Quia reuera facit actionem prohibitam in hoc Canone, absque licentiâ Summi Pontificis: ergo. Nec obstat ratio dubitandi. Negandum enim est, posse quem iuri suo cedere in his, quæ in honorem, & vtilitatem totius Ecclesiæ concessa sunt, ut est immunitas Ecclesiastica. Nec D. Paul. appellauit ad Cæsarem tanquam ad proprium Iudicem; sed ad præcauendum Festi tyrannidem, & iniustam vexationem. Sic Bonacina

disp. 1. q. 20. punct. 2. numero 9.

## QVÆSTIO VII.

*An dentur aliqui casus, in quibus laici possint, sine excommunicatione, aliquas actiones in hoc Canone prohibitas facere?*


**R**espondeo dari, & plures. Et primò non incurrit hanc Censuram Iudex, qui capit, & punit Clericum degradatum, & Curia seculari traditum: eò quòd per degradationem omnia priuilegia Ecclesiastica amisit, cap. *Degradatio, de pœnis in 6.*

*Secundò*, nec incurrit Iudex secularis qui capit, & processat Clericum, iam perpetuò diffidatum, & bannitum à Iudice Ecclesiastico.

*Nec tertio*, dum capit, & processat Clericum bigamum; aut coniugatum, qui habitum, & Tonsuram non defert. Et idem dicendum de Clerico prima Tonsura, aut minoribus ordinibus initiato, qui clericalem habitum, & Tonsuram non defert; quia hic etiam priuatur priuilegio fori à Trident. *sess. 23. cap. 6. de reformat.* de quo egimus *suprà*.

*Nec quarto* incurrit excommunicationem capiens Clericum in flagranti crimine deprehensum hoc animo, vt superiori Ecclesiastico consignetur, dummodo id faciat seruato moderamine, & dum aliter à crimine remoueri nequeat. Sic Vgolinus, Duardus, Alterius, Viualdus, Molina, Suarez, Filliucius, & alij, quos citat, & sequitur Bonac. *punct. 3. num. 7.*

*Nec quinto* incurrit, qui capit Clericum turpiter inuentum cum matre, filia, sorore, vel vxore propria, animo eum Iudici Ecclesiastico consignandi. Quia hic facit ad sui defensionem. Sic Viualdus *hic casu 20. num. 124.* Soufa, Nauar. Molina, Ægidius, & Auila, quos citat, & sequitur Bonac. *hic disp. 1. q. 20. punct. 3. n. 9.* Vbi notat quod tunc dicitur Clericus turpiter inuentus, non solum si inueniatur in actu copulæ carnalis; verum etiam si inueniatur in quolibet alio actu turpi, vt in osculis, amplexibus, vel tactibus impudicis, &c.



## DISPUTATIO XX.

*De Excommunicatione vigesima, lata contra occupantes bona, aut Terras Ecclesie Romanae, & eius iurisdictionem in illis usurpantes.*

## QVÆSTIO PRIMA.

*Contra quos fertur excommunicatio huius Canonis?*

**R**ESPONDEO quod fertur primò contra omnes, qui per se, vel per alios, directè, vel indirectè, Terras, loca, & iura sub ditione Sedis Apostolicæ, in toto vel parte, inuadere, destruere, occupare, vel detinere præsumperint.

*Secundò*, contra illos qui supremam iurisdictionem de facto in dictis Terris, usurpant, perturbant, retinent, vel vexant.

*Tertio* contra omnes qui adhærent, fauent, defendunt, auxiliùmve, consiliùm, vel fauorem quomodolibet præstant facientibus aliquam ex prædictis actionibus. Sic summat Filliucius, ex textu Canonis, qui sic se habet.

*Item excommunicamus, & anathematizamus omnes*

*illos, qui per se, seu alios, directè, vel indirectè, sub quocumque titulo, vel colore, inuadere, destruere, occupare, & detinere præsumperint in totum, vel in partem Almam Urbem, Regnum Sicilia, Insulas Sardinia, & Corsica, Terras citra Pharum, Patrimonium B. Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venusinum, Sabiensem, Marche Anconitana, Massa Trebaria, Ramandiola, Campania, & maritimas Prouincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras specialis commissionis Arnulforum, Ciuitatesque nostras Bononiam, Casenam, Ariminum, Beneuentum, Perusium, Auenionem, Ciuitatem Castelli, Tuderum, Ferrariam, Clomacum, & alias Ciuitates, Terras, & loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaque Romana Ecclesia mediatè, vel immediatè subiecta; Necnon supremam iurisdictionem in illis, Nobis, & eidem Romana Ecclesia competentem, de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præsumunt: Necnon adhaerentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxiliùm, consiliùm, vel fauorem quomodolibet præstantes. Sic Canon. Super quo sit*

## QVÆSTIO II.

*An, qui aufert à dominio Sedis Apostolicæ aliquam Ciuitatem, non hostiliter sed pacificè, & sine armis; hanc excommunicationem incurrat?*

**N**Egare videntur Suarez *hic disput. 21. sect. 2 n. 104.* Vgolin. *hic cap. 20. n. 3.* Soufa *cap. 21. n. 2.* Alterius *lib. 5. disp. 21. cap. 1.* Filliuc. *tract. 16. cap. 1. quas. 7. n. 72.* & alij, quatenus sentiunt, has dictiones, *inuadere, & destruere*, nil aliud significare, quàm hostilem incursum, inuasionem, & aggressionem: ergo qui, non hoc modo, ciuitatem, aut oppidum à Sedis Apostolicæ dominio, tollit, aut aufert, non incurrit hanc Censuram ex vi huius clausulæ.

Sed probabilius respondeo: *incurrere*. Quia probabilius existimo, verbum, *inuadere, & destruere*, in præsentiarum, idem esse, ac iniuste aggredi, etiam si hostiliter id non fiat. Quod confirmari potest, ex eo quod in Bullis Sixti V. & Gregor. XIII. post illa verba, *inuadere, & destruere*, addebatur, *aduerbium, hostiliter*: at sic est, quod posteriores Pontifices hoc aduerbium abstulerunt: ergo clarè videntur voluisse, illa verba generalius intelligi, nempe pro inuasionem, aut aggressionem quacumque, etiam si hostiliter non fiat. Sic Bonacina *hic disp. 1. q. 21. punct. 1. n. 3. & 4.* vbi benè infert excommunicationem hanc incurrit illum, qui oppidum Romanæ Ecclesie iniuste aggreditur, vel destruit, consentiente illius oppidi Governatore: quia licet consensus gubernatoris rationem hostilis incurfionis auferre videatur; non tamen aufert iniustitiam inuasionis, seu destructionis, & consequenter nec excommunicationem. Sic apud eum Alter. *hic disput. 21. c. 1. col. 1. vers. Inuadere, & Duard. hic Can. 20. q. 4.* Sed ex iis Alter. oppositum innuit *loc. cit. vers. His quatuor modis.*

## QVÆSTIO III.

*An factio inuadens aliquam Ciuitatem Papa, non intentione illam à potestate eius auferendi; sed animo opprimendi suos aduersarios ibi existentes, excommunicationem contrahat?*

**R**espondeo contrahere. Tum, quia Pontifex, sine restrictione loquitur. Tum etiam quia huiusmodi inuasio semper fit cum aliqua destructione. Sic Caiet. *verb. Excommunicatio cap. 17.* his verbis: *Aduerte hic, quod cum in Terris Ecclesie contingit quod pars existens extra, armata manu volens intrare, inuadit Ciuitatem, non vt subtrahat eam Ecclesie, sed*

vt ipsa pars ibi regnet, eo modo, quo partes istæ regnare consueuerunt, Canonem istum incurrit: quia terram Ecclesiæ in parte saltem, hostiliter inuadit, sub colore manendi in domo sua. Imo (vt à communiter accidentibus patet) huiusmodi inuasio tendit ad subtrahendum Ecclesiæ Romanæ terram quoad liberum regimen; Romana siquidem Ecclesia in terris vbi factio regnat, titolare dominium potius habet, quàm cum effectu. Sic optimè Caiet. Et ex illo Nauarr. cap. 27. num. 72. Suarez disp. 21. sect. 2. n. 105. Alterius lib. 5. disp. 21. cap. 1. col. 2. vers. *Dubitari potest.* Filliuc. tract. 16. cap. 3. quest. 7. numero 63. Reginald. libro 6. numero 388. Sayrus libro 3. capite 24. Duard. Can. 20. q. 5. Bonac. hic, disp. 1. q. 21. punct. 1. n. 9. & 10.

## QVÆSTIO IV.

*An Banniti, aut alij facinorosi homines, qui non animo terras Pontificis occupandi, sed furandi solum, illas deprædantur, hac excommunicatione ligentur?*

**A**ffirmant Duard. & Sayrus loc. cit. atque Alterius etiam, ibi: Imò in eandem excommunicationem puto incidere facinorosos homines, nempe, Bannitos in magno numero discurrentes, quando prædictas terras deprædantur, & occidunt in eis commorantes. Ita Alterius.

Sed probabilius respondeo: Non ligari, nisi casu quo ingrediendo dictas Pontificis terras ad furta, & latrocinia committenda, inuadant, propriè loquendo, occupent, detineant, aut in totum, vel in partem destruant illas; quia tunc, non aliter, excommunicatione ligantur: quia tunc solum actionem sub excommunicatione veritam in hoc Canone agunt. Sic Vgolinus & Filliucius, quos citat, ac sequitur Bonacina puncto 1. cit. num. 11.

## QVÆSTIO V.

*An vsurpans iurisdictionem supremam, tam spiritualem, quàm temporalem, Rom. Eccl. huius Bullæ Censuram incurrat?*

**R**espondeo: Incurrere. Quia expressè Pontifex in hoc Canone excommunicat omnes, qui supremam iurisdictionem temporalem illi, & Romanæ Ecclesiæ competentem, vsurpant, perturbant, retinent, vel vexant, vt ex habitis q. 10. constat. Et in Canone 2. & aliis præcedentibus excommunicat omnes qui spiritualem eiusdem iurisdictionem vsurpant: ergo qui iurisdictionem siue temporalem, siue spiritualem Romanæ Ecclesiæ vsurpat, hoc est, tanquam sibi debitam, vel ad se pertinentem accipit, vel tenet in excommunicationem Bullæ incidit. Sic communis Doctorum in hoc Canone.

## QVÆSTIO VI.

*An impediens executionem sententiæ latæ à Summo Pontifice, in causa punitiōnis corporalis, aut confiscationis bonorum; Censuram huius Canonis incurrant?*

**R**espondeo tanquam certum: Incurrere. Quia re vera impedit, ac perturbat supremam iurisdictionem Pontifici competentem, vt constat; siue nomine *supreme iurisdictionis*, quo vtitur Canon, intelligatur merum imperium, seu potestas gladij, quam Pontifex, & Ecclesia, habent ad puniendos in suis terris facinorosos, vt volunt Alterius, Vgol. & Duardus apud Bonac. siue intelligatur, vt hic cum Iafone, Bartolo, & R. P. Leand. de Censuris.

aliis vult, iurisdictione, quæ competit Summo Pontifici, seu Ecclesiæ, vt Princeps est, circa res magni præiudicij, vt sunt causæ Status, causæ sanguinis, confiscationis bonorum, & similia: hæc enim in statu Ecclesiastico ad supremam Romanæ Ecclesiæ auctoritatem pertinent. Sic Bonac. disp. 1. q. 21. punct. 1. n. 16. & 17. & 18. vbi addit idem esse dicendum, de illis qui aliquam Romanæ Ecclesiæ Prouinciam, seu Ciuitatem intrant (etiã si id faciant sine armis, sed solum fraude & dolo) asserentes se esse Commissarios, vel Legatos Summi Pontificis, quia re vera supremam illius iurisdictionem vsurpant, Cui addito consentiunt Sayrus, & Duardus apud ipsum. Legatur.

## QVÆSTIO VII.

*An vsurpans, vel perturbans supremam iurisdictionem Ecclesiæ Romanæ, Sede vacante; huic Censuræ subiaceat?*

**R**espondeo tanquam certum: Subiacere. Quia facit contra illa verba Canonis: *Nobis, & eid. Romanæ Ecclesiæ, &c.* ergo. Sic Bonacina disputatione 1. quest. 21. puncto 1. num. 21.

## QVÆSTIO VIII.

*An etiam huic Censuræ subiaceat Rex Hispaniarum, exercens supremam iurisdictionem in Sicilia & Sardinia?*

**A**ffirmandum videtur, eo quod verè exerceat, & obtineat supremam iurisdictionem in locis, & terris in hoc Canone expressis, vt constat: ergo.

Sed tamen, vt certum respondeo: Non subiacere. Quia hanc iurisdictionem exercet noster Rex potentissimus ex priuilegio & concessione legitima Summi Pontificis, & ideo non vsurpat illam de facto, quod solum prohibet Canon; sed tenet eam de iure, quod non vetat. Sic Alterius lib. 5. disp. 21. c. 1. col. 6. & c. 2. col. 3. & sequ. Vgol. hic, §. 1. Reginald. lib. 9. n. 387. Filiuc. tr. 16. c. 3. q. 9. n. 68. & Bonac. hic, punct. 1. cit. n. 23. & 24. Qui idem dicunt, loquendo de Republica Genuensi, quæ eandem iurisdictionem in Corsica exercent, quia id habet ex concessione legitima Summo Pontifici, de quo optimè agit Alterius c. 2. cit. & Bonac. loc. cit. puncto 2. n. 2.

## QVÆSTIO IX.

*An inuadens, vel destruens bona priuatorum in terris Romanæ Ecclesiæ existentia, Censuram huius Canonis incurrat?*

**R**espondeo tanquam certum: Non incurrare. Quia bona priuatorum non dicuntur ad Romanam Ecclesiam pertinere: ergo prædicta inuadentes, & destruentes, non comprehenduntur in hoc Canone, in quo solum excommunicantur inuadentes, vel destruentes, &c. loca, vel iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia. Sic Alterius, Vgol. Duard. & Filliuc. loc. cit. quos sequitur Bonac. disp. 1. q. 21. punct. 3. n. 4.

## QVÆSTIO X.

*An qui Sede vacante, vel Summo Pontifice agrotante, expoliant Palatium sacrum, excommunicatione huius Bullæ ligentur?*

**A**ffirmant Nauarrus in Man. c. 27. n. 72. eo quod in Bulla Gregorij XIII. quam ipse exponit, hæc excommunicatio continetur, iis verbis: *Item (excommunicamus) omnes, & singulos, supellectilium, librorum,*



brorum, scripturarum, & bonorum Camera & Palatii Apostolici, ex eodem Palatio, infirmitatis Romani Pontificis, ac Sedis Apostolica vacationis tempore, Ablatores, & illorum Detentores, ac quoscumque alios, ad quorum manus, bona predicta, quocumque titulo, & quavis causa, scienter peruenerint: ergo; &c.

Sed, iam ut certum, respondeo: Non ligari. Quia dicta Censura, quæ huius Bullæ Cœnæ, erat viginti-


maprima, iam fuit sublata à Sixto V. & Clem. VIII. & ideo nunc solum illæ viginti, quæ à nobis expositæ sunt, per se, & directè solum continentur in hac Cœnæ Bulla. Sic notant Viualdus *hic, casu 20. n. 27.* addens, quod nec tempore Gregorij dictam excommunicationem incurreret ille, qui auferret Reliquias sacras, omni auro, vel argento carentes; secus si aliàs. Suarez *disp. 21. sect. 2. in fine, n. 206.*



## TRACTATUS QVARTVS DE SVSPENSIONE, SECVNDV CENSURA ECCLESIAE.



**R**ACTANT de hac materia Theologi cum S. Thoma *in 4. dist. 18. q. 2. & 3. p. in addit. q. 22.* D. Anton. *3. p. Sum. tit. 18.* Sotus *dist. 22. q. 3. articulo 1.* Nauarr. *in Man. cap. 27. à numero 151.* Couarruu. *in Clement. Si furiosus. 1. parte per totam.* Henriquez *libro 13. Summ. à cap. 31. vsque ad 40.* Vgolin. *tab. 4. cap. 10.* Sayrus *lib. 4. à capite 1.* Suarez *tomo 5. de Censur. à disp. 25.* Valentia *tomo 4. disp. 7. q. 18. puncto 1.* Auila *de Censur. parte 3. per totam.* Filliuc. *tract. 17. per totum.* Ægidius *disp. 15. à dub. 1.* Alterius *tomo 2. de Censuris, à disp. 1.* Palao *tomo 6. de Censuris, disput. 4. per totam.* Viuald. *in 2. parte Candelab. sub hoc titulo.* Bonacina *tomo 1. ubi de Censuris disput. 3. per totam.* Angel. Armilla, Syluester, Tabiena, Caietanus, & alij Summistæ *verb. Suspendio.*



### DISPV TATIO PRIMA.

#### De Diuisione, & natura Suspensionis.

##### QVÆSTIO PRIMA.

##### Quot modis accipitur Suspendio?

**R**ESPONDEO: Quod præcipuè, tribus. *Primò*, latissimè, pro prohibitione officij cuiuscumque, etiam sæcularis. *Secundò*, minus latè pro priuatione vsus alicuius officij Ecclesiastici, ob ignorantiam, vel morbum: quo pacto Clericus potest fieri suspensus sine culpa, quamuis non sine causa. *Tertiò*, accipitur propriè, & strictè pro Censura Ecclesiastica, pro qua ita quis prohibetur exercere actus Ordinis, vt si contra faciat, irregularitatem incurrat: & hoc modo accipitur à Doctorebus, & à nobis in hoc Tractatu. Sic Filliuc. *tr. 17. cit. cap. 1. quæst. 1. n. 2.* Alterius *tomo 2. disp. 1. cap. 1.* De quo etiam Caiet. Nauarr. Viuald. & Auila, quamuis non ita latè, agunt. Palao *de Cens. disp. 4. puncto 1.*

##### QVÆSTIO II.

##### Quid est Suspendio propriè, & in rigore accepta?

**R**ESPONDEO: Quod est Censura Ecclesiastica, qua Clericus ob suam culpam priuatur à iure, vel à Iudice, vsu sui officij, aut beneficij, in totum, vel in partem, in perpetuum, vel ad tempus. Sic colligitur *ex c. 1. §. finali de sent. excomm. libro 6.* & ex Caiet. Nauarro, Viualdo, Filliucio, Auila, & Bonacina, & aliis locis citatis.

##### QVÆSTIO III.

##### Quotuplex sit Suspendio hæc propriè dicta?

**R**ESPONDEO: Quod multiplex. Nam *Primò*, alia est Suspendio ab officio tantum, siue officium sit Ordinis, siue iurisdictionis. Alia est à beneficio tantum, siue beneficium sit Canonicatus, siue Dignitas, siue Episcopatus, siue aliud. Alia est ab officio, & beneficio simul.

*Secundò*, diuiditur Suspendio in totalem & partialem. Suspendio totalis est illa, quæ suspendit in totum ab officio, vel beneficio, hoc est ab omni actu ordinis & iurisdictionis; necnon ab administratione beneficij, & fructuum eius perceptione. Partialis autem est illa, quæ solum suspendit ex parte, v. g. ab officio ordinis, sed non iurisdictionis, aut etiam à parte officij ordinis, vel iurisdictionis, vt contingit quando quis suspenditur à celebrando, sed non ab audiendis Confessionibus, vel è contra.

*Tertiò*, diuiditur Suspendio in perpetuam, & temporalem. Illa est, quæ simpliciter fertur absque limitatione temporis: hæc verò cum limitatione termini, vel temporis.

*Quartò*, diuiditur in suspensionem pœnalem, & medicinalem. Pœnalis dicitur illa, quæ fertur in vindictam ob culpam factam, v. g. quando quis suspenditur ob delictum omnino præteritum; & hæc Suspendio non est propriè Censura, sed pœna. Medicinalis est illa, qua intenditur emendatio, & bonum delinquentis, ferturque ob contumaciam: & hæc est propriè Censura.

*Quintò*, diuiditur in suspensionem à iure & ab homine, de quibus constat de Censuris in communi, in maiorem & minorem, hoc est, in eam quæ ab omnibus suspendit, vt ab officio & beneficio; & in eam quæ solum ab aliquo effectu suspendit. De quibus, & aliis minus vsitatis diuisionibus, legi possunt Nauarr. *capite*

capite 27. numero 154. Suarez *disputatione 25. sectione 1.* Auila 3. parte, *disputatione 2. dubio 3.* Viualdus *de suspens. numero 7.* Filliucius *tractatu 17. capite 2. numero 6. & 7.* Bonacina *disputatione 3. puncto 1. numero 1.* Bauny *de Censuris, tractatu 8. quæst. 4.* Regin. *libro 2. tract. 3. num. 6.* Palao *de Censuris, disputatione 4. puncto 1. numero 3. & alij.*

& *tr. 2. disp. 21. q. 4.* vbi diximus, gesta ab excommunicato tanquam à publica persona esse valida, si est toleratus: inualida verò si sit non toleratus, seu nominatim denunciatus. Sic Henriq. *lib. 13. c. 7. n. 6.* Auila *de Cens. 2. p. c. 6. disp. 6. dub. 3. & parte 3. de susp. disput. 4. concl. 3.* Bauny *tract. 8. q. 2. assert. 4.*


QVÆSTIO IV.

An Suspendio essentialiter differat à cæteris Censuris & pænis?

**R**espondeo tanquam certum: Essentialiter differre. Quia essentialiter diuersam habet ab his definitionem, vt constat. Et quidem quod diferat ab aliis duabus Censuris, nempe excommunicatione & interdictione, constat ex habitis *supra tractatu 1. disp. 1. à quæst. 4.*

Quod vero differat à pænis aliis, etiam constat. Nam in primis differt suspensio ab irregularitate, in eo quod irregularitas priuat susceptione Ordinis, vt Ordo est: Suspendio verò solum priuat exercitio Ordinis, vel beneficij, vt est quædam functio.

Differt etiam à degradatione & depositione, quia hæ priuant vniuersaliter ab officio & beneficio Ecclesiastico, sine spe restitutionis, cum quadam certa solemnitate, itaut solus Papa possit restituere degradatum, vel depositum; quod non accidit in suspensione. Sic communiter Doctores. Legantur Henriquez *libro 14. de irregularit. capite 6.* Auila *loco citato, dubio 2.* Bonacina *numero 5.* Suarez, Filliucius, & alij Doctores supra adducti.



DISPUTATIO II.

De causa efficienti, materiali, & formali Suspensionis?

QVÆSTIO PRIMA.

An omnis, qui excommunicare potest, possit etiam suspendere?

**R**espondeo tanquam certum: Possit. Quia qui potest maius, potest etiam minus in eodem genere; at maius est excommunicare quàm suspendere, vt habitum est *sup. tract. 1. disp. 1. quæst. 10.* ergo. Ex quo clarè constat, quod omnis ille qui potestate ordinaria potest excommunicare, potest etiam suspendere: & qui potest excommunicare ex commissione, potest etiam ex commissione suspendere. Qui autem possint excommunicare tam ex potestate ordinaria, quàm ex commissione, diximus *supra tractatu 1. disputatione 2. per totam.* Sic communis. Legantur Auila *hic, 3. p. disputatione 4. dubio 1. concl. 1.* Bauny *de Censur. q. 2. assert. 1.* Henr. *lib. 13. c. 35. & alij.*

QVÆSTIO II.

An suspensio à iurisdictione, possit alium suspendere?

**R**espondeo: Possit validè (non ramen sine peccato) suspendere, si non est nominatim suspensus & denunciatus: secus verò si talis sit; nam tunc non potest validè suspendere. Hæc responsio est communis, & constat ex dictis *tr. 1. disp. 2. q. 37. & 38.*  
R. P. Leand. de Censuris.

QVÆSTIO III.

An è contrà omnes, qui excommunicari possunt, possint etiam suspendi?

**R**espondeo tanquam certum: Quod non. Constat. Nam omnes Christiani possunt excommunicari; suspendi verò minimè, nisi solum personæ Ecclesiasticæ habentes aliquem Ordinem, vel iurisdictionem Ecclesiasticam, vt patet ex definitione suspensionis tradita *supra disp. 1. q. 2.* Sic omnes. Legantur Nauarr. *c. 27. n. 159.* Henriq. *lib. 13. c. 34. num. 2. & penes ipsum, lit. R. D. Thom. Ricard. Syluester, & alij.* Auila *parte 3. disp. 4. dub. 2.* Bauny *tract. 3. assert. 1.* Suarez *disputatione 28. sect. 2.* Palao *disputatione 4. puncto 2. numero 4. & alij.*

QVÆSTIO IV.

An omnes personæ Ecclesiasticæ possint suspendi?

**R**espondeo: Negatiuè. Nam Papa suspendi non potest, sicuti nec excommunicari: quia nec suspendi, nec excommunicari potest, nisi subditus, vt constat *ex dictis tract. 1. disput. 3. q. 4. & 17.* Sicuti ex ibidem dictis constat, quod nec defunctus suspendi valet. Sic Henriquez *libro 13. cap. 34. num. 2.* Auila *loco citato, & omnes communiter.* Legatur Palao *disputatione 4. puncto 2. in fine.*

QVÆSTIO V.

An Communitas aliqua possit suspendi?

**N**egatiuam sententiam clarè tenere Syluestrum *verb. Interdictum, n. 5.* docet Auila mox citandus. Et obiter illam docet Luyfius *libro 6. de Censuris, disputatione 51. dub. 2. vers. Secundum est.*

Sed, vt quid certum respondeo: Possit suspendi. Quia licet *caput, Quia sæpe. de elect. in 6. & caput, Si sententia. de sententia excommunicationis in 6.* solum explicent interdictum posse ferri in communitatem; tamen eadem ratio militat in suspensione. Præterquam quod *in cap. Romana. de sent. excommun.* sola excommunicatio interdicitur ferri in communitatem: ergo. Sic Nauarr. *capite 27. num. 165. & libro 5. consil. De temporib. Ordinat. consil. 40.* Henriq. *lib. 13. cap. 34. num. 1. & libro 14. capite 25. numero 4. & penes illum, D. Thom. Caiet. necnon & Syluest. verb. Suspendio. §. 4.* Auila *3. p. disputatione 3. dubio 2. vers. Ex dictis.* Bauny *tractatu 8. quæst. 3.* Palao *disputatione 4. puncto 2. numero 7. & communis.*

QVÆSTIO VI.

An Suspendio propriè dicta, possit imponi absque culpa?

**R**espondeo tanquam certum: Non posse imponi, absque propria, vel aliena culpa. Ratio est. Quia hæc Suspendio, cum sit Censura Ecclesiastica, est pœna: at hæc non est inferenda nisi ob culpam, iuxta illud, *Res, quæ culpa caret, in damnum vocanda non est. cap. 2. de Constit.* ergo. Sic tenent omnes, præcipuè  
Gg 2 Caiet.

Caiet. & Armilla *verb. Suspendio*. Nauarr. *cap. 27. numero 151. & 159.* Sot. *dist. 22. q. 1. art. 3. col. 2.* Medina *in sum. lib. 1. cap. 11. §. 8.* quos affert, & sequitur Henriquez libro 13, *capite 23. numero 1.* Auila *parte 3. disputatione 3. dub. 2. concl. 1.* Bauny *tr. 8. q. 3. assert. 1. & alij.* Et constat ex dictis *tract. 1. disp. 8. q. 1.*

### QVÆSTIO VII.

*An Suspendio huiusmodi, quæ est Censura, imponi possit, pro culpa aliena?*

**A**ffirmant aliqui Magistri, apud Auilam mox citandum. Negant verò contrà, apud eundem, Nauarr. *cap. 27. n. 159. & 165. & consil. 40. lib. 5. consil. tit. de temporib. Ordination.* Caiet. *verb. Suspendio*, & Sotus *dist. 22. q. 3. art. 1. col. 3.* Quibus addi possunt Suarez *disp. 28. sect. 4. n. 2. & 3.* Sayrus *lib. 4. cap. 1. n. 2. 2.* Palao *disp. 4. puncto 3. num. 2.* & penes illum, Auila *3. p. disp. 3. dub. 2. concl. 2.* Sanchez *lib. 9. disp. 32. n. 9.* Egidius *disputatione 15. dubio 3.* Hurtadus *de suspens. disp. 9.*

Sed clariùs, distinctione vtendo, sic respondeo: Suspendio, quæ imponitur alicui Clerico in particulari, non potest imponi absque culpa propria: at verò quæ imponitur communitati imponi potest pro culpa aliena. Sic Henriquez *lib. 13. cap. 34. n. 1.* vbi sic ait, quæ vera est Censura priuatæ personæ, cum sit vera pœna non incurritur, absque propria culpa: sicut nec interdictum personale vnius hominis; cum tamen generale interdictum populi personale, extendatur etiam ad infontes, qui sunt pars populi; vt dum imponitur pro culpa aliena Domini habentis iurisdictionem temporalem. Sic ille, Auila etiam *3. p. disp. 3. dub. 2. concl. 1.* Bauny *hic, tract. 8. q. 3. assert. 1.* D. Thom. *in 4. dist. 18. q. 2. art. 3. questiunc. 2. ad 2.* & Syluest. *verb. Suspendio. n. 4.* Quos sequitur Cornejo *in 3. p. tract. 5. de suspens. disp. 3. dub. 2.* Cuius ratio est: quod cum suspendio non priuet bonis spiritualibus ad propriam animam suspendi pertinentibus, sicut excommunicatio; sed priuet functionibus per se pertinentibus ad bonum commune, hinc est quod contingere possit dari causam propter quam sine propria culpa expediat aliquem huiusmodi functionibus priuate. Sic ille. Legantur dicta à nobis *tractatu 1. de Censuris in communi, disp. 8. q. 1.* iuxta quæ intelligendi sunt Authores primæ sententiæ.

### QVÆSTIO VIII.

*An quando suspenditur Communitas, v. g. Capitulum Canonicorum, & aliqui de Capitulo sunt innocentes, hi tali suspensione comprehendantur?*

**N**egant absolutè Egidius *disp. 15. dub. 3. concl. 3. n. 26.* quem citat (licet non locum, vbi id doceat) *de suspens. q. 3. assert. 3.* & probat auctoritate Canonis, *Quia sapè, de elect. in 6.* vbi tacitè innuitur, Innocentes, ac à furto in Prælati defuncti bonis admissis, liberos, pœna suspensionis latæ contra communitatem Canonicorum, in quos hæc culpa conferebatur, minimè comprehendendi.

Sed distinctiùs respondeo sic. Quando suspendio imponitur communitati propter culpam membrorum eius, verbi gratia, Capitularium; tunc qui est innocens à culpa, excusatur à suspensione, & idèd extra scandalum, non tenebitur abstinere ab eo opere à quo suspensa est communitas, seu Capitulum. Secus verò quando suspendio ponitur ob culpam regentis Capitulum, verbi gratia, Episcopi, vel Decani. Quia tunc non excusantur, sicut interdicto populo prop-

ter delictum Gubernatoris, non excusantur infontes. Sic Auila *parte 3. disp. 3. dub. 2. concl. 3. & dub. 4. conclus. 2.* Nauarr. *consil. 40. cit.*

### QVÆSTIO IX.

*An Suspendio imponi aliquando possit, pro peccato veniali?*

**A**ffirmant absolutè loquendo Caiet. *verb. Suspendio. capite vnico.* Armilla *cod. verb. n. 1.* Nauarr. *cap. 27. n. 151. & 159.* Medina *in sum. lib. 1. c. 11. §. 8.* & Henr. *lib. 13. cap. 34. n. 1.* Quos omnes sic relatos sequitur Auila *3. parte disp. 3. concl. 1.* Cuius ratio est: quod excommunicatio minor priuat maiori bono, scilicet, receptione Sacramentorum, & tamen imponitur pro veniali: ergo etiam potest suspendio pro veniali, saltem quando imponitur pro culpa propria.

Sed probabilius cum distinctione, respondeo: Suspendionem maiorem, hoc est, ab officio & beneficio, vel ab altero horum totaliter, non posse imponi pro peccato nisi mortali: benè tamen suspensionem minorem hoc est, suspensionem, quæ solùm ab vno effectu suspendit: verbi gratia, ab actu vno eligendi, à distributionibus vnius horæ, vel vnius diei, &c. nam hæc ob solam venialem culpam imponi potest.

Prima pars huius responsionis, probatur clarè. Quia suspendio totalis, seu maior, est pœna grauissima & acerbissima; nam quid acerbius, duriùsue contingere alicui potest, quàm litare non posse? nec in Ecclesia munera diuina colere, beneficia obtinere, obtenta regere in suum, ac aliorum commodum, eorum bona dispensare: &c. ergo hæc suspendio non est vlli irroganda, nisi ob grauem & mortalem culpam; cum non conueniat tantum pœnarum ab vlllo pro re quapiam leui dependi.

Secunda pars etiam constat. Quia dicta suspendio est leuis, & secundum quid; ergo sufficit ad talem infligendam pœnam, vt culpa etiam leuis, seu venialis, in reo, qui punitur, supponatur. Sic Sotus *in 4. distinctione 22. q. 2. art. 1. concl. 2.* Cornejo *in 3. p. tractatu 5. de Censuris, questione 3. disputatione 3. dubio 2.* Bauny *tractatu 8. questione 3. assertione 4. & 5.* vbi pro hac parte citat Nauarrum *capite 27. numero 151. & 159.* (vbi pro opposita sua sententia citat Auila) & Suarium *disputatione 28. sectione 4.* Sed ex iis, malè Nauarrum: nam hic auctor oppositum loco citato docet, sequendo expressè Caietanum. Vnde benè illum pro se Auila citauit. His etiam addi possunt Vasquez *1. 2. disputatione 153. capite 5.* Egidius *hic, disputatione 15. dubio 3. concl. 2. numero 24.* Hurtadus *tractatu de suspens. disp. 7.* Alterius *tomo 2. disputatione 7. de suspens. capite 1. col. 7. vers. Ad hanc difficultatem.* Sanchez *libro 9. de Matrim. disputatione 32. numero 29.* Cuius verba vide *tract. de interd. disput. 2. questione 13.* Palao *de Censuris, disputatione 4. puncto 3. numero 4.* Laymann *libro 1. tract. 5. parte 3. cap. 3. & communis.*

Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondeo primò, negando maiorem. Nam præter remotionem à sacris Officiis, de quo numero est sacrosancti Missæ Sacrificij celebratio, includit alia suspendio maior, videlicet, priuationem vsus sacrorum Ordinum, administrationis officij, & beneficij, quæ pœnæ, cum sint publicæ, omnibusque notæ, magis & acrius pungunt Clericos, ac vulnerant, quàm passiuæ Sacramentorum administratio laicos, quos sapè pauci teneri hac pœna sciunt, ignorant autem pluriimi. Sic omnino Bauny.

Secundò, Respondeo: Quod dato, quod Suspendio ex genere suo priuet minoribus bonis, quàm excommunicatio minor; tamen illa, vt est in vsu Ecclesiæ acerbior pœna est, quàm minor excommunicatio; tum

tum quia difficilius tollitur; tum quia aliquam infamiam secum affert, &c. Legantur Cornejo & Hurt.

QVÆSTIO X.

An forma, sub qua sententia Suspensionis fertur, habeat verba determinata?

Respondeo tanquam certum: Non habere. Ideoque sub quacunque verborum forma dicatur in aliquam sententia suspensionis, dummodo intentionem suspendentis exprimant, pro rata & valida est habenda. Sic colligitur ex dictis tract. 1. de Cens. in communi, disputatione 4. questione 4. ubi plures pro hac veritate citavi auctores. Quibus adhuc addi possunt in specie de hac Censura tractantes Henriquez lib. 13. cap. 34. numero 3. Nauarr. cap. 27. n. 161. Luylius de Censuris, libro 4. disp. 42. dubio 2. Palao disputatione 4. puncto 4. numero 1.

QVÆSTIO XI.

An Suspendio debeat ferri in scriptis, post monitionem, &c.?

Respondeo: Debere ferri, non solis verbis; sed per scripturam; ut constat ex dictis tract. 1. disputatione 4. quest. 2. & latissime disp. 6. a quest. 1. usque ad 26. Debet etiam necessarium ante suspensionis sententiam, aliquam admonitionem præmittere, ut habitum est eod. tract. 1. disp. 5. per totam. sicut & post latam, publicationem eiusdem, ut patet ex habitis eod. tract. 1. disp. 7. per totam. Legantur Alterius hic, disp. 7. cap. 2. Auila 3. p. disp. 3. Palao puncto 4. citato, & alij sup. & hæc de hac disputat. nam reliqua quæ causam formalem spectant, soluta inuenies *tr. 1. loc. cit.*



DISPUTATIO III.

De Effectibus Suspensionis, tam in genere, quam in specie.

QVÆSTIO PRIMA.

An Suspendus ab vno effectu, seu actu; censeatur etiam suspendus ab alijs actibus, seu effectibus?

Respondeo: Non censer. Quia effectus suspensionis non sunt inter se connexi necessario, sicut sunt effectus excommunicationis: ergo suspendus ab vno, non censeatur suspendus ab alio, nisi forte sit connexus cum primo. Sic Henricus lib. 13. c. 32. n. 1. per hæc verba: Hæc pœna est strictè accipienda, ut suspendus ab vno actu, non sit suspendus ab alijs, nisi sint connexi cum primo. In quo differt ab excommunicatione, cuius omnes effectus sunt iure communi connexi, nec possunt nisi à Papa separari, *sup. c. 29. §. 2.* quare attendenda sunt verba iuris, aut Iudicis, ut suspensio restringatur ex proprietate verborum ad effectum expressum. Sic Henriq. Quem citat, & explicat Auila 3. p. disp. 2. in princ. Sic: Supponendum est, in hoc differre suspensionem ab excommunicatione, quod hæc habet suos effectus certos, & determinatos in iure, qui statim consequuntur ipsam excommunicationem, itaut non sit in potestate Episcopi excommunicantis separare hos, vel illos effectus ab excommunicatione, quam imponit, v. g. non potest dicere;

R. P. Leand. de Censuris.

Excommunico Petrum excommunicatione maiori, itaut solum priuatur communibus suffragiis Ecclesie. At verò suspensio nullum habet effectum natura sua determinatum, & necessario illi annexum in iure; quare in potestate suspendentis est priuare ab vna actione, & non ab alia: v. g. à celebratione tantum. Dixi, Episcopi; nam Papa posset separare vnum effectum ab alio. Ita P. Henr. num. 1. Huc vsque Auila, & Cornejo q. 3. cit. disp. 2. de suspens. in princip.

QVÆSTIO II.

An Suspendio absolute, & sine restrictione prolata, suspendat absolute ab omnibus, hoc est, ab officio & beneficio?

Affirmant Auila hic, concl. 2. & penes ipsum Sylu. & Henr. Bonac disp. 3. de suspens. punct. 2. num. 1. & apud illum Toletus, Filliuc. Ægid. & alij, quos reuulimus tract. 1. disp. 4. q. 7.

Sed iuxta dicta ibi, respondeo probabilius: à nullo effectu suspendere. Quia probabilius est, suspensionem in genere latam, sine limitatione expressa, vel tacita, esse inualidam & sic nullum sortiri effectum. Sic Auctores loco citati adducti. & Luylius lib. 4. disp. 38. dub. 2. secutus Suarium hic, disp. 25. sect. 2. n. 8. & 9.

QVÆSTIO III.

An Suspendio ab officio, simpliciter, & absolute lata, priuet omni vsu, tam Ordinis, quam iurisdictionis?

Negat Glossa in cap. Audiuiimus 24. q. 1. existimans, tantum priuare vsu Ordinis. Ait enim ita, verb. Qui excommunicatus. Dico referre, an sit suspendus ab officio, vel iurisdictione. Nam si ab officio tantum, ea non poterit quæ officij sui sunt exercere, puta, celebrare, & similia: sed ea poterit quæ iurisdictionis sunt, ut dare præbendam, & excommunicare, quia hoc iurisdictionis est. Ita Glossa.

Sed, ut certum, respondeo: Suspensionem ab officio, sine limitatione latam, priuare non solum vsu Ordinis, sed & iurisdictionis spiritualis, quantum persona suspenda capax est. Ratio est. Quia uterque vsus, tam Ordinis, quam iurisdictionis, est vsus officij Clericalis: ergo suspensio absolute prolata, omnino priuat Clericum, tam ab officio Ordinis, hoc est vsu Ordinis, quam iurisdictionis; & ideo suspendus hoc modo, non poterit celebrare, aut Sacramenta alijs administrare, &c. nec excommunicare, aut beneficia conferre, &c. Sic Felix. de suspens. c. 11. vers. Suspendus ab officio. ubi ait, in hanc sententiam ire Doctores omnes: Felin. Syluest. Tabiena, Hostiens. Abbas, & alij, quos citat, & sequitur Auila 3. parte disp. 1. concl. 5. Henricus lib. 13. c. 32. n. 1. Vgol. tab. 4. c. 6. §. 1. Suarez tomo 5. de Censuris, disp. 26. sect. 1. S. Thom. in addit. ad 3. p. q. 21. art. 3. & Valquez in manuscripto, quos sequitur Luylius lib. 4. de Cens. disp. 39. dub. 1. Filliuc. tr. 17. c. 2. q. 1. Bonac. disp. 3. puncto 2. n. 9. Bauny tr. 8. q. 7. assert. 2. Hurtad. de suspens. diff. 4. Cornejo de suspens. disp. 2. dub. 1. Alterius tomo 2. disp. 4. c. 2. Ægid. disp. 15. dub. 2. n. 5. Palao disp. 4. punct. 5. §. 1. n. 1. & communis.

QVÆSTIO IV.

An Suspendus, sine limitatione, ab officio; sit etiam censendus suspendus à beneficio?

Affirmat Valentia q. 18. punct. 1. & penes ipsum, Sylu. verb. Suspendio. n. 5. & Couaruu. epitom. 4. parte 2. c. 6. n. 13. & 14. Quibus addi possunt Glossa

in cap. *Latores. de Clerico excommunicato ministrante.* Palud. in 4. dist. 18. q. 7. art. 3. Tabiena verb. *Suspensio.* n. 4. & apud Palaum, Nauarr. lib. 1. consil. in 1. edit. tit. de temporib. ordinat. consil. 44. & Bernard. Diaz practica. crimin. cap. 73. n. 2. Quorum sententiam aliqui Canonistæ putant veram, loquendo de suspensione ab homine; non à iure; alij verò contrà, id sentiunt, quando suspensio ab officio, est à iure, non ab homine. Horum fundamentum potest esse illud principium iuris, receptum: nempe, *Quod prohibito antecedenti, videtur prohibitum consequens*: at sic est, quòd beneficium est consequens, seu accessorium ad officium: ergo.

Sed probabilius multò respondeo: Negatiuè. Quia nomine officij, non comprehenditur beneficium, neque è contrà: ergo suspensus ab officio, non debet censerì suspensus à beneficio; patet consequentia, quia pœnæ non sunt extendendæ. Antecedens verò etiam constat: tum, quia dictæ suspensiones sunt diuersæ in specie: ergo vna non includitur in alia. Tum etiam, quia à iure diuersa considerantur, siquidem de beneficio agit in titulo de *Præbendis*; & de officio in tit. de *officio Archidiaconi*: ergo. Sic Nauarr. cap. 17. num. 160. Henriq. lib. 13. cap. 32. n. 3. Suarez disp. 26. sect. 3. n. 4. Sayrus lib. 4. c. 5. n. 16. Auila parte 3. disp. 2. dub. 1. concl. 6. Filliuc. tr. 17. c. 2. n. 20. Luylius lib. 4. disp. 39. dub. 2. Hurr. de suspens. c. 4. Cornejo q. 3. de suspens. disp. 2. dub. 1. q. 5. Vgolin. Villalob. Tanner. Gordonus, Megalius, Regin. Laymann, & Præposit. quos citat, & sequitur Diana parte 5. tr. 10. resolut. 1. Quibus adhuc addi possunt Bonacina hic, disp. 3. puncto 2. n. 10. Bauny tr. 8. q. 7. assert. 3. Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 51. n. 12. vbi id late, & optimè, vt semper probat, Barbosa de appell. verb. iuris signif. appell. 256. verb. *Suspensio*, qui & citat Nauarr. consil. 41. de homicid. Perez, & alios. Palao disp. 4. puncto 5. §. 1. n. 3. Machado tomo 1. lib. 1. parte 3. tract. 10. docum. 3. n. 4 & alij. Qui nostram sententiam intelligunt, siue suspensio sit à iure, siue ab homine, & rectè quidem: cum suspensio eisdem verbis lata sit à iure & ab homine, & consequenter eandem significationem, & eundem effectum habere debet.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ dicendum est, regulam illam verificari, casu quo illa duo necessariò se consequuntur, officium autem, & beneficium, non ita se habere, siquidem officium sæpe sine beneficio reperitur, cum multi sint Clerici beneficio carentes.

#### QVÆSTIO V.

*An Suspensus ab officio, possit fructus beneficij, quod habet, percipere?*

**N**Egant auctores primæ sententiæ nuper adducti, eo quod existimant, suspensum absolutè ab officio, esse etiam suspensum à beneficio, & consequenter à fructibus illius.

Sed iuxta à nobis nuper dicta, respondeo. Possè in dicto casu, fructus beneficij percipere, si aliàs beneficio inseruiat, saltem per alium. Quia sicut suspensus ab officio, non priuatur à beneficio, ita non priuatur à fructibus eius, cum hi propter illud percipiantur. Sic omnes DD. nuper pro nostra sententia adducti, præcipuè Sanchez loco cit. Auila loc. cit. conclusione 6. dicto 3. & Nauarr. num. 160.

\*\*\*

#### QVÆSTIO VI.

*An Suspensio absolutè ab officio, validè possit conferri nouum beneficium?*

**N**Egat Auila 3. parte disp. 2. dub. 1. concl. 5. in fine, vbi sic ait: Præterea sic suspensus non potest eligi, nec promoueri ad beneficium: quod si eligatur electio erit nulla. cap. *Cum dilectus, de consuetud. cap. Quia diuersitatem. de concess. Præbendæ.* Et ratio est, nam beneficium datur propter officium: ergo priuatus per Ecclesiam ne exerceat officium, non est capax, vt eligatur ad beneficium. Et hoc habet verum etiam in suspensio non denunciato & occulto. Ita P. Henriq. n. 3. quia Concil. Constantiense non intendit in aliquo fauere ipsis excommunicatis vel suspensis. Huc vsque Auila. Quem citat & sequitur Bonacina hic, disputatione 3. puncto 2. n. 11. dicens, sic sentire Lessium, Nauarrum, Sà, Garciam, & alios. Ita etiam Azor parte 2. lib. 6. c. 7. dub. 2. & Candidus decis. 99. mor. 18. art. 14. dub. 6. apud Machado vbi infra. Palao disp. 4. puncto 5. §. 1. n. 2. & alij.

Sed probabilius respondeo: Validè posse conferri. Quia nullo ex capite iuris colligitur dictam collationem esse ipso iure irritam: sed ad summum irritandam, sicut non est ipso iure irrita, sed solum irritanda electio facta in personam excommunicatam minori excommunicatione. Sic ex Suario, Ægidius de Censur. disp. 15. dub. 2. concl. 3. n. 7. per hæc verba: Addunt multi collationem esse irritam, sed non probant: nam ex dicto cap. (nempe, *vt. de Clerico. excom.*) apertè colligitur, solum esse irritandam. Ita Suarez disp. 26. sect. 3. n. 8. Nec aliud probat cap. *Cum dilectus.* 8. quod alij pro se solent citare. Solent etiam citare cap. *Quia diuersitatem.* 5. de concess. præbend. sed nihil facit ad rem præsentem. Huc vsque Ægidius, ex Suario. Quorum sententiam tenet etiam Filliuc. tract. 17. quest. 3. n. 21. vers. *Sic etiam si agatur.* Cornejo in 3. p. tract. 5. quest. 3. de suspens. disp. 2. dub. 1. quest. 6. versu *Notat tamen Suarez.* Acuña in Decretum, part. 1. dist. 71 cap. 3. n. 3. Hurtadus de suspens. difficult. 4. n. 8. Diana parte 5. tract. 10. resolut. 1. Luylius lib. 4. de Cens. disp. 39. dub. 2. prope finem. Machado (ni fallor) lib. 1. parte 3. tract. 10. docum. 3. n. 5. vbi pro hac parte citat Lessium lib. 2. de Inst. cap. 34. dub. 22. n. 116. & benè, quia expressè id tenet, ibi vers. *Nota tertio.* Vnde malè pro se illum citat Bonacina.

#### QVÆSTIO VII.

*An Suspensio ab officio, non solum validè (vt vidimus) sed etiam licitè, possit beneficium conferri?*

**A**ffirmat adhuc Hurr. loc. cit. existimans, non solum validè, sed etiam licitè conferri posse: quia sic, inquit, deducitur ex cap. *Vel non est compos.* 14. de temporib. ordinat. Ita etiam sentiunt Acuña & Diana loc. cit. Quibus satis fauet Luylius.

Sed, vt longè probabilius, respondeo: Non posse licitè Suspensio ab officio, beneficium conferri. Tum, quia id ad minus colligitur ex capitib. pro prima sententia adductis. Tum etiam: quia contra rationem est, quod nouum beneficium Ecclesia conferat ei, quem ab officio suspensum habet; cum propter hoc, illud detur. Sic tenent, & à fortiori omnes DD. pro prima sententia, quest. antecedenti, adducti: Et ex nostra, expressè Suarez, Ægid. Cornejo, Lessius, Filliuc, & Machado, vbi sic ait: Noes menos dudoso, si el que esta suspensio ab officio, este inhabil para adquirir algun beneficio Ecclesiastico. Todos conuenien en que la eleccion, ó colacion que en el se hiziere, es illicita; porque

porque assi consta del Derecho, (*in cap. Cum dilectus. de consuet. & c. Si celebret. de Cleric. excommunic. celebr.*) que lo prohibe. Sic ille.

Nec caput, quod pro se Hurtado adducit, facit ad rem: cum ibi sermo sit de Suspenso ab Ordine, ob eius, ante legitimam ætatem, susceptionem, & idè non impedit beneficij collationem. Legatur Palao *loc. cit.*

## QVÆSTIO VIII.

*An saltem, Suspensus ab officio in perpetuum per Iudicis sententiam, sit quoque à beneficio suspensus?*

**A**ffirmant, apud Stephanum Bauny, Toletus *libro 1. c. 43. n. 3.* Cardosa *in praxi iudiciali, verb. (Suspensio, forsan)* Graffius *lib. 4. decis. cap. 25. num. 7.* Laymann *lib. 5. tract. 5. parte 3. c. 1. n. 3.* Sayrus *lib. 4. c. 6. n. 17.* & Sanchez *lib. 3. de Matrim. disp. 51. n. 13.* Sed ex iis, Sanchez oppositum docet, (vt melius viderunt Ægidius & Hurtadus, *vbi infra*) *n. 12.* solùmque *num. 13.* addit, si crimen graue sit, beneficio priuandum esse. Citat etiam Hurtadus pro hac parte Nauarrum *cap. 27. n. 6.* Sed nec omnino benè; quia Nauarrus hoc solùm docet, casu, quo Suspenso tacitè, vel expressè vim habeat priuationis. Tenent tamen, & à fortiori, auctores primæ sententiæ *q. 4.*

Sed probabilius respondeo: Nec in hoc casu esse à beneficio suspensum. Quia, *vt supra quæst. 4.* cum communi est habitum, Suspenso ab officio, diuersa omnino est à suspensione à beneficio, & sic non necessariò illatiua huius: at sic est, quod ex eo quod sit perpetua, nec induit aliam naturam, nec habet maiorem vim producendi effectus in beneficium à Suspenso possessum: ergo sicut suspensio temporalis ab officio, non priuat à beneficio, ita nec perpetua priuabit. Sic apud Bauny, Henriquez *lib. 13. capite 32.* & Duardus *tract. de suspens. n. 17. concl. 1.* Sed neuter citatur benè pro hac parte. Nam Henriquez, oppositum videtur docere *loc. cit. n. 3.* & Vivaldus *in antiquis saltem*, nil habet ad propositum. Tenent igitur hanc sententiam Sanchez *loc. cit.* Ægidius *disp. 15. dubio 2.* quos citat, & sequitur Hurtadus *diffic. 4. de suspens. Bauny tract. 8. de Censur. q. 8. de suspens. pag. mihi 362. col. 2.* Qui tamen negare non audet, quin ei, cui interdicta sunt in perpetuum officij sui munera, incumbat illo decedere per simplicem cessionem, aut resignationem in fauorem tertij, quod potest, quando diu eo per Iudicis sententiam necdum est priuatus. Sic ille. Et ante illum Henriquez *loc. cit.*

## QVÆSTIO IX.

*An suspensus ab officio, possit Sacramenta, præter Ordinem saltem, recipere, & diuinis Officijs interesse?*

**R**espondeo: Possit Sacramenta recipere, præter Ordinem saltem (de quo *infra*) & Officijs diuinis interesse. Quia recipere Sacramenta, & diuinis Officijs interesse, non est exercere actus alicuius officij Ecclesiastici; cum hæc non conueniant Clericis, quatenus Clerici sunt, sed quatenus Christiani sunt, & membra Ecclesiæ: ergo Suspenso ab Officio, non est interdicta Sacramentorum receptio, sed collatio; nec interessentia diuinis Officijs. Sic Nauarr. *libro 5. consil. 64. de sent. excommunicationis.* & Sotus, quos affert, & sequitur Cornejo *disputatione 2. de suspens. dubio 1. in fine.* Bauny *quæstione 7. de suspens. affert. 4.* Bonacina, Filliucius, & alij mox citandi. Legatur Diana *parte 5. tractatu 10. resol. 12.*

## QVÆSTIO X.

*An etiam possit Ordinis Sacramentum recipere; qui ab officio est absolutè suspensus?*

**A**ffirmat adhuc Bonacina *disp. 3. de suspens. punct. 2. n. 15.* Quia (inquit) receptio Sacrorum Ordinum, non est actus officij & iurisdictionis: ergo suspensus ab officio non videtur peccare recipiendo Ordines; nisi fortè habeat intentionem exercendi illos tempore suspensionis.

Sed probabilius respondeo: Non posse licitè, quamuis benè validè, Ordinis Sacramentum recipere. Constat ex dictis *q. 6. & 7.* Nam illi, cui prohibitum est consequens, censetur quoque, & antecedens vetitum, si huic illud sit connexum, *cap. Si celebret. de Cler. excommun. ministrante*: at sic est, quod Ordini sacro (de hoc enim solùm esse dubium potest) est annexum necessariò officium Ecclesiasticum, à quo Ordinandus supponitur suspensus: ergo & à recipiendo licitè dicto Ordine, suspensus erit. Sic Sayrus *lib. 4. c. 6. n. 23.* Vgol. *c. 5. §. 3.* Filliuc. *tract. 18. c. 2. n. 21. & 22.* Cornejo & Bauny *loc. cit.*

## QVÆSTIO XI.

*An Suspensus à beneficio, sit Suspensus ab officio?*

**R**espondeo: Negatiuè, ex dictis *q. 4.* Vnde Suspensus à beneficio, non solùm potest, sed etiam debet officio suo satisfacere, & iurisdictionem, aut administrationem ratione officij competentem exercere. Sic tenent Glossa *inc. Cum Vintoniensis. de elect.* Abbas *in c. Cum dilectus. cod. tit. n. 20.* & alij, quos dicta *q. 4.* pro nostra sententia adduximus. Legatur Diana *parte 5. tract. 10. resolutione 3.*

## QVÆSTIO XII.

*An Suspenso ab Ordine simpliciter lata, prohibeat quemcumque, tam maioris, quàm minoris Ordinis, actum?*

**R**espondeo: Prohibere. Quia (inquit Cornejo) cum illa propositio, *Suspendo te ab Ordine*, sit indefinita ex parte prædicati, æquiualeat vniuersali in materia morali, sicut etiam in doctrinali; atque ita, idè est, ac si diceret, *Suspendo te ab omni Ordine*. Vnde quidquid est, vel iure diuino, vel humano Ecclesiastico, vel consuetudine annexum, alicui Ordini, non potest à Suspenso ab Ordine exerceri. Sic ille *disp. 2. de susp. dub. 2. in princ. ex Auila (quem non citat) disp. 2. de susp. dub. 2. concl. 8.* Sylu. *verb. Suspenso. n. 2.* & Henr. *lib. 13. c. 32. n. 2.* penes ipsum, Bonac. *punct. 2. n. 8.* Palao *disp. 4. punct. 5. §. 1. n. 11.* Suar. *dis. 26. sect. 4. n. 2. & 3.* & alij.

## QVÆSTIO XIII.

*An Suspensus simpliciter à collatione, seu receptione Ordinum; sit etiam Suspensus à collatione, & receptione primæ Tonsuræ?*

**A**ffirmare tenentur omnes illi Canonistæ, qui docent, Primam Tonsuram esse verum Ordinem Ecclesiasticum. Sunt autem, Hostiens. Abbas, Butrius, Couar, Viuianus, Barbosa, Torrebl. & alij quamplures quos citauimus *1. p. de Sacr. tr. 6. de Ordine, disp. 1. q. 5.*

Sed longè probabilius respondeo: Non esse suspensum. Quia longè probabilius est, Primam Tonsuram non esse propriū & verum Ordinem, vt *loc. cit.* probauimus, ex Concil. Trid. & doctrina cõmuni omnium Theolog. Magistris, S. Thom. Bonauent Ricardi, Palud.

Durandi, Suarij, Vasquij, Nauarri, & aliorum plurimum, quos ibi citauimus: ergo suspensus ab Ordinis collatione, aut receptione, non censetur suspensus à collatione, aut receptione primæ Tonsuræ. Sic in terminis, tenent Bonac. *hic, disp. 3. de suspens. puncto 2. n. 6.* Cornejo *disp. 2. de suspens. dub. 2. quest. 2.* Præpositus *in 3. part. q. 3. de suspens. dub. 2. n. 18.* Diana *parte 5. tractatu 10. resolutione 6.*

#### QVÆSTIO XIV.

*An suspensus ab Ordine Superiori, censetur suspensus etiam ab Ordine inferiori?*

**R**espondeo tanquam certum: Non censeri. Quia qui prohibet quod est maius, non censetur prohibere quod est minus. Quocirca (ait Bonac) suspensus à Superiori Ordine potest exercere actus inferiorum Ordinum: sicut suspensus à Sacerdotio, potest ex officio canere Epistolam & Euangelium, & suspensus à collatione maiorum Ordinum potest conferre minores. Sic Bonac. *puncto 2. de dispens. num. 7.* Syluest. Nauarr. & Henriq. quos affert, & sequitur Auila *3. p. disp. 2. dub. 2. concl. 9.* Cornejo *loc. cit. quest. 4.* Diana *parte 5. tract. 10. resol. 5.* & Bauny *de suspens. q. 6. assert. 2.* Palao *disp. 4. puncto 5. §. 1. n. 11.* & omnes.

#### QVÆSTIO XV.

*An suspensio facta determinatè ab Ordine inferiori, addita particula solum, seu tantum; prohibeat exercitium Ordinum Superiorum?*

**R**espondeo tanquam certum: Non prohibere. Quia per dictam particulam *solum, seu tantum*, excludit Superior à prohibitione exercitia superiorum Ordinum, quibus ita suspensio defungi licet. Sic omnes. Legantur Suarez *disp. 26. sect. 4. à num. 7.* Bonac. *puncto 2. de suspens. num. 7.* Cornejo *disp. 2. de suspens. dub. 2. q. 3. vers. Limitatur hac doctrina.* Bauny *tract. 8. de suspens. q. 6. assert. 1. vers. Ab hac regula.* & alij. Qui tamen hanc doctrinam dicunt veram casu, quo maior Ordo sine illo minori, quo quis solum est priuatus, exerceri possit: secus aliàs. Sic optimè Hurtadus *difficult. 4. de suspens.* his verbis: Conueniunt secundò Doctores, suspensum ab aliquo officio determinato, non tantum esse prohibitum exercere actus illius officij; sed etiam actum alterius officij includentem illum: vt si quis est suspensus ab Ordine Diaconatus, non solum non potest exercere Ordinem Diaconatus, sed neque potest celebrare, quia actus celebrandi includit actum, seu vsum Diaconatus, cum Missa non celebretur sine Euangelio. Legantur Cornejo *loc. cit. vers. Limitari solet quartò. Sà verb. Suspensio. n. 8.*

#### QVÆSTIO XVI.

*An saltem suspensus ab Ordine inferiori, sine vlla restrictione, censetur suspensus ab Ordine superiori, etiam casu, quo hic non includat actum inferioris, seu vsum?*

**N**egant adhuc aliqui DD. existimantes, suspensum ab Ordine inferiore, non esse prohibitum exercere actum superioris non includentem actum inferioris: v. g. suspensus ab Ordine Diaconatus potest Confessiones audire; quia officia Diaconatus, & Sacerdotij sunt distincta; & actus audiendi Confessiones, non includit, imò nec supponit, actum Diaconatus, etiam si officium Sacerdotij quoad celebrationem supponat officium Diaconatus. Ita, apud

Bonac. tenent Ægidius *disp. 15. dub. 2. n. 10.* Filliuc. *tract. 17. cap. 2. n. 25. & 29. (imò, & 34.)* & Suarez *disp. 26. sect. 4. num. 11.* Ita etiam Luylius *lib. 4. de Censuris, disp. 29. dub. 3.* Sed ex iis, nec Suarius, nec Ægidius docent hanc sententiam, sed solum dicunt esse probabilem, contrariam tamen probabiliorem, & securiorem ob DD. auctoritatem.

Sed alij è contrà affirmant, esse, & censeri suspensum ab Ordine superiori, etiam casu, quo hic non includat actum inferioris Ordinis à quo determinatè est suspensus. Sic ex Syluestro *verbo Suspensio. quest. 5.* Nauarro *cap. 27. n. 163.* & Henriquez *libro 13. cap. 32. n. 2.* docet, & probat Auila *disput. 2. de dispens. dubio 2. concl. 9.* hoc modo: Nam destructo fundamento destruantur omnia, quæ fundantur in illo: sed Ordines superiores fundantur in inferioribus: ergo. Sic etiam Sayrus *lib. 4. cap. 3. n. 2.* & Suarez *sect. 4. cit. n. 6.* quos pro hac parte citat Cornejo *disp. 2. de suspens. dubio 2. quest. 3.* & probat sic: Quia si quis est in Ordine inferiori indignior, multò erit in superiori: Cui enim quod minus est non licet, neque quod maius est, licere debet: argum. *cap. Qui illorum. de sentent. excomm.* & ibi Glossa *verb. Minora. & cap. Cui licet. de regul. in 6.* Sic etiam Vgol. *tab. 4. capite 6. §. 6.* Regin. *lib. 32. n. 15.* Tolet. *lib. 1. cap. 43.* Bauny *tr. 8. de Censuris, quest. 6. assert. 1.* Hurtad. *diff. 4. de suspens. n. 8.* Bonac. *disp. 3. de Cens. puncto 2. n. 7.* Diana *parte 5. tract. 10. resol. 5.*

Sed ego clarius, & probabilius respondeo dicendum, quod illi, qui simpliciter & absque expressa restrictione est suspensus ab Ordine inferiori, nequaquam liceat exercere actum, seu munus Superioris Ordinis; (nisi aliàs ex subiecta materia, aut verbis Superioris suspendentis, constet eius intentionem fuisse, solummodo ab Ordine inferiore suspendere) quamuis si de facto exerceat, non idè incurrat irregularitatem, dummodo non exerceat actus Ordinis à quo suspensus est.

Prima pars nostræ responsionis probata manet argumentis opinionis secundæ, & auctoritate illam sectantium. Secunda verò, probatur simul cum prima à Cornejo, sic; Quia vt peccet, eique non liceat exercere munus Ordinis Superioris, sat est, quod indecens sit ineptum ad exercitium Ordinis inferioris ministrare in Superiori: at verò, vt irregularitatem incurrat requiritur textus expressus, *cap. his, qui, de sent. excomm. in 6.* qui in præfenti non est. Confirmatur. Quia quod suspensus ab Ordine inferiori non possit ministrare in Superiori, non oritur formaliter ex vi ipsius suspensionis Ordinis inferioris; nec respectu Ordinis Superioris est vera suspensio, sed solum impedimentum consequens iure naturali & diuino, ratione indecentiæ. Sic Cornejo *loc. cit. quest. 3. vers. Secundò limitatur.* Præpositus, Laymann, & Ægidius, quos citat, ac sequitur Diana *loc. cit.*

#### QVÆSTIO XVII.

*An suspensus ab officio prædicandi, censetur etiam suspensus à lectione Euangelij, & ab alijs actibus Diaconatus?*

**R**espondeo: Negatiuè. Quia quando quis suspenditur ab officio prædicandi, solum fit, vel defectu doctrinæ, vel ratione modi prædicandi: ergo non censetur manere impeditus ab vfu aliorum actuum, qui doctrinam non postulant. Sic Nauarr. *capite 27. (non 24. vt offendes apud Petrum Cornejo num. 163. vers. Octauò infertur.* & penes ipsum Panormitan. & communis in Clement. Cupientes. Cornejo *disp. 2. de suspens. dub. 2. q. 3. versu Limitatur tertio.* Bauny *de suspens. q. 6. assert. 3.*

## QVÆSTIO XVIII.

An suspensus à Diaconatu, vel Subdiaconatu diuisiue, maneat ab alio suspensus?

**N**egant ab aliquo eorum manere, Bauny tract. 8. q. 8. de suspens. dub. 16. & Auila penes ipsum, 3. p. disp. 2. dub. 1. concl. 7. Quibus addi possunt Nauarr. Vgolin. Sayrus, Syluest. Henriquez, & alij citati sup. tract. 1. disp. 4. q. 8.

Affirmant verò contra, manere suspensum, non solum ab aliquo, sed ab vtroque, Glossa, & Rastellius, citati ibidem pro secunda sententia.

Sed, iuxta ibi dicta, probabilius respondeo: Manere suspensum, saltem ab vno, vel ab altero determinatè ad electionem suspensi, quam tenetur facere: sicut qui condemnatur (ait Hurtadus) vt exulet, vel vt soluat certam quantitatem pecuniæ, verè manet obnoxius vni, aut alteri, & obligatur vnum aut alterum eligere; quia absque fundamento negatur Iudicem habere auctoritatem ad sic ferendam sententiam pœnæ, & ad obligandum reum, vt eligat quam maluerit. Sic Hurtadus de suspensione diff. 4. Suarez, Bonacina, Filliucius, Candidus, Alterius, & Cornejo, citati sup. tract. 1. disp. 4. q. 8.

## QVÆSTIO XIX.

An suspensus ab ingressu Ecclesiæ, sit Sacramentorum capax?

**R**espondeo: Esse. Quia ingressus Ecclesiæ, nil commune cum Sacramentis, vel eorum, tam passiuo, quàm actiuo vsu, habet; ergo suspensus ab ingressu Ecclesiæ, præcisè vi talis pœnæ, non est Sacramentorum incapax, sed tantum executionis Ordinum intra Ecclesiã, & auditionis diuinorum Officiorum. Quare ita suspensus poterit in Ecclesia recipere Sacramenta, & etiam orare, & recitare horas, tempore quo non celebrantur Diuina. Ideoque, vt benè notant Henriquez, Auila, Hurtadus, & Bauny, hæc suspensio ab ingressu Ecclesiæ, potius est interdictum, quàm suspensio; nam suspensus proprie nunquam priuatur auditione Diuinorum, nec sepultura. Sic Henriquez libro 13. cap. 32. num. 2. Auila 3. parte disp. 2. dub. 1. concl. 13. Hurtad. diff. 4. in fine. Bauny de suspens. q. 8. dub. 18. & alij. Legatur Bauny cit. dub. 4. vbi largius id explicat.

## QVÆSTIO XX.

An suspensus ab Ordine, ab Horarum liberetur onere?

**R**espondeo tanquam certum: Non liberari. Tùm quia solutio Horarum, propriè non est Ordinis actus. Tùm etiam, quia abhorret à verò, velle Ecclesiã, vt quis, ex turpi aliquo suo opere, nedum ex crimine, commodum referat; quod tamen accideret, si suspensus à soluendo horarum pensio liber esset: ergo. Sic Sotus lib. 10. de Inst. q. 5. art. 3. Sanchez lib. 7. consil. capite 2. dubio 54. & Bauny questione 8. de suspensione dubio 9. pag. 361. addens, præfatum non impediri, quin Horas in Choro publicè dicat & canat; dummodo his vocibus Dominus vobiscum, non vtatur. Quia est vsus Ordinis, à quo per suspensionem priuatur. Filliuc. tractatu 17.

capite 2. questione 4. numero 25.

in fine, ex Sayro cap. 4.

numero 10.

\*\*\*

## QVÆSTIO XXI.

An Episcopus suspensus ab Ordine Pontificali, maneat etiam suspensus ab exercitio sue iurisdictionis?

**R**espondeo: Minimè manere ab hoc suspensum. Quia Episcopalis iurisdictionis, nullo modo, neque quantum ad exercitium, neque quantum ad substantiam, ab Ordine & consecratione Episcopali pendet. Vnde Episcopus electus & confirmatus, potest antequam consecratus sit, actus iurisdictionis Episcopalis exercere; quamuis nondum possit eos, qui consecrationem requirunt, ex cap. Transmissam, de Elect. Suspendo igitur ab Ordine Pontificali, solum est prohibitum exercere illos actus, qui Episcoporum sunt proprii, & Sacerdoti iure Ordinario competere non possunt, quales sunt, confirmare, ordinare, Ecclesias, Altaria, & Virgines consecrare, &c. Licitum igitur Episcopo ita suspenso erit, Missam priuatam sine Pontificalibus celebrare, Confessiones audire, baptizare, iurisdictionem forenses exercere, &c. Sic Syluester verb. Suspendio. quest. 5. Auila parte 3. disp. 3. dubio 1. concl. 10. Filliucius tract. 17. cap. 2. numero 27. Laymann lib. 1. tr. 5. parte 3. c. 5. n. 6. Bonac. disput. 3. de Cens. puncto 2. n. 3 vbi attentè est legendus, & benignè corrigendus. Bauny q. 8. de susp. dub. 6. Cornejo disp. 2. de susp. dub. 2. q. vlt. Diana parte 5. tr. 10. resol. 4.

## QVÆSTIO XXII.

An Episcopus suspensus à Pontificalibus, sit tantum suspensus ab vsu insignium, qua Episcopis ferre, est in more?

**R**espondeo: Tantum. Quia nomine Pontificalium, intelliguntur insignia Pontificalia, vt vsus Baculi, Mitræ, & Pallij, in iis, quibus competit: ergo suspensio à Pontificalibus, directè, primò, & per se tantum impedit vsum horum. Indirectè autem, & per accidens, aut consequenter impedit etiam vsum earum actionum, quæ sine Pontificalibus fieri nequeunt, vt Missæ solemnis, Collationis Ordinum, Confirmationis, & similibus. Sic Laymann, Filliucius, Bonac. Bauny, Cornejo, & Diana locis citatis. Toletus lib. 1. capite 43. numero 1.

## QVÆSTIO XXIII.

An suspensus ab Ordine, maneat etiam suspensus à iurisdictione?

**A**ffirmant apud Bonacinam disp. 3. puncto 2. n. 4. Toletus, Abbas, & Syluester. Sed non citat loca vbi id affirmant. Et certè Toletus oppositum docet, loco nuper citato, per hæc clarissima verba: Quando aliquis est suspensus ab Ordine, non ob id suspensus est à iurisdictione, nec contra quando suspensus est à iurisdictione, ob id, suspensus censendus est ab Ordine: quia hæc duo sunt inuicem distincta, & vnum ab altero non pendet, vt colligitur ex cap. Aqua. de Consecr. Eccl. Sic Tolet. Tenent tamen Panorm. cap. Cum dilectus, de Consuetud. & Sylu. verb. Suspendio. n. 5.

Sed tanquam certum respondeo: Suspensum ab Ordine, non esse suspensum à iurisdictionis actibus; nisi alias hi sint connexi & fundati in Ordine, vt est absoluere in foro pœnitentiæ. Constat ex dictis quest. 21. & ex ratione allata nunc à Tolero. Sic Sanctus Thom. in addit. q. 22. art. 3. Caiet. verb. Suspendio. Nauarr. capite 27. num. 160. Suarez disputatione 26. sectione 4. Filliucius tractatu 17. cap. 2. quest. 4. num. 25. Bonac. loc. cit. Auila, Vgol. Sayrus, & alij penes illum. Cornejo



Cornejo *disp. 2. de suspens. dub. 2. q. 1.* Diana *p. 5. tr. 10. resol. 21.* Bauny *q. 8. dub. 15.* Henriquez *lib. 13. cap. 32. n. 4.* Palao *disp. 7. punct. 5. §. 1. n. 12. & communis.*

#### QVÆSTIO XXIV.

*An suspensus à iurisdictione simpliciter, maneat etiam suspensus ab Ordine?*

**R**espondeo dicendum, quod nullo modo maneat suspensus; nisi tantum ab illis actibus Ordinis, qui iurisdictionem requirunt, ut valide, aut licite fiant. Patet ex dictis *q. 21.* Ex quo fit, quod quamvis Sacerdos suspensus à iurisdictione possit celebrare, & exercere similes Ordinis actus, non tamen possit Confessiones audire, eo quod tunc non solum potestate iurisdictionis, sed etiam Ordinis utitur. Sic Nauarr. *capite 27. numero 160.* Suarez *sección 4. cit. numero 16.* Sayrus *libro 4. capite 4. numero 20.* Cornejo *disp. 2. de suspens. dub. 3.* Bauni *loc. cit.* & Toletus.

#### QVÆSTIO XXV.

*An suspensus ab Ordine, sit etiam suspensus à iure eligendi?*

**A**ffirmant Panormir. & Syluest. *locis supra q. 23. citatis.* Quorum fundamentum est, quod iurisdictione fundatur in Ordine: ergo sublato exercitio Ordinis, aufertur exercitium iurisdictionis.

Sed ex dictis *quæst. 23.* respondeo dicendum, non esse etiam suspensum à iure eligendi; quia hoc ius spectat ad iurisdictionem, nec necessario Ordinem præsupponit: cum Moniales ius eligendi habere possint. *cap. Cum dignitatibus, de elect. in 6.* & tamen Ordinis sunt incapaces. Sic Cornejo *disput. 2. cit. dubio 2. q. 1. pag. 719.* Qui ad fundamentum Panormir. respondet negando consequentiam: quia quamvis ex ablatione fundamenti, quantum ad substantiam & exercitium sequatur ablatio rei fundatæ quantum ad existentiam & substantiam; ex ablatione tamen actus, & exercitij fundamenti, non bene sequitur ablatio actus & exercitij rei fundatæ: quia bene stat quod manente substantia fundamenti, & similiter, manente substantia rei fundatæ, impediatur exercitium ipsius fundamenti, non impedito exercitio rei fundatæ, eo quod operatio rei fundatæ, non pendeat ab operatione simultanea fundamenti, sed solum à iustitia (lege, substantia,) & existentia ipsius rei, quæ est fundamentum, ut à conditione necessario præsupposita. Sic Cornejo, & ex illo Diana *tomo 5. tract. 10. resol. 21.* Tenent etiam nostram sententiam Suarez *disputatione 26. sección 4. numero 3.* Filliuc. *tract. 17. cap. 2. quæst. 4. num. 25.* Palao *disp. 4. punct. 5. §. 1. num. 9. & 12.* Auila & Sayrus penes ipsum.

#### QVÆSTIO XXVI.

*An suspensus à Beneficio, sit prohibitus percipere fructus talis beneficij?*

**R**espondeo tanquam certum: Affirmatiuè. Quia certum est, quod suspensio à beneficio, non tollit titulum & possessionem beneficij, nec radicale ius percipiendi fructus illius: ergo certum est, quod auferat, & tollat usum huius iuris, hoc est, perceptionem actualem fructuum beneficij: aliàs nullum effectum haberet priuatio talis. Vnde non solum grauius peccabit Clericus suspensus percipiens fructus; verum tenebitur ad restitutionem. Sic omnes. Legantur Cornejo *disp. 2. de suspens. in principio, & dub. 4. numero 1.* Hurtadus *diff. 4. de suspens. n. 9. vers. Conueniunt*

*tertio DD. Auila 3. p. disp. 2. dub. 1. concl. 5.* Syluest. & Hent. *apud ipsum. Bauny tract. 8. quæst. 7. de suspens. assertio 5. & 6.* Suarez *disp. 17. sect. 1. n. 7.* Luyfius *lib. 4. disputatione 40. dubio 1.* Palao *disputatione 4. punct. 5. §. 2. numero 1. & omnes.*

#### QVÆSTIO XXVII.

*An suspensus à beneficio sint denegandi fructus beneficij, antequam à Iudice illis priuetur?*

**N**egat Petrus Nauarra *lib. 2. de restit. c. 2. num. 237.* docens, non esse illi denegandos ante Iudicis sententiam. Negat etiam Auila *de Cens. 2. parte cap. 6. disp. 6. dub. 1. concl. 2.* Præpositus & Tannerus, quos citat, & sequitur Diana *parte 5. tract. 10. resol. 3.* Sà *verb. Suspensio. n. 7.* ubi sic ait: Suspensus à beneficio intelligitur à fructuum perceptione: opus est autem executione per Iudicem. Tenent etiam alij plures, quos *supra tract. 2. de excomm. disp. 9. q. 28. citauimus.*

Sed probabilius respondeo: Esse denegandos, etiam antequam per sententiam à Iudice fructibus beneficij suspensus priuetur. Quia suspensus ab officio, est priuatus omni actu officij, antequam à Iudice priuetur: ergo & suspensus à beneficio est priuatus omni fructu temporali beneficij, etiam antequam à Iudice illo fructu priuetur: ergo suspensus à beneficio, fructus beneficij sunt illi denegandi etiam ante Iudicis sententiam. Sic Hurtadus *loc. cit. num. 10.* dicens contrarium esse falsum. Cornejo *loc. cit.* & alij plures, quos *disp. 9. q. 28. citata adduximus.* Legantur ibi dicta; & Palao *hic, disp. 4. puncto 5. §. 2. n. 6. in fine.*

#### QVÆSTIO XXVIII.

*An Beneficiarius suspensus à beneficio, possit licite percipere fructus beneficij, si præstet officium quod beneficium exigit?*

**A**ffirmant Auila *de Censuris, parte 2. capite 6. disputatione 6. dubio 1. concl. 1. & 2. & parte 3. disputatione 2. dubio 2. concl. 6.* Petrus Nauarra *lib. 2. de restit. cap. 2. n. 237.* Tannerus *tomo 4. disp. 6. quæst. 10. dubio 7. n. 137.* & Ioan. Præpositus *in 3. parte q. 2. de suspens. dub. 2. n. 22.* Quos omnes pro hac parte citat, & sequitur Diana *parte 5. tract. 10. resol. 3. vers. Sed difficultas est, prope finem.* docentes, Suspensum per ius à beneficio posse tuta conscientia recipere omnes fructus beneficij, & etiam distributiones, si diuino officio publico interfuerit. Ratio eorum est. Quia iuxta ipsorum opinionem, qui suspenditur à beneficio, non eo ipso ita priuatur fructibus, ut ante omnem sententiam, eos non faciat suos. His authoribus addi possunt Palao *tomo 6. disputatione 4. puncto 5. §. 1. numero 7.* & alij omnes, quos pro prima sententia adduximus *de excommunicatione, disput. 9. quæst. 28.* Sed iuxta ibidem à nobis dicta

Probabilius respondeo dicendum: Non posse licite percipere fructus beneficij, qui manet priuatus, etiam si exequatur onera talis beneficij. Quia probabilis est, talem Beneficiarium esse priuatum fructibus beneficij, etiam ante sententiam Iudicis, ut loquendo de Excommunicato latè probauimus *dicta questione 28.* ergo etiam si præstet officium & onus, quod beneficium exigit, nequit, tuta conscientia, fructus talis beneficij facere suos, cum verè illis priuatus sit. Sic DD. *loc. cit.* pro nostra sententia adducti. Et in specie nostri casus, sic tenent Rebuff. *praxi benef. tit. de Simonia in resignat. n. 15.* Couarru. *4. decret. 2. p. capite 6. §. 8. numero 7.* & Viald. *in Candel. ubi de suspens. num. 171.*

An autem dictus suspensus à beneficio teneatur fructus iam perceptos, à se abdicare ante sententiam Iudicis, constat ex dictis *disputatione 9. de excommunicatione, quest. 30.* Legatur.

## QVÆSTIO XXIX.

An saltem, suspensus à beneficio, si egeat, possit fructus sui beneficij percipere ad sustentationem sui, & suorum?

**A**ffirmat Auila 2. parte loc. cit. concl. 3. & 3. parte loc. cit. concl. 6. posse dictum suspensum percipere fructus sui beneficij, etiamsi illi non seruiat, casu quo egeat, his verbis, Secundò dico, quod licet non seruiat per se, nec per alium, si est pauper, nec habet unde viuat, potest percipere id quod necessarium est ad se, & suos modeste sustentandos, ne cogatur mendicare, in opprobrium Ordinis Clericalis, vt ibidem latius diximus in 2. concl. Hæc ille. Henriquez, Syluester, Abbas, Astiens. & alij, quos in simili citauimus de *excommunicat. disputatione 9. questione 31.* Quibus nunc loquendo in specie de nostro casu addi possunt Bauny *tractatu de suspensione, questione 7. assertionem 6.* qui citat Toletum 1. parte cap. 14. Sayrum libro 5. capite 6. numero 4. & Glossam in cap. *Cum Vintoniensis. de electione.* Sed ex iis Doctoribus, id absolutè non docet Toletus loco à Bauny cit. Nam numero 14. postquam dixerat, excommunicatum, ipso facto, non posse percipere fructus beneficiorum suorum, addit: Quod adeò verum esse affirmant communiter Doctores, vt quamuis Clericus excommunicatus sit egenus & pauper, illi tamen non sit prouidendum de alimentis, nisi fame periret. Glossa in d. §. *Verum.* & ibi Abbas numero 16. & Couarr. var. resol. libro 3. capite 13. numero 8. vers. *Duodecimò.* Et ratio est, quia potest sibi ipsi prouidere petendo absolutionem. Hæc Toletus. Vnde iuxta hanc doctrinam, traditam etiam à nobis supra.

Probabilius respondeo dicendum; non posse suspensum à beneficio percipere fructus illius, etiamsi his egeat ad sustentationem sui, & suorum, casu, quo sit suspensus pro contumacia; quia, sua culpa perpetuò durante, patitur hanc necessitatem; & minus inconueniens est, vt, ex suppositione suæ prauæ voluntatis, mendicet; quàm ex iniquitate sua commo- dum reportet in vilipendium Ecclesiasticæ disciplinæ. Secus dicendum in casu, quo suspensus sit in pœnam delicti commissi, & non sit in eius potestate facere; vt pœna suspensionis ab illo tollatur; quia tunc optimè poterit de fructibus sui beneficij sibi, & suis sufficienter prouidere, dummodo alia alimenta non habeat, nec ea aliter comparare queat. Sic Diana parte 5. tractatu 10. resolutione 3. citans pro hac parte Mercerum in 3. p. questione 24. dub. 3. Filiucium tomo 1. tractatu 17. capite 3. numero 53. Gordonum tomo 2. libro 7. questione 13. capite 7. numero 36. Turrianum libro 4. disputatione 36. dubit. 40. numero 2. Cornejo in 3. p. tractatu 5. de suspens. disputatione 2. dub. 4. questione 1. Suarium disputatione 27. sectione 2. num. 3. Sayrum libro 4. capite 6. n. 12. & Egidium Coninck disputatione 15. dubitatione 2. conclusione 6. Sed ex iis Doctoribus aliqui benè citantur, alij contra. Nam in primis Turrianus id non docet loco citato: nam lib. 4. incipit à disp. 38. Cornejo nil dicit loco à Diana citato. Suarez id docet, sed non numero 3, sed 5. Legantur à nobis dicta de *excommunicatione, disputatione 9. questione 31. & 32.* vbi alios Doctores pro hac sententia inuenies.

## QVÆSTIO XXX.

An suspensus à beneficio, sit etiam suspensus à iure eligendi, confirmandi, & conferendi beneficij, quod ei conuenit ratione beneficij, à quo suspensus est?

**A**ffirmant plures Doctores. Quia existimant, ius eligendi, conferendi, aut confirmandi, esse fructum beneficij: & ideò, qui suspenditur à beneficio, suspensus debet à tali iure censeri. Ita Nauarr. c. 27. numero 16. Henriquez libro 13. capite 31. numero 4. Sayrus libro 4. capite 6. numero 7. Toletus libro 2. capite 43. Ioann. Præpositus in 3. p. quest. 3. de suspens. dub. 2. num. 25.

Sed probabilius respondeo: Non esse etiam à tali iure eligendi, confirmandi, seu conferendi, suspensum. Primò. Quia id capere colligitur ex capite, *Cum Vintoniensis. de elect. vbi,* de quibusdam de Capitulo, qui erant suspensi à beneficio, affirmat Pontifex, quod poterant eligere: & tamen illud ius eligendi conueniebat eis ratione beneficij, à quo priuati erant: ergo.

Secundò. Quia probabilius est, quod ius eligendi, confirmandi, seu conferendi beneficia, non est propriè fructus, seu prouentus beneficij, aut Episcopatus; sed officij spiritualis Beneficiati, aut Episcopi, cui annexum est ipsum beneficium. Sic Suarez *disputat. 25. sectione 2. numero 14. & disputatione 26. sectione 4. n. 5.* Auila 3. parte. *disputatione 2. dub. 1. concl. 4.* & penes illum Tabiena *verb. suspensio, numero 4.* Egidius de *Sacram. disputatione 15. dub. 2. numero 11.* Hurtadus de *suspens. diff. 4. numero 9.* Corneio *disputatione 2. de suspens. dub. 4. questione 4.* Laymann libro 1. tract. 5. parte 3. capite 1. numero 4. Gordonus tomo 2. libro 7. questione 14. capite 7. à numero 41. Mercerus in 3. p. questione 24. dub. 3. Diana parte 5. tractatu 10. res. 8. Bauny de *suspens. q. 8. dub. 8.* vbi docet, suspensum à beneficio, & posse eligere, & eligi; conferre beneficium, & ei nouum aliquod dari. (Sed an hæc omnia sint vera, infra videbimus.) Alterius *disputatione 5. de suspens. capite 2. col. 5. vers. Petet aliquis.* & alij.

## QVÆSTIO XXXI.

An suspensio simpliciter à beneficio, possit, non solum validè, sed etiam licitè, nouum beneficium dari?

**N**egant vtrumque Auila, & alij plures citati supra *quest. 6.* existimantes, nec licitè, nec validè id fieri posse.

Affirmant contra, vtrumque Hurtadus & Diana citati *questione 7.* & Bauny loco nuper citato, docentes validè, ac licitè posse dicto suspensio à beneficio, nouum beneficium conferri.

Sed ego probabilius respondeo: Possè validè; non tamen licitè. Constat hæc responsio ex à nobis traditis *questione 6. & 7.* Eamque docent Suarez *disputatione 27. sectione 1. numero 25.* Cornejo *disputatione 2. cit. dubio 4. questione 2.* Luyfius libro 4. de *Censuris, disputatione 40. dubio 1.* & alij citati à nobis, vbi supra. Legantur Alterius *disputatione 5. capite 6. columna 2. per totam,* & Palao *disputatione 4. puncto 5. §. 2.* vbi cum Suario meritò reputat probabile, quod si nullum beneficium habens crimen committat, cui annexa est suspensio à beneficiis, per hoc non esse priuatum noui beneficij acquisitione; quia hæc pœna censetur ferri aduersus Beneficiarios, qui ex suspensione à beneficiis possessis, suspenduntur, & ex consequenti priuantur alijs acquirendis.

## QVÆSTIO XXXII.

*An qui multa habet beneficia, si simpliciter à beneficio suspendatur, ab omnibus maneat suspensus?*

**R**espondeo dicendum: Manere ab omnibus suspensum, si suspensio lata sit propter causam generalem; secus verò si propter causam particularem ad aliquam Ecclesiam particularem concernentem. Sic Bauny q. 8. de suspens. dub. 2. ubi satisfaciens quaestioni propositæ hæc ait: Respondeo cum Vgolino tab. 4. cap. 8. §. 4. si id ex verbis, aut suspendentis intentione, nequit colligi, de culpa, eiusque natura, illius rei argumentum lumendum esse. Et quidem si peccatum, cuius causa quis suspenditur, est in damnium alicuius Ecclesiæ, in qua ille beneficium vnum, pluræue habet, & simpliciter suspenditur à beneficio, tam ab eo, quam aliis, quæ in ea Ecclesia possidet, suspensus erit; quia talis suspensio ob causam est lata, quæ propriè illam Ecclesiam respicit. Thesaurus, verb. Gratia. cap. 2. vers. Aduerte. Si verò alibi beneficia habeat, ea retinebit; sin autem culpa sit contra statum, vel honorem Clericalem, & suspenditur à beneficio, eo quod habitum gestare Clericalem nolit, à perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinet, est eo ipso suspensus. Clem. II. de vita, & honest. Clericor. cum Glossa ibidem, verb. beneficiorum, & innuit Felic. de suspens. cap. 14. in fine. Hæc vsque Bauny. Et antea Suarez disp. 26. sect. 1. n. 12. & penes illum, Abbas in cap. Pastoralis. §. Verum. de appellat. num. 20. Sic etiam Cornejo dub. 4. cit. q. 3. Alterius de suspens. disp. 5. cap. 3. ferè per totum. Filliuc. tract. 17. cap. 3. q. 3. num. 41. Sayrus lib. 4. cap. 6. n. 24. Palao disp. 4. punct. 5. §. 2. numero 2. & alij.

## QVÆSTIO XXXIII.

*An suspensus simpliciter à beneficio, maneat etiam suspensus, à iure percipiendi pensiones?*

**N**egant absolute Abbas, Felin. Selua, Gomez, & alij, quos citat, & sequitur Alterius de suspens. disputat. 5. cap. 1. quest. 2. & cap. 3. col. 4. vers. Sequitur. Megalius etiam in 3. p. lib. 5. c. 1. q. 1. n. 5. Quorum sententiam esse probabilem æquè oppositæ, tentit Diana p. 5. tract. 10. resol. 15. Quia nomine, inquirunt, beneficij, non comprehenditur pensio: ergo suspensus simpliciter à beneficio, non est suspensus à pensione.

Alij verò contra affirmant absolute. Quia, inquirunt, non minus priuat hæc suspensio fructibus Ecclesiasticis, quam excommunicatio: at hæc priuat omni pensione Ecclesiastica, vt habitum est sup. tr. de excommun. disp. 9. q. 35. ergo.

Sed probabilius distinctione respondeo: Suspensum simpliciter à beneficio, manere suspensum etiam à pensione, quæ datur ex titulo spiritali & Ecclesiastico, ratione Clericatus; quia verè est beneficium: non verò à pensione, quæ non datur ex titulo spiritali, & solet laicis conferri: Quia hæc pensio non est verè & propriè beneficium: & ideo qui à beneficio est suspensus, non est censendus suspensus ab hac pensione. Sic Suarez disp. 27. sect. 1. n. 15. Filliuc. tract. 17. cap. 3. quest. 3. numero 42.

## QVÆSTIO XXXIV.

*An suspensus à beneficio, priuatus maneat etiam distributionibus quotidianis, quæ propter diuinas Horas, & Officium, Clericis assistentibus dari solent?*

**N**egant aliqui. Quia existimant, distributiones quotidianas non comprehendi nomine fru-

ctuum beneficiorum, vt sentiunt multi Canonistæ, quos refert, & sequitur Couarru. lib. 3. variar. resol. cap. 13. n. 5. ergo qui suspensus est à beneficio, non ideò censendus est à distributionibus prædictis. Ita Auila 3. p. de suspens. disp. 2. dub. 1. concl. 6. vbi citat Nauarrum cap. 27. n. 160. & Ludouicum Lopez in instructor. cons. parte 2. cap. 97. §. Igitur his præmissis. Ita etiam Præpositus, quem citat, & sequitur Diana parte 5. tractatu 10. resol. 3. in fine. Sentit id ipsum casu, quo distributiones non sint ex fructibus beneficij extractæ, sed ex particulari fidelium fundatione, Palao disp. 4. punct. 5. §. 2. n. 4. & penes ipsum Sayrus & Hurtadus.

Sed probabilius longè respondeo: Manere etiam suspensum & priuatum distributionibus quotidianis. Quia (inquit Suarez) quidquid sit de hac difficultate, quoad alios effectus, seu in aliis rebus, in præfenti non dubito, quin distributiones etiam quotidianæ, sub hoc effectu suspensionis comprehendantur, vt sentit Glossa in Clement. 2. de vita, & honestate Cleric. verb. suspensio, quam alij sequuntur. Et ratio est: quia etiam hæc distributiones dantur ratione beneficij: quamquam enim immediatè dentur propter assistentiam, vel ministerium ad aliquod diuinum Officium; tamen hoc non est præter rationem beneficij, quod ex institutione sua propter Officium datur, & præterea illud Officium non esset sufficiens ratio ad lucrandas distributiones, nisi ex titulo beneficij fierent: sunt ergo illæ distributiones veluti pars quædam beneficij: cum ergo suspensio fiat à toto beneficio, ab his etiam distributionibus obtinendis impedit. Huc vsque Suarez disp. 27. sect. 1. num. 29. Alterius disp. 5. de suspens. capite 3. col. 5. vers. De distributionibus. dicens in hoc consentire omnes, cum Glossa cit. Filliuc. cap. 3. cit. quaestione 4. num. 44. Zabarella, Anchar. Felin. & Vgolin. apud Palaum, vbi supra. Qui idem sentiunt loquendo de fructibus oblationum, decimarum, & aliorum reddituum, de quibus omnibus nos egimus tractatu de excommunicatione, disputatione 9. quest. 35. & 37. Legantur ibi dicta, & ad materiam præsentem applicentur.

## QVÆSTIO XXXV.

*An Episcopus, qui simpliciter suspenditur à beneficio, sit etiam suspensus à Pontificatu?*

**R**espondeo: Affirmatiuè. Quia ex vsu iuris, & omnium in hac parte sententia, sub nomine beneficij Episcopatus comprehenditur, quamuis Episcopi non comprehendantur sub suspensionibus, quæ latæ sunt vniuersaliter contra hoc, vel illud facientes, vt habetur in cap. Quia periculosum. de sententia excomm. in 6. Suarez disp. 27. sect. 1. n. 16. Filliuc. tract. 17. cap. 3. q. 3. n. 42. Alterius disp. 5. c. 3. col. 4. vers. De Episcopatu.

## QVÆSTIO XXXVI.

*An præter assignatas res, sint actiones aliquæ, quibus suspensus à beneficio priuetur?*

**R**espondeo: Aliquas esse. Nam in primis sunt omnes illæ actiones, quæ ad fructus percipiendos, seu augendos, vel alio modo pertractandos, ordinantur; vt sunt locationes beneficiorum, aut eorum bonorum, venditiones fructuum, & in vniuersum administrationem beneficij, ex cap. 1. §. ult. de elect. in 6. & ratio est: quia, cui aliquid prohibitum est, etiam prohibentur ea, quæ ordinantur ad illud; cap. Si celebrat. de Cler. excommun. cum ergo suspensus à beneficio, sit prohibitus à fructuum perceptione; consequenter est priuatus administratione temporali

porali beneficij, quæ ad fructuum perceptionem ordinantur. Vnde talis administratio à suspensio usurpata inualida est, & ideo debitor Ecclesiæ illi soluens non satisfacit. Sic Abbas. Innocent. Felinus, & alij quos citat, & sequitur Suarez *dispur.* 27. *sect.* 1. *num.* 31. Addens tamen, esse necessarium vt sic suspensus nominatim denunciatus sit; nam alioqui, inquit, nemo, tenetur illum vitare: & ideo quilibet poterit Ecclesiastica negotia cum illo transigere, neque propterea culpari poterit: ergo à fortiori valida erunt, quæ ita fiunt, licet ex parte suspensi, non sine peccato per se fiant. Atque idem dicendum cenfeo de permutatione beneficij; nam hæc actio maxime procedit ex dominio in ipsum beneficium, & est vnus ex præcipuis vsibus eius, & non immerito dici potest fructus beneficij; & ideo, qui est simpliciter à beneficio suspensus, ab hoc etiam actu suspensus est: Vnde idem consequenter dicendum est de donatione beneficij, & omnibus actibus similibus. Hucusque Suarez, Filliucius *tractatu* 17. *cap.* 3. *quæsitio* 5. *numero* 45.

## QVÆSTIO XXXVII.

*An suspensio lata, absque loci determinatione, extendatur ad omne beneficium, ubicunque illud sit, aut possideatur?*

Affirmant aliqui, extendi, si suspensio lata sit à Papa; secus verò si ab Episcopo, eo quod iurisdicctio huius nequeat egredi limites sui Territorij: Papæ verò sit vniuersalis totum orbem Christianum attingens. Ita quidem, quos suppressis nominibus refert Alterius *disputatione* 5. *capite* 5. Quibus in re ipse consentit. Ait enim quod quamuis suspensio à beneficio ferri possit non solum à Papa, sed etiam ab Episcopo, ita vt suspensus impediatur non solum iure percipiendi fructus beneficiorum intra diocesim, sed etiam extra Territorium, vt clarè habetur in *cap. Postulasti, de foro compet.* Attamen de facto, si Episcopus suspendat simpliciter quempiam, & non declarat de quibus beneficiis intelligere velit, talis sententia interpretanda sit de beneficiis existentibus in suo Territorio. Ita sentit ille ex Abbate in *cap. Pastoralis, §. Verum, num.* 21. *de Appellat.* Quorum sententiam esse probabilem ait Filliucius *vbi infra*, ex Suariorum citando.

Sed probabilius respondeo: suspensionem prædicto modo latam, etiam ab Episcopo, intelligi de omni beneficio, siue situm sit intra Territorium, siue extra. Ratio est. Quia, ex vna parte, Episcopus ad id habet potestatem, vt benè probat Alterius; & ex altera, locutio illa, cum sit indifferens, æquiualeat vniuersali: ergo talis suspensio de omni beneficio ubicunque sito intelligi debet. Sic Suarez *cap.* 27. *sectione* 1. *numero* 17. Qui benè addit id intelligendum esse, nisi aliunde ex materia, vel causa de qua agitur, constet sermonem esse de aliquibus beneficiis talis, vel talis Ecclesiæ iuxta *cap. Si compromissarius, de elect. in* 6. vel extet consuetudo vt suspensio ab Episcopo lata, solum intelligatur de beneficiis intra suum Territorium. Filliucius *tract.* 17. *cap.* 3. *quæst.* 6. *num.* 47. Vgolinus *tab.* 4. *cap.* 8. *§.* 5. Bonacina *dispur.* 3. *punct.* 3. *num.* 6. Cornejo *disputat.* 2. *de Suspens. quæst.* 3. *vers.* Sed quid si suspensio, quamuis hic Auctor addat, probabilius esse, quod quando Episcopus non declarat suam intentionem, tunc censendum sit, Censuram solum suspendere à beneficiis tantum, quæ intra Territorium sunt. Legantur etiam Sayrus *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 27. Suarez *loc. cit. num.* 22.

## QVÆSTIO XXXVIII.

*An suspensio; lata simpliciter, absque determinatione temporis, semper duret, donec per habentem potestatem auferatur?*

Respondeo affirmatiuè. Quia verba indefinitè prolata vim habent vniuersalem: ergo si absolute fertur suspensio absque vlla determinatione temporis, clarè apparet voluntatem suspendentis fuisse, vt semper duret, donec tollatur per habentem potestatem. Sic Suar. ex Abbate *sect.* 1. *cit.* n. 23. Alter. *dispur.* 5. *cap.* 6. *pag.* 80. Filliuc. *cap.* 3. *cit.* q. 7. n. 48. Bonac. *disp.* 3. *punct.* 3. *num.* 1. Qui addit, quod casu, quo dubiteretur, an suspensio sit perpetua, præsumenda sit temporalis, quia pœnæ restringendæ sunt.

## QVÆSTIO XXXIX.

*An suspensio lata cum temporis determinatione, duret intra tempus determinatum, & tempore elapso, cesset?*

Respondeo affirmatiuè. Quia id ex verbis ipsis, quibus Censuræ suspensio fertur, clarè constat. Qui igitur suspenditur per mensem, v.g. à beneficio, non potest, toto illo tempore continuo, ex quo lata est suspensio, percipere fructus talis beneficij, donec finiatur mensis. Sic omnes. Legantur Suarez, Alterius, Filliucius, Bonacina *loco citato*, & alij penes ipsos.

## QVÆSTIO XL.

*An suspensus peccet mortaliter, exercendo actum, à quo est suspensus?*

Respondeo tanquam certum: peccare mortaliter ex genere suo. Quia directè agit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui: ergo ex genere suo violare huiusmodi legem, erit mortale. Dixi, ex genere suo, quia ex paruitate materiæ potest esse veniale: vt si suspensus à iurisdictione recipiat vnum testem, vel suspensus ab Ordine exerceat vnum actum annexum Ordinis Minorij; vel suspensus ab ingressu Ecclesiæ, commoretur in ea per paruum tempus, quando celebrantur diuina. Sic Auila *p.* 3. *disp.* 2. *dub.* 2. secutus Nauarrum *c.* 27. *n.* 163. Henriq. *lib.* 13. *c.* 33. *n.* 2. Ledesma. *p.* 4. *q.* 26. *art.* 2. *tract.* de suspens. *in princip.* & alios Magistros. Sic etiam Sayrus *lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 8. Suarez *disp.* 27. *sect.* 2. Filliucius *tract.* 17. *cap.* 10. Reginald. & Egidius, quos citat, & sequitur Bonacina *disputat.* 3. *de suspens. punct.* 4. *num.* 1. Hurt. *de Suspens. diff.* 5. Alter. *disp.* 6. *cap.* 1. Cornejo *disputat.* 2. *de Suspens. dub.* 1. *quæsitio* 1. Bauny *de Suspens. quæst.* 12. *pag.* 372. Palao *disputat.* 4. *punct.* 6. *num.* 1. & alij communiter. An autem suspensus violans suspensionem fiat irregularis, dicemus in *tract.* de irregularitate. An etiam possit in aliquo casu necessitatis licitè administrare Sacramenta, ex dictis *tract.* 1. *de Censur. in communi*, & *tract.* de excommunicatione, clarè tibi constabit.

## QVÆSTIO XLI.

*An teneantur fideles vitare suspensum, in rebus, à quibus suspensus est?*

Affirmat Nauar. *cap.* 27. *num.* 163. *in fine*, quatenus hæc dicit: Nonnò infertur, quod sicut tenemur vitare excommunicatum in omnibus, per supradicta eodem *cap.* n. 26. & seq. ita suspensum in eo à quo est suspensus; & non vitando in diuinis Officiis, & in actibus

actibus deputatis suis Ordinibus, peccamus mortaliter si est denunciatus, aliàs non, per Extrauag. *Ad euitanda, relata supra num. 25.* Hæc Nauarrus. Quem videtur sequi Bonac. *disputat. 3. punct. 4. num. 5.* & penes illum, Sà, *verb. Suspendio.*

Sed probabilius respondeo: non teneri fideles ex vi præcepti Ecclesiastici vitare suspensum, etiam in his rebus à quibus suspensus est; nisi in casu quo quis cooperaretur cum suspensio in delicto, & malo vsu ministerij. Vtraque pars probatur: quia nullibi reperitur præceptum Ecclesiasticum prohibens communicare cum suspensio, sicut datur præceptum prohibens communicare cum excommunicatis non toleratis, quidquid sentiat meus Nauarrus. Huius ratio differentia est, quod suspensio non respicit per se communicationem cum fidelibus, sicut respicit excommunicatio; cum hæc omnibus, quibus priuat, est in quantum sunt quædam communicatio cum fidelibus. Non ergo erit peccatum, adhuc veniale, communicare cum fidelibus, in actibus à quibus suspensus est; nisi quando talis communicatio fuerit quædam cooperatio cum illo in delicto, & malo vsu ministerij: nam tunc erit peccatum contra legem naturalem, & diuinam; si quidem cooperari peccato alterius intrinsecè malum est. Sic Henriquez *lib. 13. cap. 5. §. 5. & cap. 33. §. 3.* Auila *3. part. disput. 2. dub. 4.* Suarez *disputat. 27. sect. 2. num. 7.* Sayrus *cap. 11. num. 6.* Cornejo *disput. 2. de suspens. dub. 1. quest. 3.* Diana *p. 5. tract. 10. resolut. 20.* Palao *disput. 4. punct. 6. num. 2. & 3.* & alij. Qui addunt, tunc dici quem cooperari peccato suspensio, quando videlicet, extra casum necessitatis inducit suspensum denunciatum ad exercendos actus à quibus est suspensus.

#### QVÆSTIO XLII.

*An, qui audit Missam Sacerdotis nominatim suspensi à diuinis, peccet mortaliter?*

Affirmant absolutè Nauarrus, Sà, & Bonac. *loc. cit.* & Megalius *in 3. part. lib. 5. cap. 5. q. 1. num. 2.*

Sed probabilius respondeo: non peccare mortaliter, modò, qui Missam audit non inseruiat dicto Sacerdoti ad Altare; nec inducat illum ad celebrandum. Constat clarè ex doctrina nuper tradita. Et ideo sic sentiunt Henriquez, Auila, Cornejo, Diana, & Palao, *loc. cit.* Sayrus, Suarez, Præpositus, & alij penes ipsum. Legantur dicta à nobis, *part. 3. tract. 2. de Auditione Missæ disputat. 2. à quest. 8.* vbi alij Doctores, pro hac parte, loquendo de Sacerdote personaliter interdicto, à nobis sunt citati.


#### QVÆSTIO XLIII.

*An, si suspensus faciat actus, à quibus suspensus est, sint validi?*

Respondeo tanquam certum: Actus Ordinis esse validos: secus verò actus iurisdictionis factos à suspensio nominatim denunciato. *Prima pars* constat: quia Ecclesia nequit inualidare actus characteris exercitos à Ministro circa debitam materiam, & formam; quamuis possit sua prohibitione reddere illos illicitos. Sic communiter DD. Qui in hac re, non comprehendunt absolutionem sacramentalem, quia hæc non est actus Ordinis, sed iurisdictionis.

*Secunda verò pars*, etiam patet: Quia suspensus nominatim ab officio est priuatus actuali iurisdictione, & vsu eius: ergo eius actus minimè erunt validi. Secus verò est dicendum casu quo suspensus non sit denunciatus, quia tunc, quamuis suspensio sit publica, acta eius valida erunt. Quæ omnia ita esse,

constat ex dictis tractatu 2. de excommunicatione. Sic Henriquez *lib. 13. cap. 33. num. 2.* Auila *3. part. disput. 2. dub. 3.* Suarez *disput. 27. sect. 2. num. 2.* Cornejo *disput. 2. dub. 1. quest. 4.* Filliucius *tract. 17. cap. 10. quest. 3.* Bonac. *disput. 3. punct. 4. num. 7.* Diana *part. 5. tract. 10. resolut. 11.* Bauny *tractatu de Suspend. in Epitome, cap. 5. pag. 393.* Hurtad. *difficult. 5. num. 14.* & alij.



### DISPUTATIO IV.

#### De Suspensionibus in particulari, quæ à iure late sunt.

##### §. I.

#### De Suspensionibus latis contra Clericos.

##### QVÆSTIO PRIMA.

*An, qui ordinatur ab Episcopo heretico, aut schismatico, aut excommunicato nominatim, aut Simoniaco declarato; suspensus ab Ordine suscepto maneat?*

RESPONDEO affirmatiuè. Quia sic habetur in cap. 1. & 2. de schismat. & ita tenent communiter DD. idem sentientes de illo, qui ordinatur ab Episcopo Simoniaco declarato, ex cap. *Si qui à Simoniaco* 1. q. 1. & ex cap. *Ordinationes* 9. q. 1. & ex cap. *Pertuas, de Simonia.* Sic Nauar. *cap. 25. n. 69.* Henriq. *disp. 13. cap. 37. n. 4.* Suar. *disp. 31. & 35. sect. 4. num. 34.* Bonac. *disp. 3. punct. 5. §. 1. num. 7.* Hurtad. *de suspens. diff. 13.* Cornejo *disp. 4. de suspens. casu 12.* & omnes. Quamuis dubium squens inter illos verferur:

An videlicet, incurrat hanc suspensionem etiam, qui ignorans, Episcopum esse hæreticum, excommunicatum, &c. ab illo Ordinem recipit. Affirmant namque Suar. *disp. 35. sect. 4. n. 63.* Filliuc. *tr. 17. c. 5. q. 4. n. 81.* Auila *p. 3. disp. 5. dub. 8.* & penes illum, Nauar. *cap. 27. n. 241.* Angel. Sylu. Armilla, Tabiena, & Couar. Bonac. etiam *loc. cit.* Sayrusque penes illum, & alij.

Sed alij, æquè probabiliter negant, eo quod nulla suspensio incurritur, nisi ob peccatum mortale, quod non committit ignorans inculpabiliter defectum Episcopi, & quidem loquendo de ignoranter ordinato à schismaticis excommunicatis, habetur id in *Can. Ordinationes, cit.* & de ignoranter ordinato à Simoniaco in *Can. Si qui à Simoniaco*, & in *Can. Pertuas, nuper citatis.* Abbas in cap. *Veritatis, de dolo, & contumacia* num. 46. Innocent. in cap. 1. de schismaticis, Rodriguez *tom. 2. cap. 19. fol. 345.* Hurtadus *de Suspend. difficult. 13. num. 34.* & innuit clarè Henriquez *lib. 13. cap. 39. num. 1.* Palao *disput. 4. punct. 10. num. 2.* qui & citat Egidium pro se, sed non benè omnino.

Sed clarius, & verius respondeo: dicendum, prædictos sic Ordinos non incurrere veram suspensionem, vt probant iura, & ratio ab Auctoribus secundæ sententiæ adducta: sed ad summum, aliquam inhabilitatem, quæ, eos, præsertim in foro externo, ab executione Ordinum impediatur, donec ad ministrandum à legitimo Iudice facultatem accipiat; quia id non obscure colligitur ex cap. 1. de *Ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatu renunc.* Sic omnino Egidium *disputat. 15. dub. 5. num. 34.* Addens cum Suar. & Auila, quod contra facientes non incurrant irregularitatem.

## QVÆSTIO II.

An etiam maneat suspensus ab Ordine suscepto, qui Ordinatur ab Episcopo, qui Episcopatui renunciauit?

**R**espondeo tanquam certum: manere suspensum. Quia id habetur in cap. 1. cit. de Ordinatis ab Episcopo, qui Episcop. renun. Quæ suspensio referuatur Papæ: & non extenditur ad recipientes Minores Ordines, cum in iure talis suspensio non extet. Nam quæ habetur in d. cap. 1. citato, solum tangit recipientes Ordines sacros, non minores. Sic omnes. Nauarrus cap. 27. n. 241. Henriq. lib. 13. cap. 29. n. 1. & apud illum Angel. Syluest. Tabiena, Armilla, Palud. Sorus, & alij. Suarez disp. 31. n. 3. Filliuc. tract. 17. cap. 5. n. 76. Bonac. punct. 5. §. 1. num. 8. Cornejo loc. citat. casu 6. Palao disput. 4. punct. 10. num. 1. & alij.

## QVÆSTIO III.

An, qui ante legitimam ætatem, aut extra tempora, recipit Ordines sacros, maneat ipso iure suspensus ab Ordinibus sic susceptis?

**R**espondeo tanquam certum: manere. Quia vt diximus 2. part. tract. 6. disput. 6. quest. 9. sic habetur iure nouo in quadam Extrauaganti Pij II. quæ incipit cum ex sacrorum, confirmata à Pio V. in suis Sanctionibus Apostolicis, Sanctione 22. Et in altera Extrauag. Sixti V. quæ incipit, Sanctum, & salutare, versu, Nihilominus. Sic omnes. Legantur præcipue Nauarrus cap. 27. num. 141. & 154. Couarruias in Clement. si furiosus, part. 1. §. 1. num. 4. Diaz in sua pract. cap. 26. Auila 3. part. disput. 5. dub. 7. Suarez disput. 31. sect. 1. à num. 22. Rodriguez in Bullario, fol. 297. Palao disputat. 4. punct. 10. §. 1. num. 6. Ægidius disputat. 15. dub. 5. num. 36. & alij mox citandi. Qui circa huiusmodi suspensionem, nonnulla mouent dubia. Sit

*Primum dubium.* An, qui in Gallia Ordinem sacrum, ante legitimam ætatem; vel facultatem, vel extra tempus legitimum, recipiunt, ipso facto facto, ab Ordine sic suscepto, suspensi maneant?

Affirmant communiter DD. Quia Romana Ecclesia, sic vbicunque ad Ordines sacros promotos, pro suspensis habet: ergo. Nauarrus loc. cit. Suarez sect. 1. cit. num. 31. Alterius tom. 2. disputat. 10. cap. 1. dub. 2. Bonac. & alij communiter.

Negat nihilominus Bauny de Suspens. q. 18. §. Quæritur, pag. 178. Quia existimat, in Gallia saltem, dictam Pij constitutionem, aut nunquam fuisse receptam, aut si aliquando, vsu iam esse abrogatam. Quod loquendo de cæteris constitutionibus Pontificis, Sixti videlicet V. & Clementis VIII. qui Bullam dicti Pontificis confirmauit, moderando illam quoad pœnas in ea inflictas affirmat Bauny nunquam Gallis innotuisse. Quod si hoc est verum, non dubito, beneplacitum Bauny esse probabile, & in eo casu standum esse iuri antiquo, cap. Vel non compos, de tempor. Ordination. vbi sic Ordinatus suspendendus præcipitur. Iuxta probabiliorem sententiam.

*Secundum dubium* sit: An, qui ante ætatem, & c. Ordines etiam Minores, accipiunt, pariter sint, eo ipso, à susceptis Ordinibus suspensi?

Respondeo: non esse ipso facto suspensos, sed suspendendos, per cap. Vel non est compos, cit. Ratio est: quia Bulla Pij II. solum loquitur de suscipientibus Ordines Maiores. Vnde fit, quod qui ante sententiam suspensionis latam, celebrat in Minoribus Ordinibus, ante legitimam ætatem susceptis, non fit irregularis. Sic Suar. disp. 31. sect. 1. à n. 22. Sayr. lib. 4. c. 14. num. 11. Auila disputat. 5. de Suspens. dub. 7. Filliucius R. P. Leand. de Censuris,

tract. 29. num. 175. Bauny loc. cit. vers. Secunda conditio. Cornejo disput. 4. de Suspens. casu 3. Miranda, Zerola, Toletus, Henriquez, Diana, Philibertus, & alij citati à nobis part. 2. tract. 6. de Ordine disputat. 6. quest. 19. & nouissime Palao disputat. 4. punct. 10. §. 1. num. 6. vers. Qui igitur.

*Tertium dubium* sit. An etiam incurrat hanc suspensionem, qui bona fide, ante legitimam ætatem Ordinem sacrum suscepit?

Respondeo: non incurrere. Quia ad hanc pœnam incurrandam, vel præsumptionem, vel adminus scientiam, seu ignorantiam affectatam, iuxta Autorum varia placita, omnes exigunt: quæ omnia longè absunt ab eo qui bona fide, credendo se ætatem idoneam habere, sacrum Ordinem recipit. Sic Nauar. cap. 27. n. 154. & de ætate, & qualitat. ordinand. consil. 3. & alibi. Henriquez cap. 38. num. 1. in fine. Auila disput. 4. de Suspens. dub. 7. cit. vers. Pro intelligentia, qui ad incurrandam hanc suspensionem dolum adhuc requirunt. Toletus lib. 1. cap. 61. Suarez disput. 31. sect. 1. n. 26. Filliuc. tract. 17. cap. 5. num. 84. Portel, & Miranda, Villalobos, & alij quos citat, & sequitur Diana 3. p. tract. 4. de Sacram. resolut. 182. & 192. docentes ad hanc suspensionem contrahendam requiri dolum, vel saltem culpam latam & mortalem. Bauny quest. 18. de Suspens. column. 5. vers. Primò, quia pœna, & col. 6. vers. Prima est. Caualer. decis. 1. Bonacina disputat. 3. punct. 5. §. 1. num. 2. Ægidius loc. cit. num. 36. Cornejo loc. cit. & Præpositus, Hurtadus, Philibertus, quos citauimus 2. part. disputatione 6. cit. quest. 12. vbi absolute, vt probabilius docuimus, ad incurrandam hanc suspensionem, requiri præsumptionem, & dolum.

*Quartum dubium.* An, si sic bona fide Ordinatus, adueniente mala fide, ante legitimam ætatem celebret, incurrat irregularitatem, vel saltem peccet mortaliter?

Affirmat vtrumque Philibertus tract. 3. de Ordine part. 5. cap. 3. num. 11.

Negant verò contrà alij docentes, sic bona fide Ordinatum, nec incurrere irregularitatem, nec mortaliter peccare, ante ætatem celebrando. Ita Nauarrus, & Machado, citati à nobis 2. parte tractatu 6. disputatione 6. Quorum sententiam esse probabilem affirmant Petrus Ledesma, & Ludouicus de S. Ioan. ibi à nobis adducti.

Sed probabilius respondeo: peccare quidem mortaliter; eo quod cum mala fide celebret ante ætatem à iure requisitam: non tamen incurrere irregularitatem: quia cum à principio non incurrerit suspensionem, vt supra est habitum, etiam si adueniente mala fide celebret, irregularitatem non incurret. Sic Diana 3. part. tract. 4. resolut. 182. secutus Peyrinum, Nauatrum, Quarantam, & Mirandam, & Villalobos tom. 1. tract. 11. diffic. 11. n. 7. Sic etiam Suarez, Nunez, Toletus, Bonacina, & Ludou. de S. Ioanne, quos vbi supra 2. part. tract. 6. disput. 6. quest. 13. citauimus.

*Quintum dubium.* An ille, qui ob receptionem Ordinis sacri ante ætatem, mala fide suscepti, suspensus manet; possit, ætate completa, absque vlla Superioris dispensatione, celebrare?

Affirmant Corduba in sum. casu 144. Sot. in 4. dist. 25. q. 1. art. 2. in fine. Medina in sum. lib. 1. c. 11. §. 8. Passarell. Zerola, & Sorbus apud Peyrinum in priuileg. Minor. tom. 1. constit. 1. Iulij 11. §. 16. n. 21. Quos ex Diana loc. cit. citauimus 2. part. tract. 6. disput. 6. quest. 15.

Sed probabilius respondeo: non posse absque dispensatione celebrare. Quia, qui mala fide, ante legitimam ætatem Ordinem sacrum recepit, verè incurrit suspensionem, eaque ligatus manet; vt sup. est habitum: ergo non satis est legitimæ ætatis completio, sed necessaria omnino absolutio à prædicta suspensione. Sic Cornejo loc. cit. casu 3. vbi notat, & benè,

quod quamuis iste sic Ordinatus, ante complementum ætatis absoluat ab hac suspensione, adhuc non possit in Ordine suscepto ministrare. Sic etiam Diana 3. *part. tract. 4. resol. 182. cit. & p. 5. tract. 10. resol. 34.* Henriquez *lib. 13. cap. 38. n. 1. Syluest. Mandof. Couar. & alij penes ipsum.* Vterque Rodriguez, Bonac. & Philibertus, quos pro hac parte *loc. cit.* adduximus. Qui contrarium, ut ibi notauimus, docent de illo qui bona fide ante legitimam ætatem, Ordinem sacrum suscepit. Nam hic completa ætate legitima, licite poterit absque dispensatione vlla celebrare, aut actum sui Ordinis exercere; eo quod hic propter suam bonam fidem, nunquam fuit suspensus, & ideo non indiget dispensatione ad celebrandum. Sic etiam Pal. *disputat. 4. puncto 10. §. 1. num. 6.* Suarez *disputatione 31. sect. 1. num. 23.* Bonacina *suprà punct. 1. in fine,* & alij.

*Sextum dubium.* An, qui mala fide Ordinem maiorem, v. g. sacerdotium ante legitimam ætatem recepit, non solum maneat suspensus ab exercitio sacerdotij; sed etiam ab exercitio aliorum Ordinum, nempe Diaconatus, & Subdiaconatus, &c. ante legitime susceptorum?

Affirmant Philibertus *de Ordine tract. 1. p. 5. cap. 3. num. 8. pag. 8c.* Rodriguez *in summa, cap. 164. num. 2. pagina mihi 522.* Ledesma *in summa, cap. 7. de Ordine post 1. conclus. & Villalobos tom. 1. tract. 18. difficult. 18. num. 2.* & apud illos, Nauarrus, ut vidimus 2. *parte disput. 6. cit. quest. 10.*

Sed probabilius respondeo: non manere suspensum, nisi ab Ordine; v. g. sacerdotio, mala fide suscepto. Quia pena non sunt extendendæ extra casus proprios. Sic Henricus *lib. 13. cap. 32. n. 2.* & penes illum, Nauar. *lib. 5. consil. tit. de sent. excom. cons. 53. fol. mihi 191.* Tolet. Auila, Scottia, quos affert, & sequitur Diana 3. *part. tract. 4. resol. 182. & p. 5. tract. 10. resol. 45.* Machado etiam, quos omnes pro hac nostra sententia adduximus *q. 10. citata.* Quibus adhuc addi possunt Cornejo *casu 3. citato,* & alij quos *suprà disput. 3. q. 14. retulimus Palao disput. 4. punct. 10. §. 1. num. 6.*

*Septimum dubium.* An Sacerdos, qui mala fide, ante legitimam ætatem, sacerdotium accepit; non solum maneat suspensus, sed etiam irregularis, consecrando simul cum Episcopo ordinante?

Affirmant Nauarrus *lib. 5. consil. 8. de Clerico excommunicante ministrante, fol. mihi 135.* Sorbus, Couarruias, Barbosa, Bonac. Daza, & Vasquez, relati à nobis 2. *part. tract. 6. disput. 6. quest. 17.*

Sed probabilius iterum respondeo: suspensum manere: irregularitatem tamen non incurere. Quia quamuis verum sit, quod Sacerdotes, qui suspensi celebrant, irregularitatem incurant: at tamen ille, qui Presbyter initiatur, & consecrat cum Episcopo Ordinate, non est adhuc completè Sacerdos, cum non sit ei adhuc concessa potestas absoluendi à peccatis, & ideo non potest incurere irregularitatem. Sic Henriquez *lib. 13. cap. 10. n. 1. lit. F.* Suarez *disput. 31. sect. 1. num. 70.* Ægidius *disput. 15. (per errorem pag. 16.) dub. 5. n. 36.* Diana *part. 5. tract. 10. resol. 37.* Hurtadus *de suspens. difficult. 13. num. 13.* Syluester, Maiolus, Medina, Sayrus, Vgolinus, Quaranta, Naldus, Homobonus, Marcerus, Philibertus, & Additionator, Nauarri, quos omnes pro hac parte citauimus 2. *part. quest. 17. nuper citata.* Vbi *quest. 18. sequenti,* idem docuimus cum Suarior, Ægid. Mercero, & Diana, contra Hurtadum, & Auilam loquendo de Subdiacono, & Diacono, nempe; non incurri irregularitatem ordinationem ante legitimam ætatem, cantantes Epistolam, & Euangelium in Missa, quam Episcopus Ordinans celebrat.

*Octauum dubium.* An confessarius possit vi Bullæ Cruciatæ, absoluere quem à Suspensione incurfa per receptionem Ordinis maioris, ante legitimam ætatem?

Negant Rodriguez *in addit. ad Bull. Cruc. §. 9. n. 59.* Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 13. (non 18. ut ego ex Machado malè aliàs citaui) num. 3. in textu, & in marg. lit. C. & alij.*

Sed probabilius respondeo: posse. Quia Bulla absolute, & simpliciter concedit facultatem absoluendi ab omni Censura: sed prædicta suspensio incurfa per Ordinationem ante legitimam ætatem est verè Censura: ergo optimè potest quis, vi Bullæ, à Confessario absolui. Non tamen ministrare ante ætatis complementum; quia absolutio suspensionis solum, non ætatis, tollit impedimentum. Sic Medina, Cordub. Perez, Cano, Bañez, Ludou. Legionenf. Balbas, & Martinez, quos ex Henric. citauimus pro hac sententia 2. *part. tract. 6. disput. 6. quest. 16.* Diana *part. 5. tract. 10. resol. 5.* & penes illum, Medina, Auila, Trullench, & Cornejo. Tenent etiam Nauarrus, (ut citat Henriquez *loc. cit. lit. T. cap. 27. num. 162.*) Ludouic. de S. Ioanne *questione 2. de Ordine, artic. 8. dubio 5.* Machado *lib. 1. summ. part. 3. tractatu 10. docum. 8.*

#### QVÆSTIO IV.

An Ordinatus per saltum, recipiendo Ordinem Superiorem, inferiori prætermisso; maneat ipso iure suspensus ab Ordine sic suscepto?

**N**egant suspensum esse, ipso iure, ab Ordine per saltum suscepto, sed esse suspendendum, Archidiacon. Geminian. Præpositus, & Turrecrem. *in cap. Si celebrat. de Cler. excommunic. ministr.* Angel. *verb. Irregularitas, num. 36.* Armilla *num. 68.* & Tabiena *Irregularitas 4. §. 2. concl. 5.* & Acuña *in Decretum part. 1. dist. 52. num. 9.* Quorum sententiæ adhæret Diana *part. 5. tractatu 10. resol. 27.* Bauny *de suspens. quest. 20.*

Sed probabilius respondeo: Manere suspensum ab Ordine sic suscepto ipso iure. Quod quidem procedit etiam loquendo de suscipiente Ordines Minores, ut infra. Intelligendum tamen est de ordinatione culpabili, aut mala fide facta, quia hæc suspensio est Censura, & pena. Sic colligitur, aut constat ex cap. *Solicitude, distinct. 62.* & cap. *unico, de Clerico per saltum promoti,* & Trident. *sess. 23. cap. 14. de reformat.* & docent communiter Doctores, Suarez *disput. 31. sect. 1. n. 44.* Ægidius *disput. 15. dub. 5. num. 40.* Cornejo *de suspens. disputat. 4. casu 4. pag. 729.* Hurtadus *difficult. 13. de suspens. num. 39. versu, Sexto Ordinatus per saltum.* Bonacina *disputat. 3 puncto 5. §. 1. num. 6.* Filiuc. *tr. 17. num. 92.* Auila *part. 7. de Censur. disput. 9. dub. 2. concl. 2.* & penes illum Henriquez *lib. 7. de Indulgent. cap. 13. num. 5. post lit. M.* D. Anton. 3. *part. tit. 27. cap. 4. col. 3.* Sotus *distinct. 25. quest. 1. artic. 3. column. penult. casu 3.* Syluest. *verb. Irregularitas q. 11.* Hostiens. & Panormit. Nauar. *c. 25. n. 71.* Alter. *disp. 10. de dispensc. 5. col. 4. & 5.* Pal. *disp. 4. punct. 10. §. 1. n. 9.* Viuald. *de suspens. n. mihi 48. vers. Vndecima suspensio,* & alij plures apud Dianam.

*Primum dubium.* An, qui per saltum Ordinem suscepit, suspensus solum maneat ab exercitio Ordinis suscepti; an etiam ab exercitio aliorum, quos ritè suscepit?

Affirmat ab omnibus manere suspensum, Maiolus *de irregularit. lib. 4. cap. 12. n. 2.* quatenus indefinite ait, Ordinatam per saltum, non posse sine dispensatione ascendere, neque ministrare. Et Nauarrus *cap. 27. num. 242.* apud Dianam *vbi infra.*

Sed probabilius respondeo: solum esse suspensum ab Ordine, què per saltum suscepit, non ab alijs Ordinibus, quos legitime recepit. Quia ita colligitur ex cap. *unico, de Cler. per saltum promoti,* in vltimis verbis. Sic communis DD. Syluester, Sotus, Bernard. Diaz, quos citat, & sequitur Alterius *cap. 5. cit. col. 5. vers. Respondeo*

*Respondeo ex communi sententia.* Henric. lib. 7. de Indulg. cap. 13. n. 5. Auila part. 7. disput. 9. sect. 1. dub. 2. concl. 2. Cornejo dub. 1. citat. casu 4. quæst. 1. Henriquez lib. 14. cap. 6. num. 3. & penes illum, lit. G. Nauarrus n. 242. apud eundem. Et certè melius citatur pro hac parte, quàm pro contraria. Sic etiam Diana p. 5. tract. 10. resolut. 28. Riccius, Bonac. Suarez, & alij.

*Secundum dubium.* An, qui ordinatus est per saltum, possit Ordinem prætermissum recipere, sine dispensatione?

Affirmat Auila loco nuper cit. concl. 1. Quia non datur textus, ex quo impedimentum ad recipiendum talem Ordinem prætermissum, colligatur.

Sed probabilius respondeo: non posse huiusmodi Ordinem recipere, sine dispensatione Superioris. Quia non est verum, quod non detur textus, à quo inhabilitas ad recipiendum Ordinem prætermissum, colligatur. Nam (vt benè Alterius) huiusmodi inhabilitas suscipiendi Ordinem omissum, verè est effectus, impositus ab ipso iure suspensioni latæ contra recipientes Ordinem per saltum: non enim imponuntur duæ pænæ, altera irregularitatis, altera suspensionis, sed fertur vnica suspensio, duos habens effectus: ideo enim prohibetur Ordinem omissum recipere, vt valeat vnquam absque dispensatione ministrare in recepto. Hinc inferitur, vt obtenta dispensatione ad recipiendum Ordinem omissum, statim maneat Ordinatus per saltum, immunis à suspensio, qua erat prohibitus, ne ministrare posset in Ordine per saltum recepto. Cum primum enim promotus fuerit ad Ordinem, quem prætermiserat, absque alia dispensatione poterit actus omnium Ordinum exercere. Hucusque Alterius tom. 2. disp. 10. de suspens. cap. 5. col. 6. Et antea Nauarrus cap. 27. n. 242. Henriquez lib. 14. cap. 6. num. 3. (non 4. vt offendet apud Auilam) ibi: Quia quamuis per Bullam, aut priuilegium ab ea suspensione absoluatur, non potest ante dispensationem recipere Ordinem omissum, aut vltiorem. Sic etiam Ægidius disp. 15. dub. 5. num. 40. Palao de Censur. disput. 4. punct. 10. §. 1. num. 9.

*Tertium dubium:* An etiam suspendatur ipso facto, qui ordinatur per saltum in Ordinibus minoribus: aut, qui relictis Ordinibus minoribus, Ordinem Subdiaconatus recipit?

Negant aliqui. Quia iura, quæ loquuntur de malè promotis, solum loquuntur de malè promotis ad Ordines sacros; non verò de malè promotis ad Ordines Minores: ergo pænæ non sunt extendendæ ad illos, qui per saltum ad Ordines Minores promouentur, aut ad illos, qui relictis Ordinibus Minoribus, Ordine Subdiaconatus initiuntur. Antecedens probatur clarè. Quia cap. *Sollicitudo*, dist. 52. solum loquitur de illo, qui, omisso Ordine Subdiaconi, suscepit Ordinem Diaconi, & Presbyteri. Et caput *unicum*, de Clerico promotus per saltum, solum loquitur de Subdiacono, qui omisso Ordine Diaconi, recepit Ordinem Sacerdotis. Ita tenet Portellius in respons. part. 3. casu 41. quæst. 2. num. 3. ex Nauarro consil. 28. de sentent. excommunic. à num. 11. vsque ad 15. Quos sequitur Diana part. 5. tract. 10. resolut. 47. nec non Aufonius in eius summa, verb. Ordinis subiectum, n. 24. & Bauny de dispens. quæst. 20. in fine.

Sed probabilius respondeo: etiam suspendi ipso iure & facto. *Primo*, quia iuxta nostram sententiam quam tradidimus 2. part. tract. 6. disput. 1. q. 6. Ordines Minores sunt etiam Sacramenta, sicuti sunt maiores: ergo eadem ratio est puniendi promotos per saltum in Ordinibus Minoribus, ac in maioribus.

*Secundò*, quia ita decisum, ac declaratum fuit à sacra Congregat. Cardinalium anno 1588. vt refert Cornejo loco nuper cit. ergo. Sic ipse Cornejo casu 4. cit. pagina 729. Nauarrus cap. 27. num. 242. vers. Sextò R. P. Leand. de Censuris.

dico. Riccius part. 4. decis. 108. num. 4. Campanil. in diuer. iur. Censur. tab. 10. cap. unico, num. 6.

*Quartum dubium.* An, Episcopus, possit in hac suspensione dispensare?

Negat ex parte Zerola in praxi Episcopali, verb. Irregularitas, dub. 3. quatenus docet, posse Episcopum dispensare cum illo, qui vult promoueri ad Ordinem omissum, si id secretò faciat, nõ verò si faciat publicè.

Sed probabilius longè respondeo: posse cum sic promotus per saltum Episcopum dispensare, vt videlicet, prætermissum Ordine suscipiat, & vt in Ordine malè suscepto ministret, & ad superiores ascendat, quamuis delictum sit publicum; dummodo talis sic Ordinatus, in malè suscepto Ordine, vel in prætermisso, non ministraverit ante dispensationem; quia tunc iam incurreret irregularitatem à qua solus Papa dispensare potest, modo delictum sit publicum, nam si occultum sit etiam poterit Episcopus, ex Concil. Trid. sess. 24. sess. 6. de reform. Fundamentum huius sententiæ est, quia ipsummet Tridentinum ita concessit Episcopis sess. 13. de reform. cap. 14. Et ideo sic sentiunt Nauar. cap. 25. n. 71. & cap. 27. n. 242. Henric. lib. 14. c. 6. n. 3. Suar. disp. 3. 1. sect. 1. n. 51. Auila p. 7. disput. 9. sect. 1. dub. 2. vers. Sequitur secundò. Sayr. lib. 5. cap. 14. num. 26. & 27. Maiolus, & Rodrig. Quos omnes citat, & sequitur Diana part. 5. tract. 10. resolut. 27. vers. Notandum tertio. Cornejo casu 4. cit. quæst. 2. Bonac. disput. 3. de suspens. punct. 5. §. 1. num. 6. Alterius disput. 10. de Suspensione, cap. 5. col. 5. vers. Hoc in loco.

*Quintum dubium.* An huiusmodi suspensio contracta per ordinationem per saltum, tolli etiam possit per Bullam Cruciatæ?

Respondeo posse absolute; & adminus in foro conscientie. Quia, vt supra vidimus, Bulla absolute, & sine distinctione concedit facultatem absoluendi ab omni Censura, sub qua suspensio, vt talis, continetur: ergo. Sic apud Dianam, & Aufonium, Granados in 3. part. tract. 5. de suspens. disp. 4. casu 4. q. 2. Sed certè per errorem citatus fuit hic Granados, pro Petro Cornejo, qui loco cit. id docet non Granados. Sic etiam Diana resolut. 27. cit. & Aufonius in sua sum. verb. Ordinis subiectum, num. 25. in fine.

Q V Æ S T I O V.

An, qui innodati Censura aliqua excommunicationis, maioris, suspensionis, vel interdicti, Ordinem maiorem suscipiunt, suspensi sint ipso iure?

**R**espondeo esse ipso iure suspensos. Constat ex cap. *Cum illorum*, de sent. excom. non in 6. vt citatur à Soto, sed in decretalib. Quia quamuis textus dicat, esse deponendum excommunicatum, qui Ordinem recipit, tamen ex consequentibus constat, deponitionem esse latam, non ferendam. Sic Nauar. cap. 25. n. 72. vers. Decimò peccat. & c. 27. n. 241. (nõ 24. vt leges apud Bonac.) in princ. Henric. lib. 14. c. 6. n. 4. Sot. in 4. dist. 25. q. 1. art. 3. Suar. disp. 3. 1. sect. 1. n. 17. Auila p. 7. disput. 9. sect. 1. dub. 6. concl. 2. Ægidius disputat. 14. num. 32. & disput. 15. num. 41. Filliuc. tract. 17. cap. 5. n. 94. Bonac. disput. 3. punct. 5. §. 1. num. 10. Palao disput. 4. punct. 10. §. 1. num. 3. Alterius de suspens. disput. 10. cap. 6. col. 1. & 2. Qui cum alijs hoc putat verum esse loquendo de quacunque excommunicatione maiori, non minori, innodatis, & etiam de suspensis, & interdictis. Sed circa hanc suspensionem fit

*Primum dubium.* An etiam maneat suspensus, qui aliqua Censura innodatus, recipit Ordines minores.

Negant apud Castrum Palao, Nauar. lib. 5. consil. tit. de excomm. consil. 28. à num. 2. & Auila 7. p. disput. 9. sect. 1. dub. 6.



Respondeo : manere. Quia cap. *Cum illorum*, cit. absolute de Ordinibus loquitur : ergo de omnibus est intelligendum. Sic expressè Nauarrus, Filliucius, Alterius, Bonacina, & Palao loco cit. Qui secus dicunt, de recipiente primam Tonfuram in excommunicatione, aut alia Censura. An autem recipiens Ordines in excommunicatione, fiat etiam irregularis, dicemus tract. de Irregularit. Nec Nauarrus, & Auila sunt contra nos, vt putat Palao. Quia dicti Doctores, solum docent, non manere irregulares, qui excommunicatione innodati, ordines minores suscipiunt, de quo dubio aliàs.

*Secundum dubium.* An hanc suspensionem incurrat excommunicatus, aut suspensus, &c. qui ex probabili ignorantia, vel inaduertentia suæ excommunicationis, aut suspensionis, &c. aliquem Ordinem recipit?

Affirmant quàm plures ex cap. *Cum illorum*, citat. vbi in casu ignorantiae facti, aut iuris, quando recipiuntur Ordines in excommunicatione, dicitur necessaria dispensatio Episcopi : ergo supponitur suspensio præcedens, aliàs non esset necessaria dispensatio. Ita Maiolus lib. 4. de irregular. cap. 34. num. 4. Couarruias in cap. *Alma mater*, part. 1. §. 6. num. 6. Abbas, Ananias, & Specul. quos citat, & sequitur Alterius disput. 10. citata, cap. 6. dub. 2. dict. 3.

Sed probabilius respondeo : non incurrere dictam suspensionem. Quia par non est, vt pœnam incurrat, qui culpam non admisit. Nec obstat cap. *Cum illorum*, citatum à contrariis; quia intelligitur de ignorantia crassa, & peccaminosa. Sic Nauarrus cap. 27. num. 241. D. Anton. Innocent. Paludanus, Abbas, & Castro, quos citat, & sequitur Suarez disputat. 31. sect. 1. num. 59. Filliucius num. 94. cit. Bonac. num. 1. vers. *Obserua tamen*. Palao disputat. 4. punct. 10. §. 1. num. 3. vers. *Sed an ab hac pœna*.

*Tertium dubium.* An saltem incurrat suspensionem hanc, qui existens excommunicatus, vi, & metu cadente in constantem virum, cogitur recipere Ordines?

Affirmant apud Alterium, Tabiena verb. *Irregularitas* 4. concl. 15. Hostiens. Goffret. & Maiolus, quos citat, & sequitur ipsemet Alterius cap. 6. cit. col. vlt. vers. *Sententia hæc*. Et quidem consequenter id docent; nam si, iuxta doctrinam ab ipsis traditam, excommunicatus, seu alia Censura astrictus, suscipiens ignoranter Ordines, suspensionem incurrit; multò magis suspensionem contrahet, si talis excommunicatus, per vim, aut metum promoueat. Argum. 1. *Qui potest*, ff. de regul. iuris.

Sed probabilius respondeo: nec prædictum suspensionem incurrere. Quia hæc suspensio non incurritur, nisi ob culpam: at qui ob metum grauem cadentem in constantem virum suscipit Ordines, non facit contra præceptum Ecclesiæ, excusante dicto metu: ergo. *Confirmatur* ex dictis. Nam ignorantia excusans culpam, excusat hanc suspensionis pœnam: ergo & necessitas; cum sit eadem ratio, & nullum ius in contrarium. Sic Suarez disput. 31. sect. 1. n. 60. & penes illum, Syluest. *irregularitas*, quest. 7. & etiam Tabiena loco ab Alterio citato pro se. Sic etiam Bonac. disput. 3. punct. 5. §. 1. num. 11. vers. *Obserua secundo*.

#### QVÆSTIO VI.

*An, qui ficto titulo, (nempe, ficto patrimonio, aut ficto beneficio, aut pensione) ordinatur, suspensionem incurrat?*

**N**Egant quàm plures DD. eo quod existiment, non incurrere suspensionem modò, illum, qui sine patrimonio, aut beneficio sufficienti, Ordine sacro

initiatur, quamuis aliàs grauitè peccet; ergo neque incurret ille, qui ficto patrimonio, aut ficto beneficio, aut ficta pensione, Ordine sacro initiatur. Ita Henriquez, Viualdus, Toletus, Rodriguez, Sayrus, Gutierrez, Sà, Ægidius, Luyfius, Auila, Villalobos, Philibertus, Machado, inter quos est etiam Diana 3. part. tract. 10. de Sacram. resol. 184. & 2. part. tract. 16. resol. 5. & part. 5. tractatu 10. resol. 50. Quos omnes inuenies citatos à nobis pro hac parte, part. 2. tract. 6. disputat. 9. quest. 4. Quibus nunc etiam addo Hurtad. difficult. 13. de Suspens. num. 38. Castrum Palao disp. 4. punct. 10. §. 1. num. 12. in fine.

Sed probabilius respondeo : Suspensionem incurrere. Quia probabilius est, quod ille, qui sine patrimonio, aut beneficio, aut pensione sacris initiatur sit suspensus, per cap. *Neminem*, & per cap. *Sanctorum*, dist. 70. renouata per Concil. Trident. sess. 21. cap. 1. de reformat. at sic est, quod pensio, beneficium, seu patrimonium fictum, reuera non est pensio, beneficium, seu patrimonium : ergo. Sic absolute loquendo, & in re, tenent hanc partem Nauarrus in man. cap. 27. n. 158. Sanchez lib. 6. de Matrim. 32. n. 8. Suarez hic disputat. 31. sect. 1. num. 34. & 35. Vasquez tom. 3. in 3. partem disputat. 243. Bonacina de Sacram. disputat. 8. quest. unica, punct. 5. num. 24. & tom. 2. disput. 3. de suspens. punct. 5. §. 1. num. 1. & tom. 3. disput. 3. quest. 1. punct. 8. num. 3. Maiolus, Barbosa, Zerola, Comitulus, Molfesius, quos pro hac parte citauit 2. part. loco citato. Quibus addi possunt Cornejo disputatione 4. de Suspens. dub. 1. casu 5. & alij Recentiores. Quamuis ex his, aliqui contrarium sentiant loquendo de iis, qui sine titulo, absque dolo tamen, & fictione, Episcopo volente ordinentur. Legantur Suarez, & Cornejo loc. citat. Cætera etiam quæ hic desiderari possunt, tractata inuenies 2. part. tract. 6. de ordine disputat. 9.

#### QVÆSTIO VII.

*An suscipiens Ordines, non seruatis interstitijs, suspensionem incurrat?*

**A**ffirmant Henriquez lib. 6. cap. 10. n. 3. Additor Nauarri lib. 1. consil. 4. de temporib. Ordin. fol. 33. Portel in dub. regul. verb. *Suspensio* num. 14. Qui tamen malè citat Suarium pro hac parte, & Diana part. 4. tract. 2. resol. 55. versu, *Nota etiam*, quamuis postea oppositum docuerit vt infra. Bauny quest. 16. de Suspens. vers. *Quinto*.

Sed probabilius iterum respondeo : non incurrere (tameñ graue peccatum committat.) Quia nulla est in iure opposita suspensio contra prædictum sic se ordinantem, post Clementem VIII. vt diximus 2. p. tract. 6. de Ordine disput. 11. quest. 19. vbi pro hac parte adduximus Nauarrum consil. 4. cit. Suarium disput. 31. sect. 1. n. 43. Filliucium tract. 17. cap. 5. & tract. 20. cup. 7. num. 190. Diana 3. part. tract. 2. resol. 32. & 4. p. tract. 4. resol. 209. & 5. part. tract. 10. resol. 40. Madium, Riccium, Sayrum, Zerolam, Philibertum, Bonacinam, Barbosam, Villalobos, & alios. Quibus addi possunt Alterius 2. tom. disput. 10. cap. 4. & Palao disputat. 4. punct. 10. §. 1. num. 8. vers. *Ob violationem*.

#### QVÆSTIO VIII.

*An suscipiens duos Ordines sacros in vna die, suspensionem ipso facto incurrat?*

**N**Egant Villalobos 1. part. tract. 18. diffic. 11. n. 7. & Diana part. 5. tract. 10. resol. 36. citantes, (sed malè) pro hac parte Suarium, Quia existimant ad summum esse suspendendum.

Sed

Sed probabilius iterum respondeo : Incurrere ipso facto , quia sic colligitur ex *cap. Quod à Patribus, dist. 75. & ex cap. Innotuit, de eo, qui furtiue ordin. suscipit.* Ex quibus, id docent Nauarr. *cap. 25. n. 71. & cap. 27. num. 241.* Suarez *disp. 31. num. 41.* Luyfius, Bonac. & Philibert. quos pro hac parte adduxi *2. part. tract. 6. disp. 11. quest. 14.*

## QVÆSTIO IX.

*An etiam incurrat suspensionem eandem, qui eodem die, minores Ordines cum Subdiaconatu suscipit?*

**A**ffirmant etiam Bonac. *hic disp. 3. punct. 5. §. 1. n. 4.* & penes illum, Nauarr. *cap. 27. (lege 25.) num. 71.* Sà *verb. Suspendio, num. 19.* Sayrus *cap. 14. n. 23, 27. & 25.* Suarez *disput. 31. sect. 1. num. 41.* & Filliucius *num. 86.* Gauant. *in Man. Pralator. verb. Irregularitas,* & alij, docentes, tunc ordinatum manere suspensum à Subdiaconatu.

Sed probabilius rursus respondeo : Nullo modo incurrere ipso facto suspensionem. Sic Suarez *loc. cit.* pro parte contraria ex *cap. 2. de eo, qui furtiue ordin. suscipit.* Philibert. & Diana, quos pro hac opinione citauimus *2. p. loc. cit. q. 15.*

## QVÆSTIO X.

*An ipso facto maneat suspensus, qui aliquem Ordinem per simoniam realem scienter recipit?*

**R**espondeo manere ipso facto suspensum, non solum ab ordine sic suscepto, sed etiam ab aliis ritè susceptis, ut *infra* dicemus. Sic habetur *in Extrauag. 2. de simonia,* ibi : *Declaramus quod omnes illi, qui simoniacè ordinati fuerint, à suorum sint ordinum executione suspensi.* Sic etiam habetur *in cap. Per tuas, el 2. de simon. & cap. Inquisitionis, de Accusar.* Ex quibus id docent Syluest. *verb. Suspendio, quest. 7.* Henriquez *lib. 7. cap. 37. num. 3.* & Couarr. apud ipsum dicentes esse communem Doctorum sententiam. Auila *3. part. disp. 5. dub. 9. conclus. 1.* Suarez *disp. 31. sect. 4. num. 31.* Filliucius *n. 128.* Bonacina *disp. 3. punct. 5. §. 1. num. 9.* dicens, hanc suspensionem referuari Episcopo. Hurtad. *de suspens. diff. 13. vers. Quintò ordinans,* qui contra ait hanc suspensionem referuari Papæ ex Extrauagant. Sixti V. & constitutione Clementis VIII. quas refert Sayrus *lib. 4. cap. 14.*

*Dubium primum.* An, qui bona fide, & ignoranter, recipit Ordines simoniacè; maneat etiam suspensus ab ordine sic suscepto?

Affirmat Auila *loc. cit. concl. 2.* his verbis. Qui recipit ordines simoniacè ignoranter, ut quando cognatus, vel amicus, me ignorante, dat pretium Episcopo, ut conferat mihi ordines, manet suspensus ab ordine sic suscepto. Ita Syluester *suprà,* & D. Thom. *2. 2. quest. 100. art. vlt. ad 3.* & Aragon. *ibi conclus. 4.* Hucusque Auila.

Sed probabilius respondeo : Non manere suspensum, quia cum prædicta bona fides, seu ignorantia culpabilis, à culpa excusat, ita etiam à suspensionis pœna. Sic Henriquez *cap. 37. cit. num. 3. & 4.* Sayrus *cap. 14. cit. num. 6.* Suarez *disp. 31. cit. sect. 4. num. 4.* Nauarr. *cap. 25. num. 68.* citans Bellameram, & Cardinalem Alexandrinum. Bonacina *num. 9. cit. Diana part. 5. tract. 10. resol. 56.* Ægidius *num. 37.* qui dicunt id esse verum, quamuis ille qui ignoranter ordinatus est per simoniam ratificet postea promissionem factam ab amico; nam rati habitio non comparatur mandato in pœnis, nisi in iure exprimat.

*Dubium secundum.* An, qui per simoniam realem, scienter ordinatur; suspensionem omnium ordinum, quos habet, incurrat?

Negant aliqui apud Suarium, sentientes, solum incurrere suspensionem ordinis simoniacè suscepti, non aliorum. Ita etiam videtur tenere Hurtad. *diff. 13. n. 39. vers. Quintò,* ibi : *Ordinatus verò manet suspensus ab ordinibus sic (id est, simoniacè) susceptis, absque vlla spe ascendendi ad superiores ordines.*

Sed probabilius respondeo : Suspensionem absolutam omnium ordinum incurrere, quia sic decerni videtur in Extrauag. Pauli II. (non Pij II. ut leges apud Bonac.) cuius verba habes *suprà in hac ead. quest. 10.* Et idèd hanc partem tenent Syluest. & Couarr. quos affert, & sequitur Suarez *loc. cit. sect. 4. num. 32.* Auila *dub. 9. citat. conclus. 1.* Henriquez *cap. 37. citat. num. 3. & 4.*

## QVÆSTIO XI.

*An qui furtiue, hoc est, nesciente Episcopo; nec approbante, nec examinante, Ordines suscipit; sit, ipso facto, & iure, à susceptis suspensus?*

**R**espondeo affirmatiue, cum communi omnium sententia, quia sic habetur *in cap. 1. 2. & 3. de eo qui furtiue ordines suscipit.* Sic Bonacina *hic disp. 3. de suspens. punct. 5. §. 1. num. 12.* & *de irregul. disp. 7. quest. 3. punct. 4. num. 6.* Suarez, Henriquez, Sayrus, & alij penes ipsum. Bauny *quest. 16. de suspens. vers. Nonò,* Layman penes ipsum.

## QVÆSTIO XII.

*An qui post matrimonium contractum, etiam non consummatum, sacros Ordines suscipit; maneat ipso facto suspensus ab ordinibus sic susceptis?*

**R**espondeo : Manere ipso facto suspensum ab ordinibus sic susceptis, & ab aliis superioribus suscipiendis, & omni officio, & beneficio Ecclesiastico, imò & à promotione ad hæc. Sic habetur *in Extrauag. Antiqua, de voto.* Ioann. XII. *Quæ suspensio referuatur Pontifici, etiam matrimonio soluto; nisi fortè soluatur per professionem ordinati validè emissam, quia tunc Episcopus dispensare potest, ut dicitur in d. Extrauag.* Sic Suarez *disp. 31. sect. 1. num. 34.* Filliuc. *tract. 17. cap. 5. §. 8. num. 93.* Bonac. *loc. cit. num. 13.* Hurtad. *diff. 13. num. 40.* Diana *part. 5. tract. 10. resol. 59.* ex Præposito *3. part. quest. 3. de suspens. dub. 5. num. 40.* Palao *disp. 4. punct. 10. §. 1. num. 10.* Qui secus dicit, casu quo recipiat ordines minores, quia Extrauagans supradicta solum de susceptione ordinum maiorum loquitur.

*Dubium primum.* An sic Ordinatus maneat suspensus, etiam ab ordinibus ante matrimonium susceptis?

Respondeo quod non, sed solum ab ordinibus post matrimonium susceptis, quia in Extrauaganti citata expressè suspenditur *ab ordine sic suscepto.* Sic Suarez *num. 34. citato.*

*Dubium secundum.* An etiam maneat suspensus, qui ex ignorantia, putans bona fide vxorem esse mortuam, ordines sacros suscipit?

Respondeo non manere suspensum. Tum quia, qui sic ordines suscipit, non contraxit culpam, ergo nec censuram. Tum quia ad hanc censuram contrahendam requiritur præsumptio, ut constat ex textu ibi : *Nemo præsumat, & si secus fuerit à quoquam attentatum; ergo qui solum ex ignorantia processit, non suspenditur.*

Debet nihilominus sic ordinatus à ministerio sacro, durante matrimonio abstinere, (nisi vxor cedens iuri suo emittat votum castitatis,) soluto tamen illo, poterit sine aliqua dispensatione, si nullum aliud intercedat impedimentum, in ordinibus ministrare. Sic Suarez *loc. cit. n. 56. Filliuc. n. 93. cit. Bonac. loc. cit. n. 14. Sayrus, Viualdus, & Ægidius penes ipsum. Præpositus & Diana nuper citati. Palao disp. 4. punct. 10. §. 1. n. 10. vers. Quod si bona fide.*

## QVÆSTIO XIII.

*An Clericus in sacris constitutus, publicè & notoriè concubinarius, aut fornicarius, sit suspensus?*

Respondeo tanquam certum: Esse secundum ius antiquum suspensum per *cap. Quæsitum, de cohabit. cler. & mulier. cap. Nullus, & cap. Præter 32. dist. cap. Si quis, dist. 81. cap. Sacerdotes, dist. 50. & alibi.* Ex quibus textibus, id docent communiter DD. Cardin. Hostiens. Abbas, Nauarr. Couarr. & alij, quos citat, & sequitur Suarez *disp. 31. sect. 4. n. 4.* Sed circa hanc suspensionem sit

*Dubium primum.* An huiusmodi suspensio, sit ipso iure lata?

Negant Suarez *disp. 31. sect. 4. num. 11. Luysius lib. 5. de censur. disp. 46. dub. 5. & Mercerus in 3. part. quæst. 24. dub. 27. num. 34.* docentes, talem suspensionem solum esse ferendam.

Sed probabilius respondeo affirmatiuè. Sic Nauarr. *cap. 27. num. 154. Henriquez lib. 13. cap. 36. Abbas, Rebuff. Anton. Syluest. & alij apud Auilam 3. part. disp. 5. dub. 2.* dicens, hanc opinionem stando in iure antiquo esse veram. Cornejo *de suspens. disp. 4. dub. 1. casu 1. Bonacina disp. 3. punct. 5. §. 1. num. 39. Philibertus tract. 1. de ordine, part. 8. cap. 3. à num. 9.* Qui id probat ex *cap. vestra, & cap. finali, de cohabit. Clericor. cap. Præter hoc, dist. 32.* & ex aliis textibus.

*Dubium secundum.* An hæc suspensio, sit iam abrogata per dissuetudinem.

Negat Philibertus *cap. 3. citat. & penes ipsum,* quamplures DD. docentes, textus citatos, contraria consuetudine abrogatos non fuisse, sed adhuc vigere, & secundum illos iudicandum: & quatenus abrogati fuissent, Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 14. de Reformat.* eos innouasse videtur iis verbis: *Alioquin pœnis à sacris Canonibus, vel Statutis Ecclesiarum impositis puniantur.* Et in hunc sensum hunc textum intellexit Sacra Congregatio iis verbis: *Clerici notoriè concubinarij, etiam hodie ipso iure sunt suspensi.* Ita Philibertus.

Sed iis non obstantibus, æquè probabiliter respondeo dictam suspensionem esse abrogatam per dissuetudinem & non vsum. Quod probat Cornejo *disp. 4. de suspens. dub. 1. quæst. 2.* ex Trident. *loc. cit.* pro contraria parte, vbi videtur, (ait) vel reuocatum ius antiquum, vel introductum nouum, eo quod antiquum celsauerat contraria consuetudine. Vnde iam modò Clerici publici concubinarij, non sunt ipso iure suspensi, neque fideles tenentur abstinere ab audiendis illorum Missis. Sic ille. Ex quo constat quod prædicti Clerici non manent ipso iure suspensi, licèt suspendi possint si opus fuerit iuxta Concil. Trident. *sess. 25. cap. 14. de Reformatione.* Sic etiam Sotus in *4. dist. 1. quæst. 5. art. 6. & dist. 13. quæst. 1. art. 9. Medina lib. 1. summa, cap. 11. §. 8. Suarez, Auila, Bonacina, Cornejo loc. cit. Diana part. 5. tract. 10. resolut. 49. Filliucius tract. 17. cap. 7. quæst. 3. num. 124. Hurtad. diff. 13. in fine, vocans oppositum, falsum. Legantur dicta à nobis 3. p. tract. de audit. Misfarum, disp. 2. q. 12.*

## QVÆSTIO XIV.

*An qui ab Episcopo alieno, sine licentia proprij, scienter sacris initiatur, sit ipso iure suspensus?*

Negauit Glossa in *cap. Eos qui, de tempore ordin. in 6.* Cuius sententia quamuis attento iure antiquo sustineri posset, vt fatetur Suarez *vbi infra,* attento tamen iure nouo, minimè. Ideoque

Respondeo tanquam certum: Esse ipso iure suspensum: & si, ante absolutionem, in ordine sic accepto, administret, manere irregularem. Quia sic habetur in Extrauagante Pij I I. *Cum ex sacrorum,* & in Trident. *sess. 6. cap. 5. & sess. 14. cap. 2. & sess. 23. de Reformat. cap. 8.* Sic Nauarr. *cap. 27. num. 155. & lib. 1. consil. 39. de tempor. ordin. Bern. Diaz, Couarr. & Sotus, quos affert, & sequitur Suarez disp. 31. sect. 1. num. 13. & 14. Philibert. de ordine, tract. 1. lib. 5. part. 5. cap. 5. num. 1. & 2. & cap. 11. n. 1. & sequent. Cornejo loc. cit. casu 7. Auila part. 3. disp. 5. dub. 7. vers. Loquendo autem, & vers. De tertia denique parte. Barbosa de potest. Episcopi, alleg. 8. num. 10. Palao disp. 4. punct. 10. §. 1. n. 4. & nos 2. part. tract. 6. de ordine, disp. 8. quæst. 1. & 2.*

*Dubium primum.* An etiam, qui minores Ordines aut etiam primam tonsuram ab alieno Episcopo, recipit, ipso facto suspensionem eorundem incurrat?

Negant Auila *3. part. disp. 5. dub. 7. vers. Secundò supponendum est,* & penes ipsum, Abbas in *cap. Quod translationem, de temp. ordinat. cap. 9. num. 2.* Syluester *verb. Irregularitas, num. 11. Tabiena verb. Ordo 3. num. 1. & Nauarr. consil. 48. de tempor. ordinat. & alij.* Et videtur conuinci ex dictis *suprà quæst. 3. dub. 2.* vbi docuimus cum communi, non esse suspensos ipso facto, sed solum suspendendos eos, qui ante legitimam ætatem ordines minores susceperunt; at qui Bulla Pij II. non solum loquitur de recipientibus ordines ante legitimam ætatem, sed etiam de recipientibus eos ab alieno Episcopo, sine licentia, aut dimissorijs proprijs; ergo in vtroque casu est eadem intelligentia.

Sed respondeo: Manere etiam ipso facto suspensos, non ex vi Extrauagantis Pij II. vt conuincit ratio facta; sed ex vi cuiusdam constitutionis Urbani VIII. latæ die 11. Decembr. 1624. quam refert, sequendo hanc nostram sententiam, Philibertus *tract. 1. de ordine, part. 5. cap. 5. num. 2. & cap. 11. num. 8. & 16.* de quo, & ex quo nos etiam *2. part. tract. 6. disp. 8. q. 2.* Legatur Palao loco citato.

*Dubium secundum.* An à prædicta suspensione excuset bona fides, seu ignorantia mortaliter inculpabilis?

Respondeo ex sæpè nuper dictis: Excusare, quia excusat à mortali culpa, propter quam solum imponitur hæc pœna. Sic Nauarrus *cap. 27. n. 254. Toletus lib. 1. cap. 48. Philibertus tract. 1. de ordine, part. 5. cap. 11. n. 6. Henriquez lib. 13. cap. 38. Suarez disput. 31. sect. 1. n. 15. Bonacina tom. 3. de censur. disp. 3. quæst. 1. punct. 10. num. 15. & alij.*

*Dubium tertium.* An ab hac suspensionem possit Episcopus nunc absoluere?

Respondeo posse nunc, si delictum sit occultum ex concessione Trident. *sess. 24. cap. 6.* Nam quamuis Sixtus V. hanc suspensionem Romano Pontifici reseruauerit, per quandam constitutionem incipientem, *Sanctum, & salutare:* tamen postea Clemens VIII. per aliam constitutionem, quæ incipit, *Romanum Pontificem decet,* moderauit, & ad terminos antiquos, Pij II. & Tridentini redegit.

Sic Philibertus loco cit.

numero 5.

\*\*\*

## Q V Æ S T I O X V.

An Ordinati cum dimissorijs à Capitulo Sede vacante obtentis, infra annum vacationis incidant in suspensionem?

Respondeo tanquam certum: Incidere; nisi casu, quo beneficij recepti, vel recipiendi necessitas cogat. Quia sic habetur in Trident. *sess. 7. de Reformat. cap. 7.* ibi: *Si secus fiat, Capitulum contraueniens, Ecclesiastico subiaceat interdicto: & sic Ordinati, si in minoribus Ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant: in maioribus verò ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælatis, sint ipso iure suspensi.* Sic Concilium. Et ex illo omnes. Legantur Philibertus *tract. 1. de Ordine, part. 6. cap. 3. à n. 12.* Cornejo *dub. 1. cit. casu 8.* Luylius *lib. 5. disp. 46. dub. ultimo.* Auila *3. part. disp. 5. dub. 8. vers. Octauus casus est.* Diana *part. 5. tract. 10. resol. 46. & alij.* De quo etiam nos egimus *2. part. tractat. 6. de Ordine, disput. 10. à quest. 4.* ubi alia, quæ hic desiderari possunt, inuenientur.

## Q V Æ S T I O X VI.

An etiam in suspensionem incidat, qui adhuc à proprio Episcopo ordinatur in aliena diœcesi, sine licentia proprij?

Negarunt Albericus in *l. Emancipati, ff. de adoptio- nib.* & Rebuff. in *praxi benefic. tit. de Clericis, à quibus, & quomodo creentur, num. 12.* Quia existimarunt, posse Episcopos extra propriam diœcesim, suis subditis ordines conferre.

Sed tanquam certum respondeo: Etiam in suspensionem incidere. Quia sic habetur clarè in Trident. *sess. 14. de Reformat. cap. 2.* ubi suspendit per annum Episcopos in aliena diœcesi, Pontificalia exercentes; & ordinatos vsu ordinis, ipso iure priuat. Quod idem vetuit Concil. Antiochenum *cap. 22.* relatum in *cap. Episcoporum 9. quest. 2.* Sic communiter omnes. Legantur Philibertus *tract. 1. cit. part. 5. cap. 5. num. 12.* Cornejo *loc. cit. casu 9.* Palao *disp. 4. puncto 10. §. 1. n. 5. & ego 2. part. tract. 6. disp. 8. q. 6.*

## Q V Æ S T I O X VII.

An Clericus, publicè saltem, sodomita, sit ipso iure suspensus?

Affirmant plures DD. sentientes Clericum sodomitam occultum, vel notorium esse suspensum ipso iure, & exercendo actum ordinis incurrere irregularitatem à solo Papa dispensabilem. Ita Couarr. in *Clement. Si furiosus, part. 1. sess. 1. num. 6. de homicidio,* & penes illum, Hostiens. Ioan. Andr. Anton. Marian. & Socin. Quibus addi possunt Maiolus *lib. 5. de irregular. cap. 43.* Cenedo *Collect. 130. part. 2. Alterius tom. 2. disput. 15. cap. 3.* Lambertin. Bernard. Diaz, Follerius, Franciscus Marcus, & Caualecanus apud Philibertum *ubi infra.*

Negant è contra alij, non absolutè, sed sub distinctione, dicendo, quod si Clericus sodomita est occultus, non sit suspensus, nec celebrando fiat irregularis: Si verò sit publicus, & notorius, sit suspensus, & exercendo actum ordinis, fiat irregularis. Ita Philibertus *tract. 1. de Ordine, part. 8. cap. 4. à num. 34. præcipuè num. 36. & penes ipsum, Nauarr. cap. 27. n. 249.* Henriquez *lib. 14. cap. 5.* Philiarcus *lib. 4. de officio Sacerd. cap. 15.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quest. 19. punct. 3. n. 5.* Azor *part. 3. lib. 3. cap. 19. quest. 6 & 7.* Vgolinus *de irregularit. cap. 43. §. 3. num. 4.* Quaranta *verb. Sodomita, in*

*addit. Rodriguez part. 1. summa, cap. 109. num. 1. Reginaldus lib. 22. cap. 3. num. 50. Graffius lib. 4. decis. cap. 25. num. 17.* Auila *part. 3. disp. 5. dub. 3.* Aldrete *de Religiosa disciplina tuenda, lib. 2. cap. 15. §. 5. num. 34.* Bonacina *de Censur. disp. 3. q. 6. punct. 5. num. 3. & de Matrim. quest. 4. punct. 11. n. 2.* Barbosa *de offic. Episcopi, alleg. 10. n. 195. part. 2. Diana 1. part. 17. resol. 69.* Campanilis, Lazarius, Sanctarellus, & Garzias.

Sed æquè probabiliter respondeo: Nec occultum, nec publicum sodomitam, esse ipso iure suspensum, nec irregularem. Ratio est, quia nullus debet puniri pœna suspensionis, vel irregularitatis, nisi de illa in iure manifestè constet: sed in iure nulla est manifesta suspensio, ipso facto, vel irregularitas contra Clericos sodomitas etiam publicos; vt ipsi contrarij fatentur: ergo. Sic Suarez *disp. 31. sect. 4. à num. 19.* Filiucius *tract. 17. cap. 7. quest. 4. num. 125.* Gauantus in *Man. Episcop. verb. Irregularitas, num. 32.* Auila *loco pro secunda sententia à Philiberto malè citato;* ait enim sic: Mihi videtur, quod Clericus sodomita, nec occultus, nec notorius, non est ipso iure suspensus, etiam stando in iure antiquo. Sic ille; quod benè probat, & citat pro hac parte Henriquez *cap. 36. & lib. 14. cap. 5. num. 1. lit. F.* Et benè. Ait namque sic: At hæc pœna, sicut & priuatio beneficij, requirit nouam sententiam iudicis. Tenet etiam Hurtadus *diff. 13. de suspens. in fine,* per hæc verba: Aduertimus tamen plures suspensiones à nonnullis afferri, quæ verè non sunt, præsertim eam, quæ dicunt esse suspensum Clericum, qui est publicus peccator, præsertim concubinarijs, quod esse fallum deducitur ex Tridentino *sess. 21. cap. 14. de Reformat.* Sodomita quoque non est suspensus, vt aduertit Ægidius *n. 56.* quamuis Pius V. sua constitutione 70. tale nefas exercentes omni beneficio, officio, dignitate, & priuilegio clericali priuet: quia hæc constitutio non obligat ante sententiam iudicis, præsertim sodomitam occultum, vt aduertunt Suarez, & Ægidius. Imò ea constitutio, & pœnæ, frequentiam, seu exercitium requirit. Sic Hurtadus. Imò hanc sententiam tenere videtur Bonacina *de Censur. loco pro secunda sententia adducto,* quatenus & absolutè docet Clericum sodomitæ labe coinquinatum, non esse ipso iure suspensum, neque irregularem, & pro sua opinione citat Auilam, & Filiucium, qui expressè nostram doctrinam docent, contra Azorium, qui docet sententiam secundam.

## Q V Æ S T I O X VIII.

An Clericus publicè portans vestes virgatas, vel partitas, Hispanè, Vestidos bordados, ò texidos de diuersos colores, sit ipso iure suspensus?

Respondeo tanquam certum: Esse. Ita tamen, quod, si est Clericus beneficiarius, est ipso facto suspensus per sex menses à perceptione fructus: si non est beneficiarius, sed est in sacris constitutus, per idem tempus redditur eo ipso inhabilis ad beneficia: & idem est dicendum de alijs Clericis, qui non sunt in sacris, si simul cum huiusmodi partita veste, deferant coronam. Sic ex *Clement. 2. Quoniam, de vita, & honest. Clericor.* docet Nauarr. *cap. 27. num. 157. §. 13.* Couarr. *pract. cap. 31. num. 7. vers. Quarto.* Syluester, Bernard. Diaz, & alij, quos affert, & sequitur Henriquez *lib. 13. cap. 39. num. 3. lit. A.* Auila *3. p. disp. 5. dub. 8. vers. Vndecimus casus.* Suarez *disput. 31. sect. 3. num. 1.* Filiucius *tract. 17. cap. 6. quest. 5. num. 106.* Cornejo *loc. cit. casu 13.* Bonacina *disp. 3. quest. 6. punct. 5. §. 1. num. 21.* Ægidius *num. 42. suspens. 9.* Palao *disput. 4. punct. 10. §. 3. num. 12.* & alij penes ipsos. Sed circa hanc suspensionem sit,

Dubium

*Dubium primum.* An in aliquo casu possit Clericus vtens prædictis vestibus, excusari à suspensionis pœna?

Respondeo quod sic. Nam *primò*, potest excusari casu, quo gestet prædictas vestes, non publicè, sed secretò, vt domi in studio. *Secundò*, si gestet sub aliis vestibus, ita vt publicè non appareant. *Tertiò*, si gestet ob celebrationem alicuius festi ad breue tempus, vt Doctoratus, nuptiarum, aut ob aliam iustam causam, & *quartò*, si secundum prudentium hominum arbitrium, considerata loci consuetudine, solum peccet venialiter. In iis namque casibus excusabitur Clericus vtens dictis vestibus ab incurfione suspensionis, vt docent Nauarrus, Henriquez, Suarez, Palao, Auila, Filliucius, & Bonacina *locis cit.*

*Dubium secundum.* An hæc suspensionis pœna, sit consuetudine abrogata?

Negant communiter DD. quatenus supponunt, de facto incurrere dictam pœnam Clericos, qui absque rationabili causa, dictis vestibus vtuntur.

Sed ego respondeo dicendum id non esse omnino certum; quia non desunt aliqui Recentiores, vt testatur Henriquez *loc. cit. lit. A.* & ex illo Auila, necnon, ex hoc, Bonacina *loc. cit.* asserentes, hanc suspensionem esse derogatam consuetudine. Vnde Palao *loc. cit.* hæc scribit verba: Plura in d. Clement. statuuntur de vestibus, quæ vsu abrogata sunt, teste Suarez *suprà.* Quare eam tantum credo vim habere, quæ Clericum ignotum redderent, & sæcularem esse omnibus indicarent. Sic ille. Et bene.

#### QVÆSTIO XIX.

*An maneat suspensus Sacerdos, qui, etiam intuitu cuiusvis priuilegij, aut consuetudinis, sponsis benedicit; aut matrimonio coniungit, sine proprij illorum Parochi licentia?*

**R**espondeo tanquam certum: Manere suspensum, donec ab Episcopo illius Parochi, cuius officium vsurpauit, absoluat. Quia sic habetur in Trident. *sess. 24. de Reformat. matrimony, cap. 1.* Sic omnes. Legantur Suarez *hic disp. 3. sect. 3. num. 18.* Auila *3. part. disp. 5. dub. 8. vers. Nonus casus est.* Nauarrus *cap. 22. n. 69.* Henriquez *lib. 13. cap. 39. num. 3.* Sanchez *lib. 3. de Matrimonio, disp. 5. 2. num. 4.* Filliucius *tract. 17. cap. 7. n. 102.* Palao *disp. 4. punct. 10. §. 2. num. 2.* Ægidius *disp. 15. dub. 5. num. 46. suspens. 16.* Bonacina *disp. 3. de suspens. punct. 5. §. 1. n. 20. & alij.* Qui extendunt ad Regulares coniungentes in matrimonium, vel benedictes, &c. Sed circa hanc suspensionem, sit

*Dubium primum.* An hæc suspensio sit ipso iure lata?

Negat Couarr. *de Matrim. part. 2. cap. 6. n. 13.* & probabiliter, inquit Filliuc. *loco nupet cit.* quia existimat, solum esse ferendam, ob verbum, *Suspendatur.*

Sed probabiliter respondeo: Esse ipso iure latam, quia sic apertius colligitur ex Tridentino *loc. cit.* Sic Henriquez *lib. 13. cap. 39. num. 3.* iis verbis: Clericus, qui absque Parochi, vel Ordinarij licentia assistit contrahentibus matrimonium de præfenti (quamuis nunc sit irritum) sit suspensus triennio, nec potest ante lapsum triennij absolui per Episcopum, à tali suspensione publica. Sic ille. Et Suarez *disp. 3. 1. sect. 3. n. 18.* Sayrus *cap. 15. n. 8.* Ægidius, Hurtad, Auila *loc. cit.* Palao *disp. 4. punct. 10. §. 2. n. 2. & alij.*

*Dubium secundum.* An prædictus Sacerdos matrimonio assistens, solum maneat suspensus ab officio sacerdotali?

Affirmant Suarez, & Ægidius, qui id colligunt ex subiecta materia, iuxta quam determinari debet & pœna. Cum igitur Sacerdos propter abusum sacer-

dotalis muneris suspendatur, rectè intelligitur suspendi solum formaliter quatenus Sacerdos est, atque adeò solum à sacerdotali munere seu officio, non simul etiam à beneficio. Hos DD. sequitur Palao *num. 2. citato.*

Sed æquè probabiliter respondeo: Non solum ab officio sacerdotali, sed etiam à beneficio suspendi. Quia Concilium absolutè, & sine limitatione suspendit dictum Sacerdotem: ergo ab officio, & beneficio intelligi debet suspensum. Sic Bonacina *disp. 3. quest. 3. punct. 5. n. 7.* Hurtadus *diff. 13. de suspens. vers. Nonò Sacerdos.* & Filliucius *tract. 17. cap. 6. quest. 4. n. 101.*

#### QVÆSTIO XX.

*An celebrans Missam & in ea non communicans, maneat ipso iure suspensus?*

**R**espondeo manere suspensum per annum à communione: per textum in *cap. Relatum, de consecr. dist. 2.* Sic omnes. Bonacina *punct. 5. cit. §. 1. num. 15.* ex Maiolo *lib. 3. cap. 16.* & Sayro *lib. 4. cap. 15. num. 3.* doctibus, hanc suspensionem effugere illum, qui vnam tantum speciem sumeret; cum hic verè diceretur communicare. Quod additum, non admittit Palao *disp. 4. punct. 10. §. 2. num. 6.* docens adhuc in hoc casu manere suspensum, directè ab specie, quam malitiosè non sumit, indirectè verò ab alia simul; cum non possit vnam sine alia recipere.

#### QVÆSTIO XXI.

*An Sacerdos, qui sine graui causa, Missam incompletam ommitteret; ipso iure, & facto, suspendatur à corpore, & sanguine Christi?*

**N**egat Filliucius *tract. 17. cap. 7. quest. 4. num. 103.* existimans, non dari in iure, contra Missam imperfectam omittentem, suspensionem latam, sed ad iustum, inferendam. Quia in *cap. Nullus, Episcopus, de consecrat. dist. 1.* in his verbis: *A corpore & sanguine Christi suspensus sit;* non suspensio latæ sententiæ, sed inferendæ continetur. Vnde Glossa *ibi,* loco verborum, *suspensus sit,* vtitur verbo, *suspendatur,* quod apertè suspensionem ferendam importat. Hæc Filliucius.

Sed probabiliter respondeo: Ipso iure manere suspensum à corpore & sanguine Christi. Quia probabiliter est, prædicta verba à Filliucio relata, censuram ipso facto importare, vt bene docet Bonacina *disp. 3. de suspens. punct. 5. §. 1. num. 17.* ergo. Sic ille.

#### QVÆSTIO XXII.

*An sint alia suspensiones ipso iure, contra Clericos latae?*

**R**espondeo esse alias. Et quia rarò occurrunt, eas ad compendium redigemus.

Est namque 22. contra Clericos vtentes ordine, in loco interdicto, præter modum iure concessum. *cap. Is qui, de sentent. excommun. in 6.* De hac legantur Syluest. *interdictum 6. num. 3.* Angel. *eod. vers. 7. num. 7.* Armilla *num. 58.* Necnon Filliuc. *tract. 17. cap. 15. n. 98.* & Palao *disp. 4. punct. 10. §. 2. n. 7.* Qui tamen talem suspensionis sententiam latam in *d. cap.* esse solum ferendam; probabiliter docent.

23. Contra celebrantes coram excommunicato, vel interdicto, *cap. Episcoporum, de Priuileg.*

24. Contra tradentes sepulturæ publicos vsurarios, *cap. Quia in omnibus, de vsuris.*

25. Contra

25. Contra Parochos iungentes sponfos alterius Parochiæ, sine licentia. Trident. *sess. 24. cap. 1. de Reformat. matrimon.* De hac Suarez *disput. 31. sect. 3. n. 18.* Filliucius *tract. 17. cap. 6. num. 101.* Bonacina *tom. 3. disp. 3. quest. 3. punct. 5. n. 7.* Palao *disp. 4. punct. 10. §. 2. n. 2.* & alij.

26. Contra eosdem Parochos non prohibentes matrimonia clandestina, cap. *Ea inhibito, de clan. despon. impub.* De hac, Henriquez *lib. 14. cap. 39. num. 3.* & Sayrus *lib. 4. cap. 15. num. 8.* existimantes, esse ipso iure ab officio suspensos. Contra Couarr. 4. *Decretal. 2. part. cap. 6. num. 13.* Sanchez *lib. 3. disput. 48. à num. 6.* Bonac. *tom. 3. disp. 3. quest. 3. punct. 5. num. 9.* Filliucium *tract. 17. cap. 15. num. 102.* & Palao *disp. 4. punct. 10. §. 2. num. 3.* docentes talem suspensionem solum esse ferendam.

27. Contra Clericos, aut Prælatos grauentes alienis debitis Ecclesiis sibi commissas, cap. *Si quorundam, de solution.* De hac Suarez *disp. 31. sect. 1. n. 2.* Filliucius *tract. 17. cap. 6. q. 5.* Bonac. *tom. 3. disp. 3. quest. 4. punct. 14.* & Palao *disp. 4. punct. 10. §. 2. n. 4.*

28. Contra eos, qui sede vacante, occupant bona, quæ ad Prælatum defunctum, vel ad futurum, vel ad Ecclesiam pertinent, cap. *Quia sepe, de elect. in 6.* De qua Suarez *disp. 31. sect. 3. num. 3.* Bonacina *tom. 3. disp. 3. quest. 4. punct. 15. per totum.* Palao *disp. 4. punct. 10. §. 2. num. 8.* & alij, docentes sub hac constitutione solum comprehendere personas, quæ sunt ex Ecclesia, Collegio, seu Conuentu, cuius bona vsurpantur.

29. Contra eligentes indignum ad Episcopatum, vel Curatum, vel ad aliud officium, quod, habet annexam curam animarum, nam hic suspenditur à beneficio per triennium, cap. *Cum in cunctis, §. finali, de elect.* De qua Sayrus *lib. 4. cap. 15. num. 11.* Suarez *disp. 31. sect. 3.* Bonacina *tom. 3. disp. 3. q. 4. punct. 1. n. 8.* Palao *§. 2. cit. n. 1.*

30. Contra consentientem electioni de se factæ, per abusum sæcularis potestatis, cap. *Quisquis, de elect.* De qua an sit suspensio iure lata, aut solum ferenda, agit Suarez *sect. 3. cit. num. 19.* Bonacina *tom. 3. disp. 3. quest. 4. punct. 3. num. 3.* & Palao *loco cit. & concludunt, solum esse ferendam.*

31. Contra occupantes bona, census, &c. Ecclesiæ, beneficij, aut loci pij. Trident. *sess. 22. cap. 11. de Reformat.*

32. Contra iurantes de tenendo schismate, cap. 1. *de schismate*, & hi suspenduntur ab ordinibus, & dignitatibus. De hac agunt Bonacina *tom. 3. de censur. disp. 3. q. 6. punct. 3.* Palao *disp. 4. punct. 10. §. 4. n. 2.*

33. Contra Clericos prouocantes ad duellum, vel acceptantes, aut in eo pugnantes, cap. 1. *de Clerico pugnante in duello.* De hac Bonacina *loc. cit. num. 38.* Qui ait ex hoc textu non colligi depositionem iure latam, sed ferendam.

34. Contra Clericos raptores, vel præbentes auxilium raptui. Concil. Trident. *sess. 44. cap. 6. de Reform.* De qua Suarez *disp. 31. sect. 3. num. 48.* Palao *punct. 10. cit. §. 4.* Filliuc. *num. 134.* & Bonac. *loc. cit. aiunt, non esse pœnam ipso iure latam, sed ferendam.* Contra Bern. Diaz *in practic. cap. 78.* & Alterium *tom. 2. disput. 15. cap. 6. sine*, existimantes talem suspensionem esse ipso iure.

35. Contra Præsumentes in populari concione in alterutram partem de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis disputare; aut de hac ipsa quæstione sub quouis prætextu vulgari lingua scribere, &c. aut in publicis concionibus, &c. asserere audentes, Beatissimam Virginem, cum originali conceptam fuisse, ex Bulla Pij V. quæ incipit, *Super specula*, Pauli V. data sub die 19. Iulij 1616. & 31. Augusti 1617. & Gregorij XV. Cuius decretum refert ad verbum, Bonac. *hic disp. 3. punct. 5. §. 1. n. 36.* Legantur Sà *verb. Suspensio*

*ipso iure, n. 16.* Sayrus *lib. 4. cap. 15. num. 31.* Palao *disp. 4. punct. 10. §. 4.*

## §. II.

De Suspensionibus latis in iure contra Episcopos.

## QVÆSTIO XXIII.

Quot, & quæ sunt suspensiones late in iure, contra Episcopos, & alios Prælatos maiores?

Respondeo Breui stylo esse sequentes.

1. Prima est contra Episcopos, qui scienter conferunt Ordinem aliquem, suspensio, propter malam promotionem, & receptionem Ordinis. Nam propter hoc suspenduntur à collatione Ordinis sacerdotalis, per cap. *Si qui Episcopi 1. quest. 1.* De qua Sayrus *lib. 4. cap. 12. n. 17.* Filliucius *tract. 17. cap. 8. q. 2. n. 139.* Bonac. *disp. 3. punct. 5. §. 2. n. 14.*

2. Episcopus, qui solemniter pœnitentem, aut Bigamum, ordinat; suspensus est à celebratione per annum. Per cap. *Nullus, dist. 55.* De qua Henriquez *lib. 13. cap. 38. §. 3.* Filliucius *loco cit.* Bonacina *disput. 3. de suspens. punct. 5. §. 2. num. 8.* Palao *disput. 4. punct. 10. §. 5. n. 1.*

3. Episcopus, qui confert duos Ordines sacros eodem die, vel duobus diebus immediatis, continuato ieiunio; manet suspensus à collatione vtriusque Ordinis, donec à Papa dispensetur, cap. *litteras, de tempor. ordinat.* & etiam Concil. Trident. *sess. 13.* Legantur Filliuc. *loc. cit.* Bonac. *loc. cit. num. 13.* Palao *loco cit.*

4. Episcopus, qui ordinat alienum sine dimissionis sui ordinarij, suspensus manet per annum à collatione omnium Ordinum. Per cap. *Nullus, cit. & cap. Eos, de tempor. ordin. in 6.* Concil. Trident. *sess. 6. cap. 5. de Reformat. & sess. 23. cap. 8. de Reform.* De qua Rastellius *art. 2. de suspens. pag. 207.* Filliucius *loc. cit.* Bonacina *loco cit. n. 4.* Palao *loco cit.*

5. Episcopus, qui in aliena dicecesi ordinat absque licentia ordinarij loci: aut cum licentia ordinarij loci, ordinat personas, nec sibi, nec eidem subiectas, suspensus manet per annum à Pontificalibus, per Trident. *sess. 14. cap. 2. & sess. 23. cap. 8. de Reformat.* De qua Rastellius *loc. cit. vers. Tertia suspensio, pag. 208.* Filliuc. *tract. 17. cap. 8. q. 2. n. 140.* Bonac. *disp. 3. punct. 5. §. 2. n. 5.* & Palao *loc. cit.*

6. Episcopus qui confert Tonfuram illiterato, nempe, illi, qui nescit legere, neque scribere; suspensus est per annum à collatione Tonfuræ, cap. *fin. de tempor. ordin. in 6.* De qua Sayrus *lib. 4. cap. 15. n. 18.* Henriquez *lib. 13. cap. 38. num. 3.* Toletus *lib. 1. cap. 48.* Rastellius *loc. cit. pag. 209.* Suarez *disp. 31. sect. 5.* Filliuc. *num. 140. cit.* Palao *§. 5. cit. num. 1.* Sic etiam Sà *verb. Suspensio ipso iure, num. 3.* & Bonacina *§. 2. cit. num. 11.* Qui tamen putant, hanc suspensionem non esse in vsu.

7. Episcopus, qui confert primam Tonfuram infanti, qui nondum impleuit septennium, eandem per annum suspensionem incurrit, per cap. *Nullus, cit.* De qua Suarez, Filliucius, Rastellius, Bonac. & Palao *locis cit.*

8. Episcopus, qui iniuste ordinat inuitum, manet suspensus per annum à celebratione Missæ cap. 1. & 2. *dist. 74.* & cap. *Nullus, de temp. ordinat. in 6.* De qua Henriquez *lib. 13. cap. 38. num. 3.* Sayrus *lib. 4. cap. 6. num. 23.* Bonacina *§. 2. cit. num. 9.* Sà *loc. cit. num. 12.* Palao *disp. 4. punct. 10. §. 5. num. 1.*

9. Episcopus, qui ordinat Sacerdotem indignum, seu

seu irregularem, aut illegitimum, suspensus est à collatione Ordinis sacerdotalis, cap. *Si qui Episcopi* 1. q. 1. Sic Sayrus *lib. 4. cap. 12. n. 17.* Rastellius *art. 2. de suspens. pag. 209.* Suarez *disp. 3. sect. 5. num. 2.* Bonacina §. 2. cit. n. 10. & alij.

10. Episcopus, qui confert Ordines Religioso non professo, seu illi, qui votum solum temporale fecit Religionis; suspensus est per annum à collatione Ordinum, quos contulit ex Bulla Pij V. quam refert Nauarr. *cap. 27.* (non 22. vt leges apud Bonac.) *num. 158. vers. Decimasexta.* Sorbus *verb. Ordines.* Sayrus *loco cit. num. 2.* Bonacina n. 6. Bassæus *verb. Suspensio* 4. num. 41. & alij. Excipiuntur tamen ordinantes Patres Societatis I E S V, per Bullam Gregorij XII. quia vi huius, ordinari possunt, ante emissam solemnem professionem ad titulum sufficientis litteraturæ. Legatur Palao *disp. 4. punct. 10. §. 3. n. 1.*

11. Episcopus, qui ordinat Monachum sine licentia proprii Abbatis, dicitur ipso iure alienus à communione aliorum Episcoporum; ita vt contentus sit communione suæ diocesis *cap. fin. dist. 58.* quod videtur ad suspensionem quandam pertinere, vt ait Henriquez, vel, vt alij volunt, ad speciem quandam minoris excommunicationis. Legatur de hac pœna Henriquez *lib. 13. cap. 38. num. 1.* Syluester, & Sotus penes ipsum. Sayrus *lib. 4. cap. 14. num. 24.* Filliucius *tract. 17. cap. 8. q. 4. num. 144.* Bonacina *disp. 3. de suspens. punct. 5. §. 2. num. 7.* Bassæus *loc. cit. num. 43.* Palao §. 5. cit. num. 1.

12. Episcopus, qui ordinat aliquem cum pacto, vt ordinatus non petat ab ipsomet ordinante, alimenta in defectum beneficij, aut patrimonij, suspensus manet à collatione ordinum per triennium, cap. *Si quis ordinauerit, de simon.* De qua suspensione, Bonacina *punct. 5. cit. §. 1. n. 1. & §. 2. num. 15.* Auila *part. 3. disp. 5. dub. 4. concl. 1.* Rastellius *loc. cit. pag. 210. vers. Nona suspensio.* Nauarr. *cap. 27. n. 158.* Filliuc. *loc. cit. q. 3. n. 143.* Palao §. cit. num. 1.

13. Episcopus qui confert Ordines, vel tonsuram per simoniam, non solum incurrit suspensionem ab omni officio, & beneficio, inclusam in excommunicatione, quam contrahit per Extrauagantem Pauli II. desimonia, Papæ reseruatam, sed etiam incurrit aliam propriam suspensionem, non tantum à collatione Ordinis, quem simoniacè contulit, sed simpliciter à collatione Ordinum, & primæ Tonsuræ, per *cap. penult. de simonia,* necnon & à Pontificalibus, & ingressu Ecclesiæ, ex Bulla Sixti V. quæ in hac parte reuocatam non fuisse à Clement. VIII. tradit Sayrus *lib. 4. cap. 12. num. 32.* Sic ille. Et Suarez *disp. 3. 1. sect. 4. num. 24. & 25.* vbi addit verius esse dictam suspensionem non esse perpetuam, sed solum triennalem. Filliuc. *tract. 17. cap. 7. q. 5. n. 128.* Bonac. *punct. 5. §. 2. n. 16.* Rastellius *loc. cit. pag. 210. vers. Et quamuis Sixtus V.* Palao *disp. 4. punct. 10. §. 5. n. 1.*

14. Episcopi, qui non publicant acta Concilij Prouincialis infra sex menses à fine Concilij incurunt bimestrem suspensionem ab officio, ex *cap. fin. dist. 18.* vt aiunt Glossa *ibi, verb. excommunicatis.* Syluest. Angel. Armilla, & alij, quos affert, & sequitur Henriquez *lib. 13. cap. 38. num. 3. vers. Quarto.* Suarez etiam *disp. 3. 1. (non 33. vt leges apud Rastellium) num. 7.* vbi addit, talem suspensionem, seu vt alij volunt, excommunicationem, iam non esse in vsu, etiam in Hispania, in qua illud ius statutum fuit in Concil. Toletano 16. *cap. 7.* in collectione Loayse; imò nec fortè aliquando fuisse in Ecclesia vniuersali receptam. Sic ille. Et ex illo Rastellius *art. 2. de suspens. pag. 211. vers. Prima suspensio.* Bonacina *disput. 3. punct. 5. §. 2. num. 32.* Filliucius *tract. 17. cap. 8. q. 4. num. 145.* & Palao *disp. 4. punct. 10. §. 5. n. 2.*

15. Episcopi, qui contra simoniacos procedere

negligunt, per duos menses suspensionem incurrunt: per *cap. Quidquid* 1. q. 1. vbi Glossa *verb. Excommunicatis.* Rastellius *pag. 112. vers. Quarta est.* Bonacina *loc. cit. n. 33.* Bassæus *verb. Suspensio* 4. n. 58.

16. Episcopi, qui permittunt vsurarios manifestos alienigenas locare domos in suis terminis ad exercendas vsuras, sunt suspensi ab officio, & beneficio, donec illos expellant, per *cap. Vsuras, de vsuris in 6.* Suarez *disp. 3. 1. sect. 5. n. 13.* Sayrus *lib. 4. cap. 12. n. 48.* Filliucius *tract. 17. cap. 8. q. 7. n. 152.* Bonac. *loc. cit. num. 34.* Rastellius *pag. 212. vers. Quinta est.* Binsfeldius *part. 5. de Censur. cap. 8. vers. Decimasextima.*

17. Episcopi, qui limina Apostolorum non visitant per se, vel per alium, dum ipsi detinentur iusto impedimento, tempore præscripto in Bulla Sixti V. quæ incipit, *Romanus Pontifex,* incurrunt suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, perceptione fructuum, & administratione temporalium, & spiritualium. Pro hac suspensionem, nota, quod ad visitanda limina Apostolorum, Episcopis Italis, & illis vicinis conceditur tempus trium annorum. Germanis, Gallis, Hispanis, & cæteris Europæ Episcopis induciæ quatuor annorum. Aliis verò remotioribus, conceditur quinquennium. Aliis tandem magis remotioribus, decennium; in quo quidem tempore computatur tempus Prædecessoris. De hoc legatur Rastellius *de suspens. art. 2. pag. 213. vers. Nona est.* Sayrus *lib. 4. cap. 12. num. 33.* Bonacina *disp. 3. punct. 5. §. 2. num. 30. & 31.* Filliucius *tract. 17. cap. 8. quas. 9. num. 159.* Palao *disp. 4. num. 10. §. 5. num. 15.*

18. Episcopi, qui prima vice Monasteria Monialium, sine necessitate ingrediuntur, incurrunt suspensionem ab ingressu Ecclesiæ. Qui secunda vice, suspenduntur à diuinis. Qui verò tertia, ligantur excommunicatione per Bullam Gregorij XIII. Bonac. *loc. cit. num. 29.* Bassæus *num. 62.* Filliucius *loc. cit.* Palao *tract. 16. de statu Religioso, & hic disp. 4. punct. 10. §. 5. num. 16.*

19. Episcopi, qui bona Ecclesiarum, Monasteriorum, vel locorum piorum, absque licentia Summi Pontificis, alienant, suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ. Et si elapsis sex mensibus non respuerint, suspenduntur ab administratione temporali, & spirituali suarum Ecclesiarum. Quod idem dicendum est de Abbatibus. Alij verò inferiores ligantur excommunicatione, per Extrauag. *Ambitiosè, de reb. Eccles. non alien.* Bonacina *loc. cit. n. 27.* Bassæus *n. 49.* Sayrus *lib. 4. cap. 12. n. 54.*

20. Episcopi, qui ex amore, gratiæ, vel commoditatis temporalis omittunt procedere contra crimen hæresis, suspenduntur ab officio per triennium, *Clement. 1. §. Verum, de hæret.* Inferiores verò sancti officij Inquisitores, sic omittentes pœnam excommunicationis incurrunt. Sic Nauarr. *cap. 27. n. 100.* Henriquez *lib. 13. cap. 38. num. 3. vers. Septimò Episcopus,* & penes illum *lit. P.* Syluest. Caietan. Armilla, & alij. Suarez *disp. 3. 1. sect. 5. n. 16.* Sayrus *lib. 4. cap. 12. n. 50.* Filliucius *tract. 17. cap. 8. quas. 7. n. 153.* Bonacina *punct. 5. cit. §. 2. n. 23.* & Palao *disp. 4. punct. 10. §. 5. n. 6.*

21. Episcopi, qui relaxant incendiariis pœnam in *cap. Pessimam* 23. *quas. 8.* suspenduntur ab officio Episcopali per annum. Sayrus *lib. 4. cap. 12. n. 44.* Filliuc. *cap. 8. cit. q. 9. n. 159.* Bonac. *loc. cit. n. 26.* Palao *disp. 4. punct. 10. §. 5. n. 11.*

22. Episcopi, qui à Synodo Prouinciali admoniti, à concubinato non recedunt, suspenduntur ab officio, & beneficio. Trident. *sess. 25. cap. 14. de Reformat.* Sic Filliuc. *q. 8. n. 158.* vbi notat, satis esse vnam admonitionem, post quam, si non statim, & absque morali dilacione tollat occasionem delicti, & scandali, incurrunt suspensionem. Bassæus *num. 56.* Rastellius *loc. cit. pag. 211. vers. Secunda est.* Henriquez *lib. 13. cap. 36.*  
Auila

Auila 3. p. disp. 5. dub. 2. Suarez disp. 31. sect. 5. n. 2. Bonacina tom. 3. disp. 3. quest. 7. punct. 4. n. 4. & Palao disp. 4. punct. 10. §. 5. n. 10.

23. Episcopi, qui post Episcopatum carnaliter cognoscit illam, quam ante Episcopatum, habuit eam in concubinam, suspenditur ab ordine in cap. *Habuisse*, dist. 33. Hæc tamen suspensio secundum Sayrum lib. 4. cap. 12. n. 43. Rastellium art. 2. de *suspens. loc. cit.* Filliuc. tract. 17. cap. 8. q. 9. n. 159. Palao §. 5. cit. n. 10. & alios, solum est conferenda.

24. Episcopi, qui conferunt gradum Doctoris, non recepto iuramento prius expressè in *Clem. Cum sit, de Magist.* suspenduntur à collatione gradus. Sic Henriquez lib. 13. cap. 38. n. 3. Syluest. verb. *Suspensio*, num. 34. Rastellius *loc. cit. vers. Septima est*, vbi ex Nauarro c. 27. n. 153. *vers. Septimò dico*, notant, quod facultas concedendi gradum Doctoratus data à Rege, vel Imperatore, quia sæcularis est, suspendi proprie possit, quidquid sentiat Glossa *Clem. Cupientes*, col. 2. Et hæc satis circa Episcopos.

## §. III.

De suspensionibus latis in iure contra Religiosos.

## QVÆSTIO XXIV.

Quot & quæ sunt suspensiones late in iure, & in alijs Bullis Pontificum, contra Religiosos?

Respondeo principaliores esse sequentes.

Prima est contra Conuentus, & capitula, quæ aliquid petunt ob receptionem alicuius in Religionem: ista enim suspenduntur ab officio, & beneficio per Extravaag. *Sanè, de simon.* De qua suspensione Sayrus lib. 4. cap. 13. num. 27. Viualdus de *suspens. num.* 45. Filliucius tract. 17. cap. 8. *quæst. 10. num.* 161. Bonacina disp. 3. de *suspens. punct.* 5. §. 3. num. 3. & §. 4. num. 1. Qui notant, Moniales contra facientes, non incurrere has pœnas propter pacta, & conuentiones, quas ante faciunt pro dotibus recipiendarum in commodum earum victum, per priuilegium Clement. VII. Et consequenter, neque peccant exigendo pastus, prandia, & alia fieri consueta, quidquid dubitet Viualdus, quia hæc sub dote comprehenduntur, vt notant Filliuc. & Bonac.

2. Religiosi non professi, qui ad sacros Ordines promouentur, sunt suspensi ab Ordinis susceptione, per Bullam Pij V. *Romanus Pontifex* 74. Excipiuntur tamen Patres Societatis IESV, iuxta dicta supra §. 2. num. 10. De qua suspensione Filliucius tract. 17. cap. 9. *quæst. 6. n.* 174. Bassæus *suspensio* 4. n. 74. Bonacina n. 3.

3. Religiosi, qui absque Reuerendis proprii Prælati, initiantur sacris, ipso iure manent suspensi, Henriquez lib. 13. cap. 4. n. 1.

4. Religiosi, qui Ordines sacros suscipiunt, dum in Apostasia remanent, remanent suspensi ab Ordinibus sic susceptis, & ab alijs suscipiendis, donec per Pontificem dispensetur, ex cap. *fin. de Apostatis*. Henriquez *loco cit. vers. Secundò*. Suarez disp. 31. sect. 6. n. 1. Filliucius cap. 9. cit. q. 1. n. 163. Bonac. n. 4. Sanchez lib. 6. in *Decalog. cap.* 8. n. 22. & alij.

5. Religiosi, qui recipiunt ad professionem ante expletum annum approbationis, manent suspensi à receptione quorumlibet ad professionem: nec valet professio. cap. *Non solum*, & cap. *Constitutionem, de Regularibus* in 6. De hac pœna Suarez disp. 31. sect. 6. n. 6. Filliucius *loc. cit. & num.* 166. Henriquez lib. 13. cap. 40. n. 2. in *sine*. Sayrus lib. 4. cap. 13. n. 13. Nauarrus cap. 27. n. 157. Bonacina *loc. cit. n. 2. & tom.* 3. disp. 3. q. 8. punct. 5. n. 12. Palao disp. 4. punct. 10. §. 6. n. 2. Qui cum aliquibus probabilibus censet huic suspensioni non subiaccere Moniales.

R. P. Leand. de Censuris.

6. Religiosi quicumque, siue mares, siue fœminæ, qui concedunt iura, redditus, vel possessiones Ecclesiarum, Monasteriorum, &c. alicui ad vitam, nisi ex necessitate, vel utilitate Ecclesiarum, Monasteriorum, &c. & cum consensu Conuentus, si habeant, aut si non habeant, de consensu Prælati superioris, suspensi sunt ab officio, & est inualida concessio, per *Clem. 1. de rebus Eccles. non alien.* Suarez disp. 31. sect. 6. n. 8. Nauarr. cap. 27. n. 157. Sayrus lib. 4. cap. 13. num. 12. Henriquez lib. 13. cap. 4. n. 1. Syluest. Auendaño, Corduba, Perez, & alij penes ipsum. Filliuc. tract. 17. cap. 9. q. 3. n. 167. & q. 4. n. 168. & 169. Bonac. disp. 3. de *suspens. punct.* 5. §. 4. n. 5. Palao disp. 4. cit. §. 6. n. 3.

7. Religiosi quicumque, qui decimas quascumque pertinentes ad Parochiam, aut aliam Ecclesiam, sibi vsurpant, vel appropriant absque causa, & priuilegio, suspensi manent ab officio, & beneficio, nisi infra mensem requisitus, qui habet administrationem non desistat, & intra duos menses satisfaciatur. Quod si officia, aut beneficia non habeant, ipso facto excommunicationem incutunt, ita vt absolui non possint, donec satisfaciatur. Sic Henriquez *loc. cit. n.* 3. Suarez n. 9. Sayrus n. 10. Filliucius n. 167. Bonacina n. 6. Viuald. de *suspens. n.* 101.

8. Religiosi, seu Monachi Benedictini, qui non vtuntur habitu, & vestitu, modo ipsis præscripto in *Clem. 1. §. Si quis autem, de statu Monach.* Sed præsumunt portare solutales non corrigiatis, & altos, aut caputia non scissa; si fuerint Abbates, aut Priores Abbates non habentes, à collatione beneficiorum per annum suspenduntur. Si fuerint inferiores habentes administrationem aliquam, eadem per annum priuantur: si verò nullam administrationem habeant, fiunt inhabiles ad illam, vel beneficium intra annum recipiendum. Sic Suarez disp. 31. sect. 6. n. 10. vbi circa hanc pœnam aduertit, primò, non de omnibus Religiosis, aut Monachis, in d. *Clem. sermonem esse*, sed solum de Monachis S. Benedicti, & ideo non esse extendendam ad alios Religiosos. Secundò aduertit ad hanc censuram incurrendam requiri præsumptionem, quia in textu dicitur: *Si presumpserint portare*: iuxta quæ verba, requiritur vt aliquis cum sufficienti aduertentia, & per modum ordinarij habitus, illo vtatur sibi prohibito. Sic etiam Filliuc. n. 167. & 170. Bonac. n. 14. Diana p. 5. tr. 10. ref. 44.

9. Monachi ipsimet nigri, qui venationi, aut aucupationi clamorosa, vel alijs cum canibus, aut auibus, ex proposito interfunt, eandem suspensionem, duplicato tamen tempore, hoc est, per biennium incurrunt. *Clem. 1. cit.* Nota etiam, circa hanc pœnam, quod ab illa excusabitur Monachus, vel ob paruicatem materiæ, vel inaduertentiam, aut bonam fidem, aut ob interessentiam casualem; quia in textu dicitur: *Ex proposito interfuerint*. Sic Suarez, & Filliuc. *locis cit.* Bonac. n. 15. & penes illum, Raynerius, Sayrus, Viualdus, & Henriquez, Palao disp. 4. punct. 10. §. 6. n. 8. & omnes.

10. Religiosi Ordinis Prædicatorum, qui prius consecrantur Episcopi, quàm Ordini resignent libros, & alia quæ tempore promotionis ad Episcopatum habent, incurrunt suspensionem à Pontificalibus Papæ reseruatam. D. Antoninus 3. part. tit. 27. de *suspens. cap.* 4. ex quodam priuilegio Clementis IV. Syluest. verb. *Suspensio*, vers. 38. & 39. Henriquez lib. 13. cap. 40. n. 3. in *sine*. Bonac. n. 7. Palao *loc. cit. n.* 11.

11. Prælati Religiosorum, qui infra mensem postquam requisiti fuerint, non satisfaciunt damno illato occasione quorundam excessuum suorum subditorum, suspenduntur absolute vsque ad debitam satisfactionem. *Clem. 1. de priuil.* Sic Henr. lib. 13. cap. 40. n. 4. vbi recenset excessus in d. *Clement.* prohibitos, per hæc verba: Suspenditur Religionis Prælati, nisi damno satisfaciatur, quod aliquis ex suis subditis intulit, detrahendo Prælati in concione, prædicando



indiscretas indulgentias, retrahendo laicos ne ad parochiam accedant; absoluendo sine priuilegio à referuatis Episcopo, vel Papæ. Et in temporalibus, si impediuit liberam testatoris voluntatem; maximè ne legatum faceret Matrici, aut Parochiæ. At non prohibentur Regulares inducere morientes, vt spontè legent aliquid suo Monasterio, dum indiget, aut reducere in memoriam, propriam necessitatem. Vel si debita incerta, cum aliorum præiudicio, applicet Prælati sibi, aut Monasterio. Hæc Henriquez. Nauarrus etiam cap. 26. num. 36. Suarez disp. 3. sect. 6. n. 11. Sayrus lib. 4. cap. 13. n. 11. Filliuc. tract. 17. cap. 9. q. 4. n. 171. Bonac. disp. 3. cit. punct. 5. §. 4. n. 8. 9. & 10.

12. Religiosi Confessarij, qui scienter omittunt conscientiam facere pœnitentibus de soluendis decimis, postquam à Rectoribus Ecclesiarum fuerunt de hoc requisiti, suspenduntur ab officio prædicandi ipso facto, donec Pœnitentibus eisdem conscientiam circa eandem rem fecerint, si commodè potuerunt. Clem. Cupientes, de pœnis. Sayrus n. 18. Suarez n. 12. Bonacina num. 11. Filliuc. n. 171.

13. Religiosi coniungentes in matrimonio, vel benedicentes sponfos alienæ parochiæ, absque facultate proprij Parochi, vel Ordinarij, manent suspensi, donec ab Episcopo absoluantur, ex Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de Reform. De hac Suarez disp. 3. sect. 6. n. 14. Filliuc. n. 173. Bonac. n. 17. & nos in simili supra q. 19.


14. Religiosi, qui præsumunt introducere mulieres in Monasteria virorum, suspenduntur ipso facto à diuinis, & priuantur beneficiis, & fiunt inhabiles ad illa. Ex Bulla Pij V. quæ incipit, Regularium 22. Filliuc. n. 174. Bonac. n. 18. Bassæus n. 75. Palao disp. 4. punct. 10. §. 6. num. 9.

### QVÆSTIO XXV.

*An Suspendus, mortaliter peccet, violando suspensionem?*

**R**espondeo tanquam certum: Peccare mortaliter ex suo genere, quia in re graui violat præceptum Ecclesiasticum. Notanter dixi, *Ex suo genere*, quia ratione paruitatis materiæ, potest à mortali excusari; vt si Suspendus ab ingressu Ecclesiæ, paruo tempore commoretur in Ecclesia dum recitantur diuina officia. Sic omnes. Nauarr. cap. 27. n. 163. Henriquez lib. 13. c. 3. n. 1. & penes ipsum lit. A, Syluest. & Couarr. Auila 3. part. disp. 2. dub. 2. & apud ipsum, Ledesma 2. p. 4. q. 26 art. 2. Sayrus lib. 4. cap. 11. n. 8. Suarez disp. 27. sect. 2. Filliuc. tr. 17. c. 10. q. 1. n. 1. Bonac. disp. 3. de Suspend. punct. 4. n. 1. An verò in aliquo casu possit Suspendus non toleratus licitè administrare sacramenta, patet ex dictis de excommun. & de censur. in communi.

An autem Suspendus violans suspensionem fiat irregularis dicitur infra tract. de irregularitate.



## DISPUTATIO V.

### De Absolutione à Suspensione.

#### QVÆSTIO PRIMA.

*An Suspendio lata ad certum tempus, v. g. per mensem, vel sub conditione, v. g. donec satisfeceris, eo tempore elapso, vel facta satisfactione, cesset Suspendio, sine noua absolutione?*

**N**EGANDVM videtur, quia excommunicatio lata cum hac conditione, donec satisfeceris, non

cessat posita satisfactione, sed adhuc auferenda est per absolutionem, vt constat ex dictis *supr. de excommun. disp. 11. quæst. 5.* ergo idem videtur dicendum de suspensione.

Sed hac paritate non obstante, alij communiter affirmatiuè respondent. Quia, inquit, sicut prohibitio non extenditur ultra intentionem prohibentis, ita nec extenditur suspensio. Sic Nauarr. cap. 27. n. 161. qui testatur esse communem sententiam. Henriquez lib. 13. cap. 35. n. 2. vbi sic ait: Suspendio ad certum tempus à iure, vel ab homine, eo finito, tollitur absque alia absolutione. Quod si per annum fuit suspensus, hic posset celebrare in vltimo die anni bissexti. Ita Henriquez, & penes illum lit. X. Syluest. Couarr. Angel. Armilla, Bern. Diaz, Perez, & alij. Suarez disp. 29. sect. 1. n. 1. Tolet. lib. 1. cap. 46. Filliuc. tract. 17. cap. 3. q. 7. n. 48. & cap. 4. q. 7. n. 67. & 71. Ægid. disp. 15. n. 30. Bonac. disp. 3. de Suspend. punct. vltimo, n. 1. Qui ad rationem dubitandi respondet negando consequentiam; quia ita in praxi receptum est in suspensione, & interdicto, non verò in excommunicatione.

Sed ego distinctius respondeo dicendum, Non cessare ex vi iuris, sine noua absolutione; benè tamen ex vi consuetudinis, vbi legitime introducta fuerit, vt constat ex dictis *disp. 11. q. 5. cit.*

### QVÆSTIO II.

*An Suspendio hac si lata sit à iure ad certum tempus, possit auferri ab Episcopo, ante tempus completum?*

**A**ffirmat Panormit. (apud Auilam) in cap. *Tam ex litteris, de testibus, n. 3.* quamuis oppositū expressè sentiat in cap. *Quam sit graue, de excessib. Pralat.* Vnde Absolutè tanquam quid certum respondeo: Non posse auferri ab Episcopo, sed à solo Papa. Ratio est, quia tollere hanc suspensionem ante elapsum tempus, esset dispensare in iure, quo talis suspensio lata est, quod nulli conceditur, nisi soli Papæ. Sic Palud. Syluest. Angelus Henriq. Bern. Diaz, & Couarr. quos citat, & sequitur Auila 3. parte, disp. 6. dub. 1. concl. 3. & concl. 7. Cornejo disp. 5. de Suspend. dub. 1. vers. *Si roges.* Suarez disp. 29. sect. 1. n. 16. Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 52. Palao disp. 4. punct. 9. n. 2. & alij.

### QVÆSTIO III.

*An saltem possit Episcopus absolvere à Suspensione lata à iure, etiamsi reseruata sit Papa, si proueniat à delicto occulto?*

**R**espondeo posse in hoc casu. Quia ita concessit Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. vt constat ex dictis tract. 2. de excommunic. q. 41. & sequent. Sic Auila loc. cit. ibi: Limitanda tamen hæc conclusio post Concilium Trident. quando suspensio imposita est propter delictum occultum: tunc enim potest Episcopus absolvere, etiam ante impletum terminum. Ita ille. Et penes ipsum, Henriquez, & Syluester. Cornejo etiam loc. cit. Bonac. disput. 3. punct. vlt. & n. vlt. Palao disp. 4. de Censur. punct. 9. n. 7. Layman lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 4. & alij penes ipsos.

### QVÆSTIO IV.

*An à Suspensione lata à iure simpliciter, & absolute, absque eo quod reseruata sit Papa, possit Episcopus absolvere?*

**N**egant ex parte, apud Auilam, Syluester, Panormit. & Felinus, necnon Henriquez lib. 14. cap. 20. n. 4.

n. 4. in fine, quatenus docent, non posse Episcopum absolvere à suspensione, quando hæc est imposita propter delictum malus adulterio; benè tamen quando est imposita ob adulterium, aut ob alia delicta à delictis minoribus, ut sunt venatio, ludus aleæ, vinolentia, &c. Ita etiam Filliuc. tract. 17. cap. 4. q. 6. n. 68.

Sed absolutè, & absque vlla limitatione respondeo: Possè, quia eo ipso quod conditor iuris non reservavit sibi absolutionem suspensionis; eo ipso concessisse videtur aliis facultatem habentibus, ut ab illa absoluant: ut de excommunicatione diximus supra, & probavimus ex cap. Nuper, de sentent. excommun. ergo possunt Episcopi absolvere à dicta suspensione; necnon & Abbates, & alij Religionum Prælati qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem. Sic Auila 3. part. disp. 6. concl. 4. & penes illum, Glossa in Clem. 1. de heret. §. penult. verb. Excommunicationis, & cap. Cupientes, §. Caterum, verb. Suspensus, de elect. in 6. Sic etiam Sayrus lib. 4. cap. 17. num. 14. Suarez disput. 29. sect. 1. num. 19. & 20. Cornejo de suspens. disput. 5. dub. 1. dicto 1. & Palao disput. 4. punct. 9. num. 4. & alij plures penes ipsum.

## QVÆSTIO V.

An à Suspensione lata simpliciter in pœnam; possit quis absolui per Bullam Cruciatæ?

Respondeo posse, quia in Bulla huiusmodi habetur quod possit quis absolui à quacunque censura Ecclesiastica: at sic est, quod suspensio est verè censura, ut patet ex dictis supra tract. 1. disp. 1. quest. 3. ergo. Sic Auila loc. cit. dub. 2. Cornejo loc. cit. dicto 3. & Filliuc. cap. 4. cit. quest. 6. num. 68. per hæc verba: Dico secundò, si loquamur de potestate delegata, si est data alicui per priuilegia, consulantur illa; si enim dicant, vi eorum posse quempiam ab omni censura Ecclesiastica, sic poterunt etiam à suspensione tales priuilegiari: Sic per Bullam Cruciatæ possunt ex communi apud Armill. (lege, Auilam) 3. part. disp. 6. dub. 2. & etiam per Iubileum. Si item suspensio est ab homine, ab eo solo tolli potest, qui eam tulit, superiore eius, successore, & aliis, de quibus supra in materia de censuris, & excommunicatione. Hucusque Filliucius. Legantur Cornejo loco cit. dub. 2. in fine, ubi idem docet loquendo de suspensione lata ab homine, nempe, neminem posse ab ea absolvere, nisi qui eam tulit, aut eius successor, aut superior; unde tolli potest per Bullam Cruciatæ, cum sit priuilegium à supremo omnium Pastore concessum.

## QVÆSTIO VI.

An in absolutione Suspensionis, requirantur verba determinata?

Respondeo non requiri, ut constat ex dictis supra de absolutione excommunicationis. Nihilominus est necessaria aliqua forma, quæ sufficienter declaret effectum, unde vsitata apud viros doctos hæc est: *Ego te absoluo à vinculo suspensionis, quam incurristi, & restituo te ad executionem tui muneris, vel Ordinis, vel ad tuum beneficium.* Sic ex Angelo, Tabiena, Syluestro verb. Absolutio, Nauarro cap. 27. num. 101. & aliis docet Suarez disp. 29. sect. 3. num. 1. Auila part. 3. disp. 6. dub. 4. Bonac. disp. 3. punct. ultimo, num. 2. ex Valentia, Rodriguez, Filliucio, & Palao locis cit. Qui notant, quod quando dubia est suspensio, tunc præstanda sit absolutio non absolutè, sed hac conditione; si teneris vinculo suspensionis, ego te absoluo, &c.

## QVÆSTIO VII.

An in absolutione Suspensionis, sit necessarium, exprimere causam, ob quam contracta est?

Affirmatiuam partem insinuare videtur Auila loc. cit. eo quod hanc formam ad absoluendum à suspensione constituat, nempe: *Absoluo te à vinculo suspensionis, quam incurristi ob hanc, vel illam causam, & restituo te pristina executioni.* Auilæ consonat Palao loc. cit.

Sed absolutè respondeo: Non esse necessarium, Quia (ut ait Suarez) ad indicandum effectum absolutionis, qui est, tollere suspensionem, non oportet exprimere causam suspensionis; nam hoc extrinsecum est. Et ideò in absolutione generali, quam solemus ad cautelam dare ab omni vinculo suspensionis, nullam explicamus causam: quando autem absolutio est alicuius suspensionis particularis, ut ad illam determinatè dirigatur absolutio, sufficit intentio absoluentis, quamuis in verbis non fiat determinatio per explicationem causæ. Sic Suarez disp. 29. sect. 3. num. 1. Bonac. loc. cit. n. 3. & alij. Et constat ex dictis de absolutione censurarum. Ex quibus dictis ibidem, constat, quod in delictis grauibus petendum sit iuramentum obediendum Ecclesiæ, ante absolutionem suspensionis; necnon satisfactio sufficiens, & cautio. Quod & notant Bonac. & Auila loc. cit. & Filliuc. tract. 17. cap. 4. in fine.

**TRACTATUS QUINTVS  
DE INTERDICTO,  
TERTIA CENSVRÆ SPECIE.**

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

**DISPVATIO PRIMA.  
De Essentia, & diuisione Interdicti.**

QVÆSTIO PRIMA.

*Quid sit Interdictum secundum se?*

**R**ESPONDEO quod est, *Censura Ecclesiastica prohibens usum quarundam rerum diuinarum, vt fidelibus communem, & quatenus est usus talium rerum.* Hæc definitio colligitur ex cap. *Non est vobis*, de sponsal. & ex cap. *Quod in te*, de pœnit. & remiss. Eamque tradunt Sotus *dist. 22. quæst. 3. art. 1.* Suarez *tom. 5. disp. 32. sect. 1. n. 3. & 4.* Filliucius *tract. 18. cap. 1. quæst. 2. num. 3.* Cornejo *tract. 5. de Censur. quæst. 4. disp. 1. in principio.* Legantur etiam Auila *part. 5. disp. 1.* Nauarr. *c. 27. à num. 164.* Henriquez *lib. 13. à cap. 41.* Couarr. *in cap. Alma mater, part. 2. per totam.* Bonacina *de Censuris, disp. 5.* Reginaldus *lib. 32. tract. 3. cap. 25.* Alterius *tom. 2. tract. de Interdicto, disput. 1. cap. 1.* Palao *de Censuris, disput. 5. num. 2.* Hurtad. *tract. de Interdicto, difficult. 1.* Aegidius *disput. 17. dub. 1.* Layman *lib. 1. tract. 5. part. 4. cap. 1. & alij.*

QVÆSTIO II.

*An Interdictum in communi, rectè diuidatur in Interdictum Locale, Personale, & Mixtum ex utroque?*

**N**Egat Henriquez *lib. 13. cap. 42. num. 3.* cum aliis, per hæc verba: Diuiditur Interdictum, in locale tantum, & purè personale: & quidam addunt mixtum ex locali, & personali, quod alij omittunt. Nempe, (*addit in margine lit. M.*) Palud. *quæst. 8. art. 4. argum. 3.* Soto, Angel. *interdict. 1. §. 1.* quia Mixtum, sub aliis includitur, nec est de illo specialis ratio, vt benè Nauarr. *num. 166.* Hæc Henriquez. Cuius sententiam amplectitur Suarez *disp. 32. cit. sect. 1. num. 3.* necnon Alterius *disp. 1. cit. cap. 3. col. 1.* cum aliis doctis, Interdictum, solùm esse duplex, nempe locale, & personale. Quia de his solùm fit mentio in cap. *Presenti*, cap. *Si scientia*, & cap. *Si cõnitas*, de sentent. excomm. in 6.

Sed nihilominus cum communi sententia respondeo. Rectè diuidi in dictas tres species; quia re vera, vltra interdictum locale, quo directè interdicatur locus: & interdictum personale, quo interdicatur persona, datur aliud, quod continet locale, & personale, quo locus, & personæ simul interdicuntur; quod verè est (vnum tertium coalescens ex vtroque dicto, indiuisibiliter contra locum, & personam latum, quod fideò dicitur mixtum. Quod virtute in textibus adductis continetur. Sic in primis Nauarrus

*loc. cit. ab Henrico pro sua sententia, Tolerus lib. 1. c. 51. n. 3.* Syluester, & Tabiena apud Alterium. *Filliuc. rr. 18. cap. 1. q. 3. n. 4.* Bonac. *de Interdicto, punct. 1. n. 2.* Auila *p. 5. disp. 1. dub. 1.* Reginald. *cap. 25. cit. n. 3.* Hurtadus *tract. de Interdicto, diff. 2.* Cornejo *de Interdicto, disp. 1. in princip.* Bauny *tract. 9. de Interd. quæst. 1.* Bassæus *verb. Interdictum 1. num. 1.* Viuald. *2. part. tract. de Interd. n. mibi 119. & 123.*

QVÆSTIO III.

*Quid sit Interdictum locale?*

**R**ESPONDEO dicendum, quod est *censura Ecclesiastica, qua immediatè, & directè interdicatur aliquis locus, ne in eo celebrentur diuina officia, nisi modo præscripto à iure.* Et consequenter, & indirectè interdicuntur personæ in eo loco facere, vel audire diuina officia. Sic omnes. Auila *disp. 1. cit. dub. 1. concl. 1.* his verbis. Interdictum purè locale est, quando tantum interdicatur locus, ne in eo audiantur officia diuina, itavt nec ciues, nec exteri possent ibi audire diuina: at verò quæcumque personæ non interdictæ poterunt ea audire in alio loco non interdicto. Sic ille. Viualdus, Filliucius, Bonacina, Cornejo, Bassæus *locis cit.* & alij omnes.

QVÆSTIO IV.

*An Interdictum locale, rectè & adequatè diuidatur in generale, & speciale?*

**N**Egat Angel. *verb. Interdictum 1. n. 1. & Interdict. 2. in principio*, vbi Interdictum locale, esse triplex per hæc docet verba: Interdictum locorum, aliud generale, vt cum interdicatur Regnum, vel Prouincia, vel Diocesis. Aliud speciale, vt cum interdicatur Ciuitas aliqua, Castrum, vel Villa. Aliud singulare, vt cum interdicatur certa Ecclesia, vel Capella, &c. Ita Angel. cuius sententiam tenet etiam Bauny *tract. de Interd. quæst. 1. vers. Diuiditur autem, & vers. Interdictum generale.*

Sed cum communi sententia Doctorem respondeo dicendum. Rectè & adequatè diuidi Interdictum in generale, & speciale; seu (vt alij loquuntur) in vniuersale, & particulare. Colligitur ex cap. *Presenti, de sent. excomm. in 6.* & cap. *Cum in partibus, de verb. signif.* vbi de duplici hoc Interdicto, nempe generali, & speciali, fit mentio. Nec alibi in iure insinuat illud tertium interdicti genus, quod adstruunt Angel. & Bauny: ergo. Igitur Interdictum (locale generale, seu vniuersale, est; quo interdicatur Regnum, vel Prouincia, vel Diocesis, vel Ciuitas, Villa, vel Castrum: vt dicitur in d. cap. *Cum in partibus*, & notat ibi Glossa. Speciale verò, seu particulare, est quo interdicatur aliqua dumtaxat Ecclesia, vel aliqua. Sic Syluester *verb. Interdictum 1. quæst. 3.* Sotus *loc. cit. art. 1. col. 4.* Nauarrus *cap. 27. num. 166.* & Couarr. *in cap. Alma mater, p. 2. §. 1. num. 9.* quos citat, & sequitur Auila *p. 5. disp. 1. dub. 1. conclus. 2.* Suarez

Suarez *disp.* 32. *sect.* 2. *n.* 4. Filliuc. *tr.* 18. *c.* 1. *q.* 3. *num.* 5. Bonac. *punct.* 1. *cit.* n. 4. Cornejo *disp.* 1. *de Interd.* *dub.* 1. *q.* 2. Henriqu. *lib.* 13. *c.* 42. *n.* 3. Ægidius *disp.* 17. *dubio* 1. *n.* 3. Palao *de Censur.* *disp.* 5. *puncto* 1. *n.* 3. & alij.

## QVÆSTIO V.

*An Interdictum, quo omnes Ecclesie alicuius Regni, Prouincia, aut Ciuitatis, &c. interduntur, sit Interdictum generale, casu, quo non vniuersaliter omnis locus dicti Regni, Prouincia, &c. sit interdictus?*

**A**ffirmare videtur Sotus *dist.* 22. *q.* 3. *art.* 1. *col.* 4. his verbis: Generale enim Interdictum loci est, quando interdicitur totum Regnum, vel tota Ciuitas, vel Castrum. Dicitur enim generalè, quia nulla Ecclesia excipitur; vt colligitur ex cap. *Cum in partibus. de verb. signif.* Interdictum speciale loci est, quando aliqua Ecclesia, vel Ecclesie Ciuitatis, vel Castri interduntur, & non omnes. Ita Sotus. Cuius sententia cur non sit admittenda, ignorat Viuald. *de interd.* *n.* 120. eidemque fauet Syluest. *verb. Interdictum.* 1. *quest.* 3.

Sed probabilius respondeo: Tale Interdictum potius esse dicendum speciale, aut particulare, quam generale, aut vniuersale. Quia probabilius est, quod vt locus dicatur generalis, duo genera locorum continere debet, nempe, & locum sacrum, seu cultui diuino dicatum, vt sunt Tempia & Ecclesie; & locum profanum; & consequenter, vt interdictum locale sit generale, vtrumque locum debet comprehendere: ergo si non interdicitur totus locus vniuersalis, quantum ad vtrumque genus loci, facti, scilicet, & non facti, vt supponit quæstio, quamuis interduntur omnes Ecclesie Ciuitatis, aut Regni, vel etiam totius Mundi, si non interduntur tota Ciuitas, totum Regnum, vel tota Prouincia, aut totum Castrum, tale interdictum non erit generale, sed speciale. Sic colligitur ex cap. *Cum in partibus. cit.* Et ex illo docent D. Anton. 3. *p. tit.* 26. *c.* 2. §. 1. Nauar. *c.* 27. *n.* 166. Henriqu. *lib.* 13. *cap.* 41. §. 3. Couarr. *in cap. Alma mater. parte* 1. §. 1. *n.* 9. Philip. Franc. & Calderin. quos citat, & sequitur Alterius *de interd.* *disp.* 1. *cap.* 4. *dubit.* 3. Auila *parte* 5. *disputatione* 1. *dubio* 1. *vers.* *Sequitur.* 2. Suarez *disputatione* 32. *sectione* 2. *numero* 10. Sayrus *libro* 5. *capite* 2. *numero* 13. Ægidius *disputatione* 17. *num.* 14. Bonacina *puncto* 1. *numero* 8. Filliucius *tractatu* 18. *quest.* 3. *num.* 5. Cornejo *de interd.* *disp.* 1. *dubio* 1. *q.* 2.

## QVÆSTIO VI.

*An etiam, Interdictum positum in vna Parochia Ciuitatis, vel Oppidi, in quo sunt plures Parochie, sit item dicendum speciale, & non generale?*

**A**ffirmat Couarruu. *numero* 9. *citato*, & penes illum, Abbas, Calderin. & Nicolaus Plouius, & alij. Quorum sententiam sequitur Auila *parte* 5. *disputatione* 1. *dubio* 1. *versu.* *Hinc sequitur.* Sic eam probans. Nam Interdictum locale generale, idèd dicitur quia totum aliquod sine exceptione comprehenditur: Parochia verò, quando sunt plures in oppido illo, non potest dici totum, sed pars; nec locus Parochie deputatus potest dici locus vniuersalis, sed particularis: ergo non est interdictum generale, sed speciale. Tenet etiam hanc partem Alterius *de interd.* *disputatione* 1. *capite* 4. *dubitatione* 1. *columna* 2. *dicto* 3. Bonacina *disputatione* 5. *de interd.* *puncto* 1. *numero* 7. Quia pro sua sententia citat Henriqu. Sed malè, vt infra.

R. P. Leand. de Censuris.

Sed distinctius respondeo dicendum, quod non sit speciale, sed generale, si nomine Parochie; non intelligatur sola Ecclesia Parochialis, aut Templum; sed etiam totum districtum locale & profanum, vbi Parochiani habitant: quia tunc, cum nemini liceat intra ambitum totius districti Parochialis, Diuina celebrare, aut audire, nec intra, nec extra Ecclesiam, dicendum est id euenire ob interdictum generale; cum hoc habeat in eo casu obiectum, vt sic dicam, collectiuum, & illud respiciat tanquam totum quoddam quod generaliter prohibet. Nec obstat quod illud sit pars Ciuitatis, vel Oppidi, quia id accidentarium est ad rationem generalis interdicti. Sic Nauarr. *cap.* 27. *num.* 166. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 41. *n.* 3. vbi ita ait: Imò & quando interdicitur tota Parochia, videtur generale; quamuis quidam negant, quia iure non exprimitur. Sed falsò id negant, addit *in marg. lit.* Q. Vgolin. *rubr.* 5. *de interd.* *cap.* 6. Suarez *disp.* 32. *sect.* 2. *n.* 7. Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 1. *quest.* 3. *numero* 5. Cornejo *dubio* 1. *citato*, *questione* 2. *versic.* *Infero* 2. Ægidius *numero* 16. Palao *disputatione* 5. *puncto* 1. *numero* 4. qui malè citat Bonacinam pro se. Qui omnes contrà dicunt, casu, quo nomine Parochie, sumatur pro templo solo Ecclesie Parochialis, quia tunc interdictum dicendum erit speciale, & non generale.

## QVÆSTIO VII.

*An si interduntur hæc Ciuitas, excepta vna, vel altera Ecclesia, sit etiam dicendum interdictum generale?*

**N**egare videntur Glossa *in cap. Cum in partibus. de verb. significat. verb. Nomine terra.* & ibi Abbas. Syluest. etiam *verb. Interdictum.* *q.* 3. *vers.* *Vnde dicitur.* & Plouius *tractatu de interd.* *in principio*, *num.* 2. quatenus docent de ratione interdicti generalis esse, vt nullus locus, aut Ecclesia excipiantur.

Sed probabilius longè respondeo: dicendum, etiam esse interdictum generale, & non speciale. Ratio est. Quia ad interdictum speciale, seu particulare, requiritur, vt aliquis particularis locus, seu Ecclesia interduntur, vt etiam concedunt Glossa & alij authores citati: at sic est quod quando interduntur tota Ciuitas, quibusdam particularibus Ecclesiis exceptis, non interduntur aliquis particularis locus, sed tota Ciuitas: ergo tale interdictum non erit speciale, sed generale. Patet, quia particularis exceptio illarum Ecclesiarum, non tollit absolutam generalitatem, cum simpliciter sit verum dicere, talem Ciuitatem esse interdictam. Sic Suarez *disp.* 32. *sect.* 2. *n.* 9. Alterius *disp.* 1. *de interd.* *c.* 4. *dub.* 2. Bonac. *puncto* 1. *n.* 6.

## QVÆSTIO VIII.

*An interdicta aliqua Ciuitate, interduntur etiam Suburbia, locaque ei contigua?*

**R**espondeo tanquam certum: Interdici etiam. Quia ita definiuit Bonifac. VIII. *cap. Si Ciuitas. de sent. excommun.* *in* 6. his verbis: *Si Ciuitas, Castrum, aut Villa, subiciantur Ecclesiastico interdicto, illorum Suburbia, & continentia adificia, eo ipso intelligi volumus interdici.* Sic Pontifex. Qui & reddit rationem huius decisionis. *Nam licet predicta (id est, Ciuitas, Castrum & Villa, ex propria significatione) videantur alias murorum ambitu terminari, hoc tamen casu, ne vilipendi valeat sententia interdicti, quod fieret, si posset in ipsorum Suburbis, vel continentibus adificijs licite celebrari, &c.* Vnde sic docent omnes. Nauar. *c.* 27. *n.* 167. Angel. *Interdictum* 2. *n.* 3. Syluest. *cod. verb.* *n.* 5. Couar. *in cap. Alma mater. part.* 2. §. 1. *n.* 8. *vers.* *Decimo ex his.*

Toletus lib. 1. cap. 51. num. 5. Abbas, Felin. Ancharan. Franc. Gemin. Calder. quos affert & sequitur Alterius *disput. 1. cap. 4. col. 6. vers. Sit igitur conclusio indubitata.* Suarez *disp. 32. sect. 2. num. 23.* Auila *part. 5. disp. 1. dub. 3.* Filliucius *tract. 18. cap. 1. quæst. 4. num. 8. & 9.* Ægidius *disp. 17. dub. 1. num. 18.* Bonacina *punct. 1. n. 29.* Bauny *tract. 9. de interd. q. 4.* Cornejo *dub. 1. cit. q. 3.* & Palao *disp. 5. punct. 2. n. 1.*

## QVÆSTIO IX.

*An casu, quo suburbia, aut loca contigua ciuitatis interdicta, pertineant ad alteram diœcesim, aut alium Dominum, propter cuius culpam, ciuitas est interdicta; tunc interdicta ciuitate, sint etiam interdicta suburbia, &c.*

**N**Egat Anchar. in cap. *Si ciuitas, cit. n. 1.* cuius sententiam esse probabilem, & satis, apertè insinuat Bauny statim citandus.

Sed probabilius longè respondeo: Etiam in proposito casu, suburbia interdicta manere; non vi auctoritatis Episcopi, si ea ad aliam diœcesim pertineant; cum nullam in eam, sed in suam dumtaxat iurisdictionem habeat; sed vi iuris communis, quod in dicto cap. *Si ciuitas, citato*, statuit, vt interdicta ciuitate, interdicta quoque suburbia intelligantur, ne interdicti vis omnino pereat, populo liberum accessum habente ad suburbia factorum causa. Sic communiter omnes. Couarr. in cap. *Alma, part. 2. §. 1. num. 8.* Francus, Syluester, Felinus, & Calder. quos affert, ac sequitur Alterius *disput. 1. cap. 4. col. 8. pag. mihi 293.* Qui id probat etiam à simili his verbis: Et quemadmodum si ciuitas pertineret ad duos Dominos, media pars ad vnum, & media ad alterum, & nihilominus si interdicatur propter delictum alterius Domini tantum, tota intelligitur interdicta: ita dicendum est de subsidiis, & continentibus ædificiis, quamuis sint alterius iurisdictionis, quia interdictum complectitur etiam Innocentes. Sic ille. Suarez etiam *disp. 32. sect. 2. num. 23. & 24.* Sayrus *lib. 5. cap. 3. num. 7.* Armilla, Archidiac. Palud. & D. Anton. quos citat, & sequitur Henriquez *lib. 13. cap. 42. n. 4. in corp. & in marg. lit. L.* Auila *part. 5. disp. 1. dub. 3. conclus. 2. & 3.* Bonacina *disp. 1. punct. 1. num. 20.* Bauny *tract. 9. quæst. 4. dicto 1. vers. Quid si suburbia.* Cornejo *dub. 1. cit. quæst. 3. vers. Quid si suburbia, & vers. Sed quid.* Filliucius *tractat. 18. cap. 1. quæst. 4. num. 8. & 9.* Palao *de Censuris, disputat. 5. punct. 2. §. 1. num. 1.* & communis.

## QVÆSTIO X.

*An item, interdicta ciuitate, per Interdictum locale generale; intelligantur etiam interdicta Religiosorum exemptorum Ecclesia?*

**N**Egandum videtur, eo quod Episcopi in personas exemptas, & consequenter in eorum Ecclesias ius nullum habent: ergo.

Sed, vt certum, respondeo: Etiam intelligi interdictas esse. Quia ita colligitur ex d. cap. *Si ciuitas*, & definitur in Trident. *sess. 25. de Regularib. cap. 11. & 12.* his verbis: *Censura, & interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinarijs promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesijs, publicentur, atque seruentur.* Ex quibus constat ad rationem dubitandi. Dicendum enim non ab Episcopis, sed à Pontifice Romano, Religiosorum Ecclesias interdicto in hoc casu subiici, ne vilipendi valeat sententia interdicti. Sic omnes. Nauarr. in *Man.*

*Hispan. cap. 27. numero 80. & in Latin. 190.* Palao, Henriquez, Auila & Cornejo *loc. cit.* Suarez *num. 26.* Filliucius *numero 10.* Bonacina *num. 21.* Bauny *q. 3. pag. 398.* Alterius *cap. 4. cit. column. 9. vers. Ob eandem rationem.* Vbi id limitat, nisi aliàs aliqua Ecclesia Regularium sit specialiter exempta ex priuilegio Papæ, vt non intelligatur interdicta, interdicta Ciuitate ab Episcopo generaliter; quod clarum est.

## QVÆSTIO XI.

*An deinde, possit Episcopus interdicere Ecclesias Regularium, Interdicto speciali locali, sicut potest Interdicto generali?*

**R**espondeo tanquam certum: quod non possit. Ideoque licet speciali interdicto interdicat Episcopus omnes Ecclesias Ciuitatis, tale interdictum non extenditur ad Ecclesias exemptas, quia hæ specialiter interdici nequeunt, nisi ab illis Prælati, quibus subiectæ sunt, quia alius non habet directam iurisdictionem in illas, neque aliàs per consecutionem, aut aliam iuris interpretationem, illam obtinet. Sic Henriquez, Suarez, Auila, Alterius, Bonacina, Filliucius *loc. cit.* & alij.

## QVÆSTIO XII.

*An interdicta Ciuitate, aut Diœcesi, Interdicto generali; intelligatur interdicta Ecclesia Cathedralis?*

**N**Egat Couarruua in cap. *Alma mater, part. 2. §. 1. in fine*, & penes ipsum, Ioan. Staphileus *de litteris gratia, & iust. fol. 156.* scribens: Cathedralem Ecclesiam nusquam censerè interdictam, etiam si in totam diœcesim, & in omnes Ciuitatis Ecclesias sit interdictum decretum, ex ratione textus elegantis, in cap. *Quamuis, §. Quamquam, de præbend. in 6.* quasi ille textus probans, in litteris ad beneficia Ecclesiastica, non contineri Ecclesiam Cathedralis appellatione Ecclesiarum Ciuitatis, aut Diœcesis, in qualibet odiosa dispositione itidem locum obtinere, &c. Ita Couarruuias. Quem citat, & sequitur Henriquez *lib. 13. cap. 42. num. 1.* & Syluester, & Rosella penes ipsum.

Sed vt certum respondno: intelligi etiam interdictam Ecclesiam Cathedralis, vnà cum omnibus alijs Ecclesijs. *Primò*, quia quando interdicatur Ciuitas per interdictum generale, interdicuntur omnia loca particularia, quæ intra terminos, & fines totius Ciuitatis clauduntur, vt supra est habitum: at sic est, quod Ecclesia Cathedralis est primaria pars, imò & caput Ciuitatis interdictæ: ergo. *Secundò*, quia aliàs enervaretur vis interdicti, si in dicto casu, Ecclesia Cathedralis non esset interdicta, quæ est ratio textus in cap. *Si Ciuitas.* Patet, quia tunc audiri diuina Officia, & administrari possent Sacramenta in Ecclesia Cathedrali: ergo, &c. Sic Suarez *disp. 32. sect. 2. dub. 3. num. 21.* dicens, esse, quoad hanc partem, falsam oppositam sententiam. Alterius *disputatione 1. capite 4. columna 11. pagina 294.* dicens id esse certum. Palao *disput. 5. punct. 2. §. 1. num. 3.*

Bonac. *tom. 1. disput. 5. punct. 1. n. 7.* Sayrus *lib. 5. cap. 3. n. 10.* & alij. Ad fundamentum contrariorum, statim respondebit Suarez.

## QVÆSTIO XIII.

*An item, casu quo speciali Interdicto, sub generali tamen nomine, interdicantur omnes Ecclesia Ciuitatis; interdicta etiam censeatur Ecclesia Cathedralis?*

**N**egat, & à fortiori Couarruias *loc. cit.* cui adhaeret Alterius *loc. citat. col. 12. pag. 295. dicto 3.* Quia, inquit, quamuis Ecclesia Cathedralis sit pars præcipua, imò & caput aliarum Ecclesiarum Ciuitatis, & sub genere Ecclesiarum intelligatur; tamen in odiosis non venit nomine communi Ecclesiarum: ergo interdictis Ecclesiis Ciuitatis simpliciter, non videtur interdicta Ecclesia Cathedralis. Ita etiam Henriquez cum aliis citatis *suprà.*

Sed probabilius respondeo: adhuc in casu assignato, censeari etiam interdictam Ecclesiam Cathedralis. Quia oppositum non habet fundamentum in iure, & alias pugnat cum verborum proprietate. Patet. Nam ex illo cap. *Quamuis*, quod pro se adducit Couar. potius probari potest nostra sententia, quam sua, per argumentum ab speciali, vt bene vidit Suar. nam ibi dicitur: *Quamquam sub nomine Ecclesiarum Ciuitatis includatur etiam Ecclesia Cathedralis: & postea dicitur: Propter ipsius honorem nolumus hoc casu includi, scilicet, in speciali casu illius textus; nimirum, vt cum alicui sit gratia, vt de aliquo beneficio prouideatur in aliqua Ecclesiarum Diocesis, vel Ciuitatis, tunc non comprehendatur Cathedralis: ergo, extra illum casum, & si qui sunt alij expressi in iure, semper comprehenditur. Casus autem Interdicti, nullibi est exceptus: ergo ex illo textu potius colligi debet comprehendendi Cathedralis Ecclesiam, sub illa generalitate, in sententia interdicti. Hucusque Suarez numero 22. citato.*

## QVÆSTIO XIV.

*An interdicta tota Diocesi, maneat interdicta Ciuitas, quæ est caput eius, & consequenter Ecclesia Cathedralis, vnà cum alijs, quæ sunt in Ciuitate?*

**N**egant Couarruias *loc. cit. num. 4. Bonac. tom. 1. disputat. 5. punct. 1. num. 11. & Alterius loco item cit. col. 11. pag. 294. dicto 2. ex fundamento nuper adducto, & reiecto. Vnde*

Probabilius respondeo: manere interdictam Ciuitatem, & consequenter Ecclesiam Cathedralis, & omnes alias, vt constat, ex ratione supra allata, & docet Suarez, verbis relatis *quæst. antecedenti*, & bene; inquit Palao, cum Diocesis ex Ciuitatibus, villis, & pagis, coalescat. Sic ille *disputat. 5. punct. 2. §. 1. numero 4.*

## QVÆSTIO XV.

*An interdicta Ecclesia; intelligantur interdicta Capellæ, & Cæmeteria contigua Ecclesiæ?*

**R**espondeo tanquam certum intelligi. *Primò*, quia in toto partes includuntur. *Secundò*, quia ita definitum fuit in cap. *Ciuitas, cit.* his verbis: *Si sit Ecclesia Interdicto supposita, vel subiecta, nec in capella eius celebrari: nec in Cæmeterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguus, poterit sepeliri; secus si ei contigua non existant.* Sic Bonifac. VIII. Et sic etiam cum eo omnes. Nauarrus *cap. 27. num. 167. Vgolinus cap. 10. n. 2. Henriq. lib. 13. cap. 42. num. 4. Suarez disput. 32. sect. 2. num. 27. Filliucius tract. 18. quæst. 4. num. 12. Ægidius disput. 17. num. 19. Auila part. 5. disput. 1. dub. 3. conclus. 4. Bonac.*

*punct. 1. de Interd. num. 22. Alterius disput. 1. de Interd. cap. 4. col. 14. vbi ex Glossa in d. cap. Si Ciuitas, verb. Contigua, docet, contigua dici ea, quorum extrema se contingunt, aut sunt simul. Ex quo constat, quod quando inter Ecclesiam & Cæmeterium, vel Capellam, nullus alius locus interponitur, nisi solus paries, dicuntur contigua: quia extrema sunt simul: quando verò inter parietem Ecclesiæ, & parietem Cæmeterij, aut Capellæ intercedit aliquis locus medius vacuus, vel plenus, quantumuis exiguus, tunc non dicuntur contigua sed vicina, & adhaerentia, quia non se tangunt, & tunc interdicta Ecclesia, illa non essent interdicta. Legatur etiam Palao loco citato, num. 5.*

## QVÆSTIO XVI.

*An casu, quo sint duæ Ecclesiæ contiguae, solo communi pariete intermedio; tunc si vna ex illis Interdicto speciali interdicatur, maneat consequenter altera interdicta?*

**R**espondeo tanquam certum: non manere, nisi illam tantum Ecclesiam, in quam fertur Interdictum. Quia vt colligitur ex cap. *Si Ciuitas, de sentent. excommun. in 6.* duo requiruntur, vt aliquis locus maneat interdictus per interdictum speciale latum in aliquam particularem Ecclesiam. *Vnum est*, vt talis locus, sit Capella, vel Cæmeterium eius; hoc est locus illi annexus; *aliud est*, vt sit illi contiguus; & sic, vtraque conditio est necessaria, vt vna sine altera non sufficiat. Cum igitur in casu proposito, duæ illæ Ecclesiæ sint omnino distinctæ, (quia contiguitas non tollit distinctionem) hinc fit, quod interdicta vna, nullatenus censeatur interdicta altera, ob defectum primæ conditionis. Sic Suarez *num. 27. cit. & Palao cit. Alterius loc. cit. col. 16. dub. 3. Filliuc. num. 12. & alij.* Qui secus dicunt, casu, quo altera Ecclesia ita esset primæ contigua, vt etiam esset illi adnexa; nam interdicta principali, etiam adnexa maneret interdicta; quia est velut Capella eius.

## QVÆSTIO XVII.

*An interdicta Ecclesia; interdicta sit censenda pars illa, quæ postea ei aduenit?*

**R**espondeo affirmatiuè. Quia illa pars adueniens Ecclesiæ, vnã moraliter componit cum antiqua: ergo tota interdicta manet. Confirmatur, nam illa pars quæ additur, verè est pars totius corporis præcedentis: ergo eiusdem naturæ, nam augmentum eiusdem naturæ est cum re, quæ augetur. Sic Alterius *loc. cit. dub. 4. Bauny tract. 9. quæst. 4. dicto 2.* Qui idem censent casu quo Ecclesia interdicta, per partes resecta sit, ad eò vt nulla pars præexistens superstes sit, sed tota renouetur; quia eadem esse cum diruta censetur. Palao *disput. 5. punct. 2. §. 1. num. 6. in fine.*

## QVÆSTIO XVIII.

*An Interdictum generaliter latum, contra Terras alicuius Principis; cadat in omnes Terras, quarum Princeps dominium habet?*

**R**espondeo tanquam certum: cadere in omnes. Sic Alterius *dub. 4. cit. col. 10. vers. Ex eodem principio*, his verbis. Quando generaliter interdicatur terra alicuius Domini, intelligi Interdictum de terra, in qua ille habet propriè dominium, & iurisdictionem temporalem, quamuis illam possideat ex titulo  
Ii 4 feudi,

feudi, aut Emphyteusis, vel habuerit in dotem ab vxore, vel alio modo, & quamuis vendat, & alienet terram, adhuc perseverat interdictum, quia transit cum suo onere. Sed hæc sola causa sufficiens esset, vt Iudex deberet interdictum relaxare. Et hæc omnia locum habent, siue terræ omnes ad eundem Dominum pertinentes, essent simul coniunctæ & contiguæ; siue positæ in diuersis locis, & inuicem distantes. Quæ tamen regula non intelligitur de terra, quamuis retineret pro pignore, quia non haberet dominium, nec vsumfructum talis terræ; nisi Iudex diceret, Interdico quamcumque Terram, quauis ratione à tali Domino retentam. Hucusque ille. Sed an omnia ita benè infra discutiemus. Resolutionem tamen huius quæstionis tenent etiam Bonacina quoque *disp. 5. punct. 1. de interd. num. 23.* Suarez *disp. 32. sect. 2. num. 30.* Auila *part. 5. disput. 1. dub. 3. conclus. 4.* Filliucius *tract. 18. cap. 1. quæst. 4. num. 11.* Hurtad. *de Interd. diffc. 5. num. 15.* Henriquez *lib. 13. cap. 42. n. 3.* Palao *disputatione 6. puncto 2. §. 1. num. 6. vers. Quod si de terris, & communis.*

### QVÆSTIO XIX.

*An, si vendatur Terra interdicta, aut donetur à Domino; subiaceat adhuc Interdicto?*

**N**egant nonnulli Doctores existimantes. Tunc iam non subiaccere interdicto. *Primò*, quia probabile est, quod interdictum non est onus aliquod annexum illi terræ, sed pœnæ ipsius Domini. *Secundò*, quia terra illa, quam Dominus vendit, aut alio modo alienat, alienatione definit esse illius: at sic est quod solum erat interdicta quatenus erat illius; ergo eo ipso quod definit esse illius; definit esse interdicta. Ita *Ægidius disputat. 17. dub. 1. num. 22. & 23.* Hurtad. *diffc. 3. cit. num. 15. vers. Terra tamen, & alij.*

Sed probabilius respondeo: adhuc subiaccere interdicto, donec à superiori relaxetur. Quia terra illa transit cum suo onere. Sic Henriquez, Suarez, Palao, Alterius, Auila, Bonacina *loc. cit.* & alij citandi infra *disputatione 10. quæstione 3.*

### QVÆSTIO XX.

*An Interdictum positum in Terras alicuius Principis; cadat etiam in Terram acquisitam ab ipso, post latum Interdictum?*

**N**egant aliqui. Quia gratiæ non extenduntur ad futura: ergo multò minus pœnæ debent extendi: ergo. Ita Auila *p. 5. disp. 1. dub. 3. concl. 5.* & penes ipsum, D. Anton. *3. part. tit. 26. cap. 3.* Syluest. *verb. Interdictum 2. num. 3.* & Henriquez *cap. 42. num. 2.* Sed hic, nullo modo id negat. Alterius *disputat. 1. cap. 4. col. 10. vers. Et ex eodem principio*, citans vltra D. Antoninum, Syluestrum, & Henriq. Francum, Calderinum, & Geminian. Sic etiam Bonacina *puncto 1. num. 23.* Hurtadus *difficult. 5. num. 15.* & apud ipsum, Sayrus, Palao *disputat. 5. punct. 2. §. 1. num. 6. vers. Ad terras autem.*

Sed æquè probabiliter respondeo: tale interdictum cadere etiam in terram de nouo acquisitam. Quia eo ipso, quod dictus Princeps nouam terram acquirat, hæc fit membrum illius totius, quod interdicto ligatur, idque sub formali ratione, qua ligatur, scilicet, esse terram illius Principis: ergo eidem Interdicto subiaccet. Et confirmatur à simili ex doctrina tradita nuper *quæst. 17. & 19.* Sic *Ægidius disput. 17. dum. 1. num. 23.* & alij.

### QVÆSTIO XXI.

*An, qui habet duo domicilia, vnum in loco, ubi totus populus est generaliter interdictus; alium in loco non interdicto, censendus sit interdictus?*

**A**ffirmat Calderin. *tract. de Interdicto, membr. 2. num. 39.* Angelus *Interdictum 1. num. 4.* Tabiena *eod. §. 10.* & Rosella *num. 8.* Fortassè (inquit Suarez,) quia Interdictum est quædam prohibitio, quæ satis est, vt vno titulo imponatur, vt obliget: sufficiens autem titulus est habere domicilium ibi: quod verò etiam alibi habeat, non potest excusare.

Negat verò contrà Syluester *Interdictum 2. num. 13.* Quia inquit, non est maior ratio, cur sentiat onus vnius communitatis, quàm libertatem alterius, cum vtriusque æquè sit pars; & alioqui potius est in partem fauorabilem inclinandum. Ita etiam Henriquez *lib. 13. cap. 42. num. 2. vers. Et hi nisi simul,* & Hurtad. *diffc. 4. vers. Id autem, num. 10.* Quorum sententiam reputat probabilem Sayrus *lib. 5. cap. 4. num. 18.*

Sed probabilius cum distinctione respondeo: censendum esse Interdictum, quamdiù maneat, aut actu habitet in populo interdicto; nam pro tunc maior est ratio, cur sentiat onus illius populi, illique conformetur, in quo casu tenet verum sententia Calderini. Minimè vero esse talem censendum, casu quo habitet in domicilio loci non interdicti: quia tunc conuincit ratio Syluestri. Sic Suarez *disput. 32. sect. 2. num. 16.* Luysius *de Censuris lib. 6.* (non 2. vt offendes apud Dianam) *disputat. 48. dub. 2. prope finem, Diana part. 5. tract. 10. resolut. 70.* Filliucius *tract. 18. cap. 1. quæst. 5. num. 14.* Alterius *disputat. 1. cap. 5. col. 10. vers. Oppositum sentit Syluester.* Bonacina *de Interd. punct. 1. num. 17.* & Palao *disput. 5. punct. 2. §. 2. num. 7.* & alij.

### QVÆSTIO XXII.

*Quid sit Interdictum personale?*

**R**espondeo dicendum, quod est *Censura Ecclesiastica, qua immediatè, & directè, ac primò, & per se prohibetur persona aliqua audire diuina officia, ubicunque sit.* Sic omnes. Legantur Nauarrus *cap. 27. n. 166.* Suarez *disputat. 32. sect. 2.* Alterius *disputatione 1. cap. 3.* Auila *part. 5. disputat. 1.* & alij citati.

### QVÆSTIO XXIII.

*Quotuplex sit Interdictum personale?*

**R**espondeo dicendum, quod est duplex. Generale, & speciale, seu particulare. Generale est illud, quo aliqua hominum vniuersitas interdicatur, vt, v. g. quando interdicatur populus totius Regni, vel Proinciæ, vel Ciuitatis, aut Academia, vel Collegij, aut Capituli, & singulas personas, vt sunt partes dictarum Communitatum. Speciale verò est illud, quo interdicuntur per se aliqua personæ determinatæ, vel vna tantum de communitate. Sic Nauarrus, & Suarez *loc. cit.* Henriq. *lib. 13. cap. 41. n. 3.* Cornejo *disp. 1. de Interd. dub. 2. quæst. 1.* Filliucius *tract. 18.*

*cap. 1. quæst. 3. num. 6.* & alij communiter, quidquid sentiant Auila, Syluest.

& alij quos citat, & sequitur

Bonacina *punct. 1. de*

*de Interd. n. 9.*

& 10.

QVÆSTIO XXIV.

*An Interdicto Populo, aut Communitate; maneat interdicti illi, qui de nouo, post tale Interdictum, sunt partes illius populi, aut Communitatis?*

Respondeo affirmatiuè. Quia Interdictum ligat omnia membra illius communitatis, cum non debeat membrum à capite discedere *cap. 1. distinct. 12.* at sic est, quod illi, qui de nouo fiunt partes populi, aut Communitatis Interdictæ, verè sunt ipsius membra: ergo verè remanent interdicti, vi prioris interdicti sententiæ, quæ lata fuit contra communitatem, quæ non mutatur nouis personis, ac membris superuenientibus, sicut nec fluuius nouis succedentibus aquis, & sic donec tollatur, ligat omnia illius communitatis membra. Sic communiter omnes. Henricus *lib. 13. cap. 42. num. 2.* & penes ipsum, *lit. K. Syluest. Interd. 2. num. 10.* Armilla §. 15. Rosella §. 6. Anton. §. 2. cum Calder. Astensis *tit. 13. Nauarrus num. 168.* & Couarruias *cap. Alma mater, part. 2. §. 1. num. 7.* & *lib. 2. variar. cap. 8. num. 10.* Quibus addi possunt Auila *part. 5. disput. 1. dub. 4. conclus. 4.* Alterius *disp. 1. cap. 5. dubit. 2.* Ægidius *disputat. 17. dub. 1. num. 23.* Bonacina *punct. 1. num. 16.* Cornejo *de Interd. dubio. 2. quas. 3.* Hurtad. *de Interd. diffic. 5. num. 15.* Paludanus *quas. 8. artic. 2. ad 2.* qui addit, idem esse dicendum in casu, quo, mortuis omnibus primis, ex quibus constituebatur populus, cum interdictus fuit, alij subrogentur: quia etiam filij nati ex primis interdictis, similiter interdicti censentur, sicut si iam nati essent, quando populus fuit interdictus.

QVÆSTIO XXV.

*An Interdicto Clero; censeantur interdicti Religiosi, ac Religiosa?*

Affirmant Nauarrus *cap. 27. num. 166.* Couarruias *in cap. Alma mater, part. 2. §. 1. n. 8.* Reginaldus *lib. 3. tract. 2. cap. 25. num. 7.* Viualdus *de Interdicto num. mihi 159.* citans pro se, vltra Nauarrum, Syluestrum *Interdictum 2. num. 9.* Calderinum, & Dominicum. Ita etiam Megala *in 3. partem lib. 2. cap. 1. q. 2. num. 15.* & apud Bonacinam, & Dianam *vbi infra, Suarez disput. 32. sect. 2. num. 13. & 17.* Tolerus etiam *lib. 1. summa cap. 51. num. 6.* Alterius *disputat. 1. cap. 5. dubit. 6. Proposit. 2. in fine,* vbi expressè ait opinionem Calderini, & Didaci de Couarruias esse probabiliorum. Vnde malè citat hunc Authorem pro parte opposita, Diana, sicut etiam citat malè Suarium pro ista, vt *infra.* Fundamentum huius sententiæ est, quod nomine Cleri intelliguntur omnes, qui sunt à laicis distincti: at vt sic comprehendit Religiosos, etiam Nouitios, & Conuersos, etiam fœminas, vt patet: ergo.

Sed probabilius respondeo: dicendum, quod interdicto absolutè Clero, nullo modo censeantur interdicti Religiosi, aut Religiosa; nisi aliàs contrarium constet de mente legislatoris ex adiunctis, aut Religiosi habeant beneficium sæculare, vt Pastorum, Canonatum, &c. Quia probabilius est, quod in odiosis, nomine Cleri, non veniunt Religiosi. Adde quod verba, cum de pœnis agitur, propriè sunt intelligenda: at sic est, quod Clericus in vera sua notione, non significat Religiosos, cum qui religiosus est, non necessariò sit Clericus, & contra: ergo cum Censura non transcendat res significatas per verba legis, aut sententiæ, qua imponitur, in Interdicto Cleri non continentur Religiosi. Sic Syluester *Interdictum 2. n. 17.* (Vnde malè citatur à Viualdo pro se)

Armilla *num. 10.* Auila *part. 5. disput. 1. dub. 4. concl. 7.* vbi benè notat, quod in hac resolutione, loquamur etiam de Interdicto posito ab eo, qui est Superior Clericis, & Religiosis, vt quando ponitur à Papa: nam si ponatur ab Episcopo, qui non est Superior Religiosis exemptis, certum est apud omnes, quod non comprehendantur Interdicto Cleri. Henriquez *lib. 13. cap. 42. num. 3.* Ægidius *disput. 17. dub. 1. num. 9.* Sayrus *lib. 5. cap. 4. num. 29.* Portel *in dub. Regul. verb. Interdictum, num. 5.* quos omnes refert, ac sequitur Bauny *de Censur. tract. 9. de Interd. quas. 5.* Quibus addi possunt Filiucius *tract. 18. cap. 1. num. 14.* Vgolinus *tab. 5. §. 5. num. 3.* Bonacina *punct. 1. de Interd. num. 12.* Laymann *lib. 1. tract. 5. cap. 4. num. 3.* Præpositus *in 3. part. quest. 4. de Interd. dub. 2. num. 11.* Diana *parte 5. tract. 10. resol. 80.* & Hurtad. quem citat, & sequitur Palao *punct. 2. §. 2. num. 9.* Et in hanc partem videtur inclinare Suarez, loco à Bonac. & Diana pro prima sententia adducto. Hic namque Doctor postquam nostram, & contrariam opinionem refert, ita concludit, quæstionem resoluendo: Hæc controuersia solum est de vsu vocis, de qua non habemus in iure specialè declarationem, & ideo nihil potest constanter dici; quia vox (Cleri, videlicet) vtriusque significationis est capax. Et sine dubio sæpè sumitur pro solo Clero sæculari, interdum pro toto Ecclesiastico cœtu: & ideo circumstantiæ sententiæ, & materia spectandæ sunt ad verum sensum intelligendum. Vbi autem res fuerit dubia, sequenda est regula, vt pœna mitiori modo exponatur. Hæc Suarez. Et tandem, hæc eadem ex illo non citato. Alterius *col. 16. vers. Tertia propositio.*

Ad fundamentum oppositæ partis, benè ad maiorem respondet Bauny, Clerum cum vagè & confusè sumitur, id denotare, quod in antecedenti dicitur, non autem, cum strictè, & propriè, vt accidit quando pro corpore, id est, hominum multitudine certa vsurpatur, quæ suis legibus ac institutis vitam componens, ad finem tendit sibi peculiarem ac proprium. Et hoc postremo sensu, nomen Cleri in quæstione sumitur.

QVÆSTIO XXVI.

*An saltem, si Censura Interdicti feratur sub nomine Personarum Ecclesiasticarum; comprehendantur Religiosi?*

Respondeo tanquam certum: comprehendi Religiosos, etiam Conuersos, & Moniales si talis Censura lata sit à Papa. Quia omnes hi, verè diuino seruitio se mancipauerunt, & vocantur personæ Ecclesiasticæ. Sic Præpositus *in 3. part. quest. 4. de Interd. dub. 2. num. 11.* vbi addit, etiam comprehendi Eremitas, imò & nouitios, quia hi etiam censentur personæ Ecclesiæ, quamdiù versantur in probatione. Sic etiam Sayrus *lib. 3. cap. 4. num. 29.* Palao *disputat. 4. de Censur. punct. 2. §. 2. num. 9.* & alij.

QVÆSTIO XXVII.

*An interdicto Populo; censeatur interdictus Clerus; & è contra?*

Respondeo non censeari. Quia sic expressè est definitum in cap. *Si sententia, de excommun. in 6.* his verbis: *Si sententia interdicti proferatur in Clerum, non intelligitur, nisi aliud sit expressum in ea, interdictus populus, nec etiam è conuerso.* Sic textus. Et sic (quidquid dicat Bonacina) omnes. Nauarrus *cap. 27. n. 167.* Couarruias *in cap. Alma, part. 2. §. 1. n. 7.* Henriquez *lib. 13. cap. 42. §. 3.* Angel. Calder. D. Anton. Syluest. Abbas,



Abbas, & Paludanus, Gemin. Franc. & Anchar. quos citat, & sequitur Alterius *disp. 1. cap. 5. dub. 5.* Suarez *disput. 12. sect. 2. n. 14.* Auila *part. 5. disp. 1. dub. 4. concl. 7.* Bonac. *punct. 1. de Interd. num. 12.* Ægidius *disputat. 17. dub. 1. num. 8.* Palao *loc. cit. num. 8.* & alij.

### QVÆSTIO XXVIII.

*An interdicta Familia aliqua; sint etiam interdicti Clerici illius Familiae?*

**R**espondeo affirmatiuè. Quia familia est nomen commune ad Clericos; & laicos: ergo omnes censentur interdicti. Sic omnes. Sylu. Armilla, Innocent. Angel. Astens. & Maiolus, quos citat, & sequitur Henriquez *lib. 13. c. 42. n. 3. vers. Quarto interdicta familia.* Auila *p. 5. disp. 1. dub. 4. concl. 8.* Alter. *disp. 1. cap. 5. dub. 7.* Bonac. *loc. cit. n. 13.* & alij, qui addunt, quod si qui dictæ familiæ post latum Interdictum, recedant ab ea, adhuc remanent interdicti. An verò qui de nouo veniunt, etiam censendi sint interdicti? iam dicemus.

### QVÆSTIO XXIX.

*An etiam, qui post latum Interdictum in familiam, fit de nouo de tali familia; incurrat Interdictum?*

**A**ffirmandum videtur. Quia, vt supra *q. 24.* est habitum, qui de nouo fit pars communitatis interdictæ, incurrit Interdictum: ergo etiam incurret Interdictum, qui de nouo fit de familia interdicta.

Sed vt certum respondeo: negatiuè. Quia Interdictum in familiam, est speciale, quod primò, per se, & immediatè respicit personas singulares, vt tales sunt, non quatenus sunt membra alicuius communitatis, & ideo, licèt qui à tali familia interdicta recedunt, maneat, & perseuerent interdicti, non tamen qui ad illam de nouo accedunt. Nec est eadem ratio de illo, qui de nouo fit pars populi, aut communitatis interdictæ; nam cum hoc Interdictum non sit speciale, sed generale, primò, & per se respicit ipsam communitatem, ac secundariò tantum respicit personas singulares, ideòque hæc tantum sunt interdictæ, quatenus constituunt communitatem, ex quo constat ad rationem dubitandi, neganda namque est paritas, ob rationem dictam. Sic Henriq. Auila, & Bonac. *loc. cit.* Qui tamen malè citat Suarium *sect. 2. n. 9.* Ægidium *n. 16.* & Filliucium *n. 24.* nam nullus ex iis Doctoribus quid de hac quæstione, ibi agit. Tenent tamen Alterius *cap. 6. cit. dub. 7. pag. 305.* & alij.

### QVÆSTIO XXX.

*An interdicto Populo; maneat etiam interdicta, persona primaria, & insignes ipsius populi; vt sunt Nobiles, Duces, Marchiones, & similes, quamuis non sint specialiter nominata?*

**N**egat apud Henriq. *ubi infra, lit. P.* Hostiens. Sed respondeo tanquam certum: manere interdictas. Quia licèt sint membra eminentiora, tamen sunt vera membra populi: ergo vt talia subiacent Interdicto populi. Nec obstat, quod sæpè sunt exempti ab oneribus, vel officiis publicis: quia hoc non arguit, eos de populo non esse, sed potiùs còtrarium, alioqui talis exceptio necessaria eis non foret. Sic omnes. Sylu. *Interdictum 2. n. 16. vers. Decimum quartum.* Henriquez *lib. 13. c. 42. n. 3.* Auila *p. 5. disp. 1. dub. 4. concl. 2.* Alterius *disp. 1. cap. 5. col. 8. ques. 2.* & penes ipsum, Glossa *in cap. Si sententia, de excomm. in 6. verb. E conuerso.* Calder. & D. Anton. Qui tamen excipiunt ab hac regula, illos,

qui aliàs ex priuilegio, aut consuetudine legitima præscripta efficiantur exempti. Suarez *sect. 2. num. 15.* Palao *disput. 4. punct. 2. §. 2. num. 2.* & alij.

### QVÆSTIO XXXI.

*An interdicto Populo; sint interdicti, qui habitant in suburbij; & continentibus adificijs?*

**A**ffirmant communiter DD. quia isti verè sunt ciues, & consequenter partes populi interdicti: ergo. Ita Auila *p. 5. disp. 1. dub. 4. concl. 3.* & apud illum, Syluest. *Interdictum 2. num. 10.* & Henriq. *lib. 13. cap. 42. n. 2.* sed hic Author nil expressè ibi affirmat; benè *loco mox citando.* Ita etiam Suarez *disput. 32. sect. 2. num. 10.*

Sed clarius respondeo: dicendum, quod interdicto toto populo, verè sunt etiam interdicti, qui habitant in suburbij, licèt suburbij pertineat ad alterius temporalem, aut spiritualem iurisdictionem: nisi diuersum populum, vel vniuersitatem efficiat: quia tunc habitantes in suburbij non sunt censendi interdicti. Ratio est, quia ad hoc vt personæ sint interdictæ, lato generali Interdicto in populum, aut vniuersitatem, requiritur, vt personæ sint partes talis populi, aut vniuersitatis, vt colligitur ex cap. *Si sententia, cit.* Quod non est necessarium in Interdicto locali, quod ex iuris dispositione extenditur ad continentia adificia, quæ non sunt partes Ciuitatis, vt colligitur ex dictis supra *q. 9. & 10.* Sic Henriq. *cap. 42. cit. n. 4. in fine,* & penes illum Nauar. Couar. Palud. Syluest. Maiolus & alij. Sic etiam Bonac. *punct. 1. n. 15.* citas Vgolinum *tab. 5. c. 20. §. 5.* Sayrum *cap. 4. n. 2.* & Auilam *loc. nuper à nobis cit.* sed non ita benè. Quod certè faceret si illum citaret *consil. 10. vers. Similiter dico,* vbi iuxta nostram doctrinam, suam tertiam conclusionem declarat. Sic deinde Calderin. quem citat, & sequitur Alterius *cap. 5. citat. ques. 3. pag. 301.* vbi addunt, quod in dubio, an suburbia pertineant ad alium populum, præsumendum sit ex vniuersitate populi, aut Ciuitatis, cui adhærent; aut ex eo quod sint sui iuris, aut pertineant ad populum Ciuitatis, aut ad alium: aut ex eo quod sint participes honorum, & onerum populi interdicti, aut alterius populi; aut denique ex eo quod habeant propria & particularia onera, & honores: tunc enim, vt diximus, huiusmodi habitantes in suburbij & continentibus adificijs facerent diuersum populum, & non essent partes populi interdicti, & consequenter non manerent interdicti, populo interdicto.

### QVÆSTIO XXXII.

*An interdicta aliqua Ciuitate; censeantur interdicti, qui in ea ad tempus habitant, studij, vel negotiorum causa?*

**R**espondeo tanquam certum: non censerentur Interdictos, (nisi aliàs essent culpabiles in eo delicto, cuius gratia latum est Interdictum.) Ratio est, quia, vt quis Innocens comprehendatur Interdicto Ciuitatis, aut populi, requiritur quod sit Ciuis, & pars illius populi, vt constat ex cap. *Si sententia, de sent. excomm. in 6.* at qui inhabitant in Ciuitate vt hospites, studij, vel aliorum negotiorum causa, non sunt partes, aut membra Ciuitatis, quæ per se primò per Interdictum ligatur: ergo. Sic Henriquez *lib. 13. cap. 42. n. 3.* & penes ipsum, *lit. Q.* D. Anton. Syluest. & Angel. Nauarrus *cap. 27. num. 167. vers. Quando interdicatur.* Sayrus *lib. 5. c. 4. n. 59.* Auila *p. 5. dub. 4. concl. 5. & 10.* Filliuc. *tract. 18. cap. 1. ques. 5. n. 14.* Suarez *disput. 32. sect. 2. n. 15.* Alterius *disputat. 1. cap. 5. col. 5. ques. 3.* Bonacina *de Interdict. punct. 1. num. 17.* Bauny *tract. 9. quest. 6. dicto 4.*

## QVÆSTIO XXXIII.

*An interdicta aliqua Communitate; censeantur interdicti amentes, aut Infantes carentes vsu rationis?*

**A**ffirmant Vgolinus *tab. 3. cap. 20. §. 2.* Nauarrus *cap. 27. n. 168. in fine.* Syluest. *verb. Interdictum 2. quest. 17.* Corduba *in sum. Hisp. quest. 60.* & alij. Quorum ratio est, quod licet huiusmodi personæ non sint doli capaces; tamen ad incurrendum Interdictum, non requiritur culpa propria, sed sat est, quod præcesserit aliena.

Sed probabilius longè respondeo: non censerè interdictos. Quia huiusmodi personæ non sunt capaces doli, & culpæ: ergo neque interdicti sententia, quia hæc fertur in capaces doli, quamuis ipsi non deliquerint; pueri igitur, & amentes, qui non sunt capaces rationis, non comprehenduntur sub generali interdicto populi, aut communitatis, & ideo absque vilo peccato possunt admitti ad diuina Officia. Sic Henriq. *lib. 13. cap. 42. n. 3.* iis verbis: Secundò infans nondum doli capax, aut amens, non videtur includi sub generali interdicto personali sui populi: nec interdicto loci generali excludendus est à Missa Infans, quem secum defert mater, aut pædagogus: quia non magis videtur moraliter præsens Missæ humano modo, quàm brutum animal. Sic ille. Et penes ipsum, Angel. Syluest. Armilla, Maiolus, & alij. Couar. *in cap. Alma, part. 2. §. 4. n. 5.* Valentia *tom. 4. disput. 7. quest. 18. punct. 2.* Sayrus *lib. 5. cap. 5. num. 23.* Auila *p. 5. disput. 1. dub. 4. concl. 5.* Alterius *disput. 1. cap. 5. col. 1. quest. 4. & disput. 10. cap. 6. col. 4. vers. Dubitatur de amentibus.* Suarez *disput. 34. sect. 1. n. 34.* Filliuc. *tract. 18. cap. 1. quest. 8. n. 23.* Bonac. *disput. 5. punct. 1. num. 18.* Hurtad. *de Interd. diffic. 4. num. 10.* Viualdus *de Interdict. num. mibi 141.* Palao *punct. 2. cit. §. 2. num. 4. & communis.*

Ad fundamentum Nauarri, neganda est cum Alterio consequentia. Quia licet verum sit Interdictum populi comprehendere aliquos, etiam si non peccauerint, in pœnam aliorum qui deliquerunt: tamen sicut non peccasse non est sufficiens ratio ad eximendum aliquem ab interdicto; ita non est causa, vt aliquis comprehendatur sub interdicto: potest enim fieri, vt ob alias causas non teneatur interdicto, sicut dicimus de pueris, qui idcirco non tenentur interdicto personali, quoniam vsu rationis carent.

## 183. QVÆSTIO XXXIV.

*An etiam si Interdictum generale, latum sit in locum; possint adhuc pueri, & amentes ad Missam, & ad alia diuina Officia admitti?*

**N**egat Viualdus *loc. cit.* vbi explicans sententiam Doctissimi Nauarri nuper adductam, hæc ait: Sed vt tantum virum excusamus, notare conuenit, eius sententiam esse veram, & tenendam in Terra interdicta, in qua, nec etiam doli incapaces possunt ad diuina admitti officia, vt aiunt omnes supradicti, nempe, Syluest. Couar. Armilla, Corduba, & alij.

Sed æquè probabiliter respondeo: posse adhuc admitti. Quia ratio assignata pro interdicto personali, æquè probat de interdicto locali. Et ideo, sic docet, vt nuper vidimus, Henriquez, & penes ipsum, *lit. 5.* Couar. Margallo, Perez, & alij. Sic etiam Alterius *quest. 4. cit. vers. Ex his duabus, in fine, & disputat. 5. cap. 2. column. 2. pag. 380.* Suarez *loc. cit.* & alij communiter apud Castrum Palao *disputat. 4. punct. 4. §. 2. num. 16.*

## QVÆSTIO XXXV.

*An, sicut tempore Interdicti, possunt paruuli carentes vsu rationis, aut mente capti, admitti ad diuina Officia: sic etiam possint admitti ad Ecclesiasticam sepulturam?*

**A**ffirmat, posse admitti, si Interdictum sit personale, non verò si sit locale, Filliuc. *c. 1. cit. quest. 8. n. 24.* Quia personale Interdictum, directè, inquit, afficit personas, quæ cum non sint capaces, non possunt interdici directè: locale verò directè afficit locum, & ideo etiam prohibet Infantes, ne sepultura Ecclesiastica afficiantur. Ita ille.

Sed probabilius, absolutè, & sine distinctione respondeo: præfatas personas, nullo modo posse admitti ad Ecclesiasticam sepulturam, tempore Interdicti etiam personalis. Ratio, quia paruuli carentes vsu rationis, & amentes verè, & directè sunt capaces prohibitionis Ecclesiasticæ sepulturæ: ergo non solum quando Interdictum est locale, vt concedunt omnes; sed etiam quando est personale, nequeunt ad Ecclesiasticam sepulturam admitti. Antecedens probatur, quia omnè cadauer, tam adultorum, quàm infantium est rationis expers: ergo sicut illi sunt capaces prohibitionis Ecclesiasticæ sepulturæ, ita & isti. Pro maiori autem huius rationis intelligentia, scito, quod non fuit eadem ratio prohibitionis Ecclesiasticæ sepulturæ, sicut diuinorum Officiorum. Ecclesia enim prohibuit diuina Officia tempore Interdicti, vt non audiantur, nec celebrentur, quod requirit cognitionem, & volutarium actum. Sed prohibitio sepulturæ non exigit aliquam cognitionem huius prohibitionis, sed simpliciter denegatur, ne vllum corpus, aut cadauer tradatur Ecclesiasticæ sepulturæ. Sic Couar. *in cap. Alma, 2. part. §. 4. n. 5.* Henriquez *d. cap. 42. §. 3.* Alterius *loc. cit. vers. Secundò dico.* Hurtadus *diffic. 4. n. 10.* Auila, Bonac. Sayrus *cit. quest. 33.* Palao *num. 4. cit. & communis.*

## QVÆSTIO XXXVI.

*An interdicto populo, censeantur interdicti Innocentes, qui non dederunt causam culpabilem Interdicto?*

**R**espondeo tanquam certum: censerè interdictos Innocentes; & ideo nec in ipso populo, nec alibi possunt audire diuina, nisi transferant domicilium ad aliam communitatem non interdictam; quia tunc si non dederunt causam culpabilem Interdicto, cessat Interdictum talium personarum, quidquid contradicat Hostiens. apud Syluestrum *vbi infra.* Secus si dederunt. Sic constat ex cap. *Si sententia, §. Cum verò, de sent. excomm. in 6.* Et tenent Henriq. *lib. 13. cap. 31. n. 2.* his verbis: Interdicto populo, includuntur in foro exteriori conciuies, quamuis sint absentes, & innocentes, nec fuerint consentientes in causam Interdicti. Sic ille ibi, & latius *cap. 50. num. 1. in fine.* Auila *part. 5. disput. 1. dub. 4. concl. 1.* Syluester *Interdictum 2. num. 10.* Alterius *disputat. 1. cap. 5. column. 7. questio 1.* Hurtadus *de Interdict. difficult. 4. num. 8. & 9.* Palao *disput. 4. punct. 2. §. 2. num. 1. & alij.*

## QVÆSTIO XXXVII.

*An, quando interdicuntur ciues alicuius oppidi, maneant etiam interdicti Ciues, qui erant absentes, tempore, quo latum fuit Interdictum?*

**R**espondeo tanquam certum: etiam manere interdictos, etiam si non dederint causam culpabilem Interdicto.

Interdicto. Ratio est, quia interdicto generali personali communitatis, seu oppidi, comprehenduntur omnes ciues illius oppidi, seu communitatis: at sic est, quod ciues quamuis sint absentes, verè sunt ciues, seu partes illius oppidi, aut communitatis: ergo. Sic Henriquez, Auila, Alterius, & Hurtad. *loc. cit.* Bonac. *disput. 5. de Interd. punct. 1. num. 16.* Sayrus, Suarez, & Vgolinus, penes ipsum; Palao *loc. cit. num. 1.* & alij communiter.

Addit Alterius ex Syluestro, Ioanne Andr. & Calderin. idem esse dicendum, de præsentibus & non consentientibus, imò expressè contradicentibus culpæ aliorum, propter quam latum est Interdictum, quod peculiare est quoad sententiam interdicti, vt ea ligari possint innocentes. Legatur Alterius *loco citato, vers. Item idem est.*

### QVÆSTIO XXXVIII.

*An interdictis Doctoribus alicuius Academiae, censeantur etiam interdicti Doctores Clerici?*

**N**egant Angel *verb. Interdictum 1. n. 11.* Alterio, & Auila 9. & mihi 8. Syluester *Interdictum 2. §. 17.* Qui pro se allegant Glossam *in cap. Si sententia, citat. sed malè, vt notat Tabiena vt infra.* Negant etiam Vgolinus *tab. 5. cap. 20. §. 5. in fine.* Sayrus *lib. 5. cap. 4. num. 30.* Rosella *Interdictum, num. 15.* & alij.

Sed probabilius respondeo: censeari etiam interdictos DD. Clericos, nisi aliunde, contrarium de intentione interdicens constet. Ratio est, quia hoc nomen *Doctor*, non est minus commune laicis, & Clericis, quam hoc nomen *familia*: at interdicta familia, censeantur interdicti Clerici illius familiae, vt *sup. q. 28.* est habitum: ergo interdictis Doctoribus Academiae, aut Urbis, censeantur interdicti Clerici Doctores. Sic Tabiena *Interdictum 1. n. 9.* Armilla *num. 11.* Maiol. *lib. 3. cap. 20. num. 1.* Henriquez *cap. 42. cit. n. 3. vers. Quinto interdictis.* Auila *part. 5. disputatione 1. dubio 4. conclus. 9.* Alterius *de Interd. disputat. 1. cap. 5. col. ult.* Bonacina *punct. 1. cit. num. 14.* Viualdus *n. 167.* Maiol. *de irregularit. lib. 3. cap. 20. num. 1.* & Palao *disputat. 4. punct. 2. §. 2. num. 10.*

### QVÆSTIO XXXIX.

*An Interdicto personali generaliter lato, comprehendatur ille, qui illud posuit, vel Superior, aut aequalis?*

**R**espondeo tanquam certum: non comprehenditur. Quia nullus habet iurisdictionem coactiuam in foro exteriori, nisi in sibi subditos. Sic omnes, Auila *p. 5. disp. 1. dub. 5. concl. 2.* Alter. *cap. 5. cit. in fine.* Bonac. *punct. 1. num. 24.* Hurtad. *diffic. 4. n. 10. vers. Nec dicto interdicto.* Fillinc. *tract. 18. cap. 1. quest. 8. n. 24. vers. Quinto, nemo.* Bauny *tract. 9. quest. 7. assertionem 3.* dicens de hac resolutione neque ambigere posse.

### QVÆSTIO XL.

*An saltem comprehendantur prædicta persona, Interdicto locali?*

**R**espondeo comprehenditur, & ideo si non seruent illud, planè iuris pœnas incurrunt. Quia obligatio seruandi Interdictum locale semel positum, non oritur immediatè ex ferente illud, sed ex ipso iure communi taxante effectus talis interdicti: ergo tam Iudex ferens illud, vel Superior ( dummodo non sit Pontifex ) aut æqualis comprehenditur sub locali

Interdicto. Sic Henriquez *lib. 13. cap. 50. n. 1.* his verbis: Potest quis aliquo modo in seipsum ferre Interdictum, & Episcopus, aut illius Superior (excepto Papa) tenetur ipso iure seruare suum Interdictum, violansque incurrit pœnas iuris, & irregul. &c. Sic ille. Nauar. *etiam cap. 27. n. 165.* aliàs, 166. *vers. Nonò.* Armilla *Interdictum, n. 35.* Auila *loc. cit. concl. 1.* Bauny *loc. cit.* Alterius, Bonac. & Hurtad. *locis nuper cit.* Ægid. *disp. 17. dub. 1. n. 25.* Ita scribens: Et si Episcopus, aliúsque similis Iudex non possit seipsum interdicere, eum tamen teneri seruare Interdictum à se latum, nec potest à se interdictos ad sacramittere, nec in loco à se interdicto celebrare, nisi priùs Interdictum tollat, aut saltem suspendat: quia illud ex iure communi prohibitum est, & contra faciens, statutas à iure pœnas incurreret. Hucusque Ægidius.

### QVÆSTIO XLI.

*An posito Interdicto locali generali, censeatur positum personale?*

**A**ffirmare videtur Henriquez *lib. 13. cap. 42. n. 5.* *in principio.*

Sed respondeo tanquam certum: non censeari, nisi aliud exprimat. Vnde interdicta aliqua Ecclesia Cathedrali: v. g. non ideo censeantur Interdicti Clerici illius Ecclesie, ideòque optimè poterunt in alia Ecclesia non interdicta, non solum singuli diuim, sed etiam simul coniuncti ad modum Capituli, Officia diuina solemniter celebrare: dummodo non dederint causam culpabilem Interdicto; nam si dederunt, nullibi poterunt celebrare diuina, nec audire. Sic habetur in cap. *Si sententia, de sentent. excommun. in 6.* & docent communiter Doctores, Syluester *interdictum 2. num. 7.* Nauarrus *cap. 27. num. 167.* Couarruias *in cap. Alma, part. 2. §. 1. num. 8.* Auila *part. 5. disput. 1. dub. 2. conclus. 1.* Alterius *disputatione 1. de Interdict. capite 6. columna 2. conclusione 3.* Sotus, Tabiena, Toletus, & alij penes ipsum.

### QVÆSTIO XLII.

*An saltem è contra, posito Interdicto generali personali; censeatur positum Interdictum locale generale, quamuis non exprimat?*


**A**ffirmat Couarr. *loc. cit. num. 7.* vbi pro se citat Syluestrum *Interdictum 2. q. 8. D. Anton. 3. part. tit. 26. cap. 3.* Francum, & Calderinum. Quibus adhæret Henriquez *lib. 13. cap. 42. num. 5. citat.* & apud ipsum, præter citatos DD. Federicus *consil. 188.* fundamentum eorum est: quia aliàs sequeretur, quod Iudex ponens huiusmodi Interdictum personale generale, frustraretur suo fine; nam si liceret celebrare diuina Officia publicè, & alta voce, & apertis ianuis, cum tot homines Interdicti, non possent excludi ab Ecclesia, vel à vicinis, ob eorum multitudinem, facile audirent diuina Officia: ergo dicendum est necessariò, quod, ( ex præsumpta saltem intentione interdicens ) posito Interdicto generali personali, censeatur esse positum locale generale, quamuis non exprimat.

Sed probabilius multò respondeo: dicendum, quod posito Interdicto generali personali, adhuc non censeatur positum locale, nisi Iudex id exprimat. Probatum primo ex cap. *Si sententia*, citato à paritate, nam ibi expressè habetur, quod interdicto loco, non censeantur interdictæ personæ; nisi aliud exprimat: ergo etiam contra, interdicto populo, non censeatur interdictus locus. Rursus id efficacius probatur

ex cap. 1. de usuris, in 6. vt bene ostendunt Auila, & Alterius ubi infra.

Secundo probatur, quia hæc duo Interdicta sunt omnino distincta per se, ita vt vnum nullam habeat rationem ad aliud, nisi Iudex velit vtrumque coniungere, de cuius intentione quando nulla adest coniectura præsumendum est oppositum, eo quod si Iudex voluisset vtrumque Interdictum ferre, vtiq; expressisset, sicut fecit in d. c. 1. de usuris in 6.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ dicendum est, ex Auila & Alterio, illud solùm conuincere obtinendum esse à publica celebratione, non per se, sed per accidens in casu, quo illud inconueniens vitari non posset: hoc tamen non esset, quia locus sit interdictus, sed quoniam aliàs non posset vitari illud inconueniens. Sicut quando excommunicatus non toleratus ingreditur Ecclesiam tempore quo celebrantur Diuina, si non posset excludi ab Ecclesia cessandum esset à Diuinis, non quia locus sit interdictus, sed ad euitandam participationem in diuinis cum dicto excommunicato. Vnde hanc nostram partem tenent Syluest. Nauarr. Auila, Alterius, Sotus, Toletus, Tabiena supra q. 41. adducti, & alij communiter.



DISPUTATIO II.

De Causa efficiendi, materiali, finali, & formali Interdicti.

QVÆSTIO PRIMA.

An omnes illi, qui excommunicare & suspendere possunt, possint etiam Censuram Interdicti ferre?

RESPONDEO tanquam certum: Possè. Ratio est. Quia par omnium est ratio; cum ad vnumquodque eorum requiratur, & sufficiat fori externi iurisdictio, qua, cum in primis Pontifex, & eius Legatus, & Nuncius, necnon Episcopi, hisque functis, Capitulum, Prælatus, Abbates, Priores, & alij Prælati polleant, certum est, eos interdicere posse. Sic omnes. Legantur, Nauarr. c. 27. n. 168. Sotus in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. concl. 2. & 3. Couarr. in c. Alma. parte 2. §. 2. & 6. Suarez disp. 36. sect. 1. Auila parte 5. disp. 2. concl. 1. Alterius tom. 2. disp. 10. de Interd. c. 5. Filliuc. tr. 18. c. 1. q. 7. Bonac. disp. 5. punct. 2. à n. 1. Bauny tr. 9. quest. 7. Henriq. lib. 13. c. 51. Sayrus lib. 5. cap. 10. à n. 13. Palao disp. 4. punct. 3. & dicta à nobis sup. tr. 1. de Cens. in communi, disp. 2. & tr. de suspens. disp. etiam 2.

QVÆSTIO II.

An Episcopi possint interdicere Clerum, & Ecclesiam, sine consensu Capituli?

NEGANT aliqui, ducti ex cap. 1. de excess. Prælat. ubi prohibentur Episcopi & Prælati, Ne sine iudicio Capituli, suspendere, vel eorum Ecclesias Interdicto subijcere attentent. Ita Glossa ibi in verb. Capituli. & Hostiens. Innoc. Palud. & Syluest. vt refert Alterius, ubi infra, necnon Calderin. in tract. de Interd. parte 1. numero 52. Fauent his auctoribus alij, docentes, quod quamuis Episcopi id validè facere valeant, non tamen debeant, ita Henriquez lib. 13. c. 51. n. 1.

Sed, iam vt certum, respondeo dicendum, quod quamuis Episcopi & alij Prælati habentes Capitulum, non possint de iure communi, interdicere suum Clerum. P. Leand. de Censuris.

rum, aut Ecclesiam, sine Capitulo, vt clarè habetur in d. cap. 1. de excessib. Prælat. & etiam in c. Episcopus nullius. 15. q. 7. attamen id possint ratione consuetudinis, qua abrogatum est ius commune. Sic Calderin. & Abbas, quos citat, ac sequitur Alterius disp. 10. cit. c. 5. col. 4. Bonac. puncto 2. cit. n. 2. Suarez disp. 36. sect. 1. n. 6. Filliuc. q. 7. cit. n. 21. Villalob. tr. 19. diff. 10. n. 3. Sayrus lib. 5. c. 10. n. 20. Palao disp. 4. punct. 3. n. 2. & alij. Qui id sine controuersia, quantum ad laicos, affirmant, posse eos Episcopus, sine consensu Capituli, interdicere, non solùm ex consuetudine, sed etiam iure communi, quia nullibi id reperitur prohibitum: nam textus à contrariis adductus, non loquitur generaliter de omni Interdicto, sed de illo, quod in Clericos, vel eorum Ecclesias fertur, vt bene notat Suarez.

QVÆSTIO III.

An sicuti Prælatus Religionum, possunt potestate ordinaria, ferre Interdictum personale in sibi subditos: ita possint ferre Interdictum locale in suas Ecclesias, & loca?

AFFIRMANDUM videtur. Quia sicuti subditi; ita Ecclesiæ propriæ, & loca propria Regularium, sunt subiecta eorum Prælatis: ergo sicuti possunt, potestate ordinaria, ferre Interdictum personale in sibi subditos; & poterunt Interdictum locale in suas Ecclesias, & loca.

Sed, vt certum, respondeo dicendum, quod licet, attento iure communi, vtrumque Interdictum ferre Prælatus Regulares valeant, cum id nullibi sit illis vetitum: attamen, attenta consuetudine communi, afferendum est, quod etsi possint ferre Interdictum personale in sibi subditos, interdicendo eos ab audiendis Diuinis & Confessionibus; non tamen possint ferre Interdictum locale, interdicendo suas Ecclesias & loca: quia oppositum communi consuetudine seruatur. Quod intellige, nisi aliàs in aliquo oppido habeant iurisditionem Ecclesiasticam fori contentiosi, & quasi Episcopalem; nam tunc bene poterunt locale Interdictum ferre. Sic Sotus in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. concl. 2. Henriquez libro 13. capite 51. num. 1. Suarez disp. 36. sect. 1. num. 2. Filliucius tract. 18. cap. 1. quas. 7. num. 21. Auila parte 5. disp. 2. concl. 1. Couarr. in cap. Alma. parte 2. §. 2. numero 6. Alterius disput. 10. capite 5. col. 2. vers. Hæc tamen conclusio. Bonacina de Interd. puncto 2. numero 2. vers. Tertio. Miranda in Man. Prælator. tomo 2. q. 37. art. 4. Villalobos tract. 19. diff. 10. num. 2. Machado libro 1. sum. parte 3. tract. 13. docum. 2. num. 2. Palao disp. 4. puncto 3. numero 4.

QVÆSTIO IV.

An Prælatus possint ponere Interdictum locale, extra suam Prouinciam, Diæcesim, aut Territorium?

RESPONDEO tanquam certum: Non posse. Quia extra proprium territorium non habent iurisditionem, nec locum, qui propriè sibi sit subiectus: ergo. Sic omnes. Auila disputatione 2. cit. dubio 2. concl. 1. Sebastianus de Medicis in sum. Peccat Capitulum. tit. 9. quest. 5. Bauny tract. 9. de Interd. quest. 7. Palao loc. cit. num. 7. Alterius disputatione 10. cit. capite 6. columna 1. Qui bene notat, quod licet hoc sit certum; tamen indirectè sententia Interdicti localis lata ab Episcopo, extendatur ad loca immediatè contigua, ne contemptui habeatur sententia Interdicti, quæ extensio fuit facta à iure communi, cap. Si Ciuitas, de sent. excomm. in 6. ne Interdictum suo effectu careret, vt etiam nos diximus supra disp. 1. q. 9. 10. & 31.

## QVÆSTIO V.

*An saltem possint Prælati interdicerere suos subditos existentes in aliena Prouincia, Diœcesi, aut Territorio?*

**N**egandum videtur. Nam Prælati non possunt interdicerere loca, extra suam Prouinciam, Diœcesim, aut Territorium, vt nuper est habitum: ergo nec poterunt suos subditos existentes extra suam Prouinciam, &c.

Sed tamen, vt certum, respondeo: Posse interdicerere suos subditos, etiam existentes in alieno territorio in casibus illis, in quibus Prælatum diximus, excommunicare posse subditum suum in alieno territorio, seu Parochia versantem, hoc est, quandiu manet sub sua iurisdictione, vt constat ex dictis, & ex nunc dicendis ad rationem dubitandi.

Ad quam, neganda est consequentia: quia non est eadem ratio de persona, ac de loco: nam persona potest mutare locum, manendo etiam sub iurisdictione sui Prælati, vt accidit dum mutat territorium, non intendens mutare domicilium, in quo casu optimè potest Prælatum interdicerere subditum suum in aliena Diœcesi, seu territorio manentem, cum retineat potestatem, & iurisdictionem in illum. Secus autem est de loco, quia in locum positum extra fines suæ Diœcesis, seu territorij, nullam habet iurisdictionem. Sic omnino Alterius *disp. 10. cap. 6. col. 2.* Auila etiam *disputatione 2. cit. dub. 2. concl. 2.* Bauny, & Medicis, nuper adducti, & communis.

De cæteris autem personis, de quibus hîc inquiri posset, an iure ordinario, aut ex commissione, interdicti sententiam ferre valeant, diximus *tractatu 1. de Censuris in communi, disp. 2. à quest. 8.* Legantur ibi, ne eadem millies repetamus.

## QVÆSTIO VI.

*An vniuersa Ecclesia interdicti possit?*

**R**espondeo tanquam certum: Interdicti posse, sed à solo Romano Pontifice; vel Sede vacante, à Concilio generali antea congregato. Quia nullus habet iurisdictionem in vniuersam Ecclesiam præter Romanum Pontificem, & Concilium generale Sede vacante. Quare rectè potest Sum. Pontifex in vniuersam Ecclesiam Interdictum diuisiuè ferre, hoc est, in vniuersas Ecclesiæ partes, aut in quamlibet sigillatim: quia in omnes illas iurisdictionem habet. Et idem est dicendum, loquendo de vniuersa Ecclesia coniunctim, hoc est, de omnibus Ecclesiæ partibus simul, & collectiuè sumptis; quia neque ex parte potestatis, nec ex parte locorum, datur repugnantia, vt tale Interdictum vniuersale ferri non valeat à Pontifice; licèt moraliter, & practicè loquendo, ferri non possit, eo quod non potest occurrere causa legitima ad illud imponendum. Sic Suarez *disp. 36. sect. 2. n. 1.* Alterius *de Interd. disp. 10. cap. 6. col. 1.* Filliuc. *tr. 18. cap. 1. q. 8. n. 22.* Luylius *de Censur. lib. 6. disp. 53. dubio 1.* Bonac. *de Interd. puncto 2. n. 4.*

## QVÆSTIO VII.

*An Episcopus possit totam Diœcesim, sua iurisdictioni subiectam, interdicerere?*

**R**espondeo tanquam certum: Posse interdicerere totam Diœcesim, non solum diuisiuè, sed etiam collectiuè sumptam. Quia Episcopus (inquit Alterius) potestatem habet interdicens totam Diœcesim, non solum hoc, vel illud oppidum, seu, hanc vel

illam Ecclesiam diuisiuè, sed etiam collectiuè Diœcesim vniuersam, absque vlla exceptione, quia eius iurisdictione tam latè patet. Et si occurrat causa sufficiens, & generalis, licèt tale Interdictum generale imponeret; quamuis rarò talis causa accidere possit. Et ab Interdicto generali Episcopi, nullus locus positus intra Diœcesim excipitur, non obstante quacunque consuetudine, quoniam consuetudo non valet, per quam Interdicti sententia violatur, vt dicitur *in capite Cum inter. de consuet.* Sic Alterius *loc. cit.* Et antea Suarez *loc. cit.* & Luylius *vers. De Episcopo.*

## QVÆSTIO VIII.

*An loca non sacra, seu rebus diuinis non deputata, interdicti possint?*

**R**espondeo tanquam certum: Posse. Quia potestas interdicens non limitatur ad loca sacra tantum, sed potius iura simpliciter loquuntur de quocunque loco, absque vlla exceptione. Quod loquendo de Interdicto generali locali, constat ex habitis *supra disp. 1. quest. 5. & sequent.* loquendò verò de Interdicto speciali etiam constat, cum non appareat causa ob quam loca aliqua non sacra, seu profana, non possint interdicti; quamuis id non sit in vsu, eo quod inutile esset interdicerere aliquem locum profanum, in quo non celebrantur Diuina. Sic Suarez *disputatione 36. sectione 2. numero 4.* Alterius *disputatione 10. capite 6. columna 2. vers. Tandem.* Luylius *lib. 6. disp. 53. dubio 1. in fine.*

## QVÆSTIO IX.

*An omnes personæ, quæ excommunicari possunt, possint etiam interdicti?*

**R**espondeo tanquam certum: Posse. Et idè omnes personæ baptizatae, excepto Papa, siue sint Clerici, siue Laici, siue Religiosi, siue Sæculares, quantum est ex parte illorum, si reliqua necessaria, vt causa, iurisdictione, &c. concurrant, interdicti possunt. Quia ex parte fidelium eadem est capacitas ad quamcunque Censuram, si ex parte Iudicis, aut sententiæ, aut legis necessaria concurrant. Sic omnes. Legantur Nauarr. *cap. 27. num. 168.* Couarr. *in cap. Alma mater. parte 2. §. 1. num. 4.* Henriquez *lib. 13. cap. 50. numero 1.* Suarez *disputatione 36. sectione 2. numero 5.* Alterius *disputatione 10. capite 6. col. 3. & 4.* Auila *parte 5. disputatione 2. dubio 5.* Filliucius *tr. 18. capite 1. questione 8. à numero 23.* Luylius *disp. 53. cit. dubio 2.* Bauny *tractatu 9. questione 7. assertionem 2.* & Palao *disp. 4. puncto 3. §. 1. n. 6.*

## QVÆSTIO X.

*An Vniuersitas, Collegium, seu Communitas, possit interdicti?*

**R**espondeo: Negandum videri. Quia Communitas nequit excommunicari: ergo neque interdicti. Antecedens est certum apud omnes, & constat ex dictis *de Censuris in communi, disputatione 3. à questione 24.*

Sed, vt certum, respondeo: Posse interdici, quamuis non possit excommunicari. Quia hoc prohibetur in iure; illud verò ab illo conceditur. Sic omnes. Legantur dicta *disputatione 3. cit. questione 23. & seqq.* & Auctores ibi, & nuper adducti.

## QVÆSTIO XI.

*An Episcopi censeantur Interdicti per legem generalem, aut sententiam, qua interdicuntur omnes, qui hoc, vel illud delictum commiserint?*

**R**espondeo tanquam certum: Non censerentur interdictos. Quia hoc statutum fuit in cap. *Quia periculosum, de sent. excommun. in 6.* ubi quoad suspensionem & Interdictum, fuerunt hoc privilegio decorati ab Innocentio VI. in Concil. Lugdunenli. Secus est de excommunicatione, ut liquet ex d. cap. *Quia periculosum, vers. Suspensionis.* Sic omnes. Legantur Suar. *disp. 36. sect. 2. num. 5.* Filliuc. *tract. 18. cap. 1. quest. 8. dicto. 2. n. 23.* Alterius *hic, disp. 10. cap. 6. col. 4. vers. Deinde Episcopus.* Luyfius *lib. 6. disp. 53. dub. 2. & alij.*

An autem pueri ante usum rationis, & amentes contineantur sub generali Interdicto populi, constat ex dictis supra *disp. 1. q. 33.* An verò defunctus possit interdici, ex dictis *tract. 1. de Censur. disp. 3. quest. 10. & sequent.* colligere poteris.

## QVÆSTIO XII.

*An ad imponendum Interdictum locale, etiam speciale, requiratur culpa mortalis?*

**R**espondeo tanquam certum: Requiritur culpam mortalem. Constat. Quia Interdictum huiusmodi est poena spiritualis, & in genere poenæ, grauis satis: at sic est, quod poena grauis, supponit culpam, & grauem: ergo ad imponendum huiusmodi Interdictum, necessariò debet supponi culpa grauis, & mortalis. Sic Angel. *Interdictum 3. n. 5.* Sylu. *ibid. q. 5.* Nauarr. *c. 27. n. 168.* Couarr. *in c. Alma. parte 2. §. 1. n. 4. & 5.* Sotus *dist. 22. q. 3. art. 1.* Suarez *disp. 36. sect. 3. n. 6.* Henriq. *lib. 13. c. 50. n. 2.* Auila *parte 5. disp. 3. dubio 2.* Bauny *tr. 9. q. 7. assert. 4.* Qui addunt ad hoc Interdictum ferendum grauius peccatum requiri, quàm ad ferendam excommunicationem. Bonacina *de Interd. puncto 3. numero 5.* Filliucius *tractatu 18. capite 1. questione 9. numero 27.* Palao *disputatione 4. puncto 3. §. 2. numero 2. & omnes.*

## QVÆSTIO XIII.

*An etiam Interdictum personale generale, imponi non possit, nisi ob peccatum mortale?*

**R**espondeo tanquam certum: Imponi non posse, nisi ob peccatum mortale. Quia, ut nuper dicebamus, culpæ par, & æqualis esse poena debet. at sic est, quod Interdictum personale generale est grauisissima poena, cum totam vniuersitatem, seu communitatem, valdè grauet: ergo & culpa, quæ præsupponitur ad illud, grauisissima debet esse. Sic Suarez *loc. cit. n. 5.* Filliuc. *n. 26.* Bauny *loc. cit. assert. 3.* Luyfius *lib. 6. de Censur. dub. 1. & alij plures.*

An verò Interdictum ferri possit ob alienam culpam; constat ex dictis *tract. 1. disp. 8. q. 2. ex tractatu de suspens. disp. 2. q. 7.*

## QVÆSTIO XIV.

*An ob peccatum suum veniale; possit quis Interdicto puniri?*

**A**ffirmant absolutè Armilla, *Suspensio, numero 1.* Caiet. *Interdicti violatio.* Henriquez *cap. 50. cit. numero 2.* Molina *de instit. tomo 4. tract. 7. disput. 75.* R.P. Leand. *de Censuris.*

*num. 1.* Auila *disput. 3. cit. dub. 2. concl. 2.* Sà *verb. Interdictum, n. 4.* & Hurtad. *de Interd. diff. 13.* apud Palaum, & alij. Quorum fundamentum est, quod excommunicatio minor est poena grauior Interdicto: at illa imponitur ob proprium veniale: ergo etiam Interdictum imponi potest pro veniali proprio.

Negat contrà absolutè Bauny *tract. 9. ubi de Interdicto, q. 7. assert. 5.* & penes illum, Sanchez *de matrim. lib. 9. disp. 32. n. 29.* Suarez *tomo 5. disp. 4. sect. 10.* Filliuc. *tomo 1. tract. 20. cap. 3. n. 58.* & Laymann *libro 1. tractatu 5. capite 4. numero 4.* Quia (inquit Bauny) cum acerbius homini religioso, ac timenti Deum, esse nihil possit priuatione Ecclesiasticæ sepulturæ, Missæ, Vesperarum, ac diuinorum Officiorum, abhorret à prudentia dicere, tantæ poenæ causam leuem esse. Ita ille. Legatur de hac re Diana *parte 5. tract. 10. resolut. 78.* ubi vtramque sententiam putat probabilem.

Sed clarius, & distinctius respondeo dicendum, quod nullo modo possit quis pro culpa propria veniali, puniri Interdicto absolutè, simpliciter, & absque limitatione sumpro; bene tamen Interdicto aliquo limitato quoad effectum, & tempus. *Prima pars* constat ex dictis in simili de excommunicatione & suspensione, & ex ratione allata à Bauny.

*Secunda,* Quia potest (inquit Suarez) Interdictum ferri, non in totum, sed ex parte, priuando quem solùm Ecclesiæ ingressu, vel vsu communionis ad breue tempus: at sic est, quod Interdictum ita limitatum, non est grauior poena, quàm est excommunicatio minor, quæ ferri potest pro veniali culpa: ergo & illud ferri potest, quamquam verum sit rarò ferri huiusmodi Interdictum. Sic Suarez *disp. 36. sect. 3. dicto 1. numero 3.* Luyfius *lib. 6. disputatione 51. dub. 1.* Filliuc. *tract. 18. cap. 1. q. 9. num. 25.* his verbis: Et quidem, si Interdictum graue sit, supponere debet culpam mortalem; si leue, venialem, ut diximus cum de Censuris, & docet de Interdicto etiam Suarez *sect. 3. num. 2. & 3.* Sic Filliucius ex Suario. Vterque igitur est pro nostra sententia Bauny. Sic etiam sentit Sanchez *loc. cit. n. 29. in fine.* Nam licet oppositum sentiat loquendo de suspensione (& consequenter, de Interdicto) iure lata, non tamen à Iudice ferenda, ait enim sic: Dixi, de suspensione iure lata, Quia potest Iudex ob culpam venialem suspendere, ut cum Nauarr. *sum. cap. 27. Lat. & Hispan. 159.* docent Henriquez, & Manuel, *ibidem.* Quod bene intelligit ibi Nauarr. *Hispan. de leui suspensione, & ad breue tempus, quæ modicum damnum honoris, & rei familiaris afferat.* Hæc Sanchez. Ludou. Lopez *2. p. instruct. cap. 21. de Interd. folio 498.* Ægidius *disputatione 17. dubio 1. n. 24.* Palao *disputatione 4. puncto 3. §. 2. numero 9.* qui etiam citat Hurtadum pro hac parte, & melius; cum hanc expressè doceat *loc. cit. vers. Nos tamen.* Legantur dicta à nobis *de suspens. disp. 2. quest. 9.*

## QVÆSTIO XV.

*An Interdictum locale generale possit ferri, propter debitum pecuniarium contractum ab aliqua Communitate?*

**R**espondeo tanquam certum: Non posse, nisi de speciali, & expressa licentia Papæ. Quia ita decernitur in Extrauag. *Prouide. de sentent. excommunicationis inter communes.* his verbis: *Presentis constitutionis prouidemus editto, ut nulla Prouincia, Ciuitas, Castrum, Villa, locus, territorium, vel districtus auctoritate ordinaria, vel delegata supponatur Ecclesiastico Interdicto pro pecuniario debito, vel pro cuiusvis moneta, vel pecunia quantitate, quacunque occasione, vel causa, seu quouis quæsito colore, &c.* Nos enim ex nunc decernimus irritum, & inane, si secus hactenus




ingressus in Ecclesiam. Sic Toletus lib. 1. cap. 53. Bauny tract. 9. q. 13. Auila p. 5. disp. 4. in princ. Bonac. disp. 5. puncto 3. quamuis duo hi authores, tres solos primos numerent effectus, & alij communiter.

QVÆSTIO II.

An effectus Interdicti sint ita inter se connexi, sicut sunt effectus excommunicationis?

RESPONDEO dicendum, quod non sunt ita connexi; & idèdè possunt, etiam ab Episcopo, optimè separari ab inuicem. Vnde fieri potest, vt Episcopus interdicit aliquem ab officio Sacerdotali, quin interdicit illum à sepultura; vel ab officio prædicandi, quamuis non interdicit ab officio audiendi Confessiones, &c. Quare diligenter aduertendum est quomodo feratur Interdictum: nam quando imponitur absolutè, & sine limitatione, intelligitur quoad omnes effectus; quando verò ponitur cum limitatione, prohibet tantùm eam actionem, quæ interdicitur, & omnem aliam, quæ in ea includitur, & sine qua illa fieri non potest; non verò prohibet eam actionem, sine qua actio interdicta fieri potest. Sic Nauar. c. 27. n. 170. & 183. Couarr. in cap. Alma. 2. p. §. 1. num. 4. Henriq. lib. 13. c. 32. n. 1. & cap. 43. n. 1. & 6. Auila parte 5. disp. 4. in princip. Bonac. de Interd. puncto 3. n. 1. Palao disp. 5. puncto 4. in princ. & omnes communiter.



DISPUTATIO IV.

De primo effectu Interdicti, qui est, Priuatio diuinorum Officiorum.

QVÆSTIO PRIMA.

An priuatio diuinorum Officiorum publicè dictorum, sit primus effectus Interdicti integri?

RESPONDEO: Affirmatiuè. Sic enim habetur in cap. Si sententia. de sent. excomm. in 6. ibi: Nulla Diuina celebrentur Officia, vel ministrantur Ecclesiastica Sacramenta. & cap. Episcoporum. de priuileg. eod. lib. Ne aliqui, &c. Cuiusque Ordinis, Religionis, status, vel conditionis existant, scienter, celebrent, vel faciant celebrari Diuina; nempe, in Ciuitatibus & locis interdictis. cap. Non est vobis. de Sponsalib. & alibi. Ex quibus iuribus clarè constat, quod primus effectus Interdicti integri, siue absolutè, & sine limitatione lati, sit prohibitio & priuatio celebrationis, & dictionis publicæ diuinorum Officiorum, & auditionis eorundem publicè, non priuatim dictorum. Sic omnes. Legantur Suarez disp. 34. in princ. & sect. 3. Auila parte 5. disp. 4. sect. 2. Alterius tom. 2. disput. 5. de Interd. in princ. Bonac. disp. 5. puncto 4. Hurt. tr. de Interd. diff. 6. & 7. Palao disp. 4. punct. 4. §. 2. num. 1. & omnes.

QVÆSTIO II.

An aliqua Officia diuina, licita fuerint, iure antiquo, tempore Interdicti localis generalis?

RESPONDEO tanquam certum: Fuisse licita nonnulla. Nam Primò, licitum erat Ministris Ecclesiarum, semel in hebdomada, non pulsatis campanis, voce submissa, ianuis clausis excommunicatis, & interdictis exclusis, Missam celebrare, causa conficiendi Eucharistiam pro infirmis seruandam. Sic de R. P. Leand. de Censuris.

cretum fuit in cap. Permittimus. de sent. excomm. Sic Henriquez lib. 13. cap. 44. n. 3. vbi benè addit quod urgente necessitate infirmorum possent etiam aliæ Missæ celebrari, quod prius notauit Nauar. c. 27. n. 173

Secundò, licitum erit Clericus vt in Ecclesiis Conuentualibus Horas Canonicas, bini & bini, & simul tres (non plures) sine cantu & voce submissa, dicerent. Sic in cap. Quod in re. de pœnit. & remiss. Quod à fortiori id licitum fuit facere extra Ecclesiam, dummodo cauerent ne audirentur à non habentibus priuilegium. Sic Syluest. Interdictum §. 9. 5. Couarr. in cap. Alma. p. 2. §. 2. n. 7. Nauar. cap. 27. numero 175. Auila parte 5. disp. 4. sectione 2. dub. 1. concl. 1. 2. & 3. Hurtad. diff. 7. numero 17.

QVÆSTIO III.

An etiam tempore Interdicti specialis, fuerit licitum olim Clericis, recitare, modo dicto; Horas Canonicas?

Affirmat Henriquez loc. cit. ibi; similiter tempore specialis interdicti loci licebat binis Clericis, aut tribus simul recitare. Ita ille. Qui adducit pro se ibi lit. N. Syluestrum, & Couarr. loc. cit.

Sed probabilius respondeo: Non fuisse licitum. Quia cap. Alma mater, solum intelligitur de Interdicto locali generali, vt infra cum communi dicemus: ergo etiam dictum cap. Quod in re; uon enim est maior ratio de vno capite, quam de altero. Sic Nauarrus c. 27. n. 173. in fine, & penes illum, Glossa recepta in capite fin. de sent. excomm. lib. 6. verb. Ecclesiis. Auila parte 5. disp. 4. sect. 2. dub. 1. concl. 2.

Addunt tamen authores vtriusque sententiæ licitum fuisse in Ecclesia etiam specialiter interdicta celebrare modo dicto Missam ad renouandum sanctissimum Sacramentum quod infirmis seruabatur. Quia textus absolutè loquitur tempore Interdicti, & necessitas celebrandi æquè militat in Interdicto speciali locali, sicut in generali.

QVÆSTIO IV.

An modò iure nouo, possint omnes Ministri Ecclesie, tempore Interdicti localis generalis, celebrare quotidie Missas, & alia Officia diuina in Ecclesiis, & Monasterijs, sicut si non esset Interdictum?

RESPONDEO tanquam certum: Posse iam, seruatis tamen quatuor conditionibus. Prima quod id faciant, ianuis clausis. Secunda, voce submissa. Tertia, exclusis excommunicatis & interdictis. Quarta, non pulsatis campanis. Sic decreuit Bonifac VIII in cap. Alma mater. de sent. excommunic. in 6 in §. Adijcimus præterea, quod singulis diebus in Ecclesiis & Monasterijs, Missæ celebrentur, & alia dicantur diuina Officia, sicut prius, submissa tamen voce, ianuis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis. Sic Pontifex. Sicque omnes DD Legantur Suarez disp. 34. sect. 1. Auila parte 5. disp. 4. sect. 2. dub. 2. Alterius disp. 5. c. 1. Bonac. punct. 4. Bauny tr. 9. q. 13. Filliuc. tr. 18. c. 3. q. 2. n. 63. & alij.

QVÆSTIO V.

An etiam in Ecclesiis specialiter interdictis, liceat Missas, & alia Officia diuina celebrare quotidie, seruatis conditionibus nuper positis?

RESPONDEO tanquã quid certum: Non licere. Quia concessio Bonif. VIII. solum agit de Interd. locali generali,



Generali, non de speciali: ergo tempore Interdicti non licebit quotidie celebrare Missas, &c. in Ecclesijs specialiter interdictis, vigore concessionis dicti cap. *Alma mater*. sed solum in illis tantum, quæ continentur in loco generali interdicto. Solum ergo licebit Missam celebrare in Ecclesijs specialiter interdictis semel in Hebdomada virtute cap. *Permittimus*, ad renouandam Eucharistiam, iuxta dicta *sup. q. 2.* Sic docent Glossa, Anchar. Domin. Francus, Angel. Syluest. Nicol. Milis, Rota, Felin. Ioan. Andr. Anton. Cardin. Abbas, Imola, D. Anton. Calderia. & Villadiego, quos refert, & sequitur Couarr. in cap. *Alma. 2. p. §. 4. num. 1.* Nauarr. cap. 27. n. 175. Auila parte 5. disp. 4. sect. 2. dubio 3. concl. 2. Alterius de Interd. disp. 5. cap. 1. col. 3. & est communis omnium sententia, vt ait Couarruuias. Legatur Sanchez libro 7. de Matrimonio, disputatione 8. numero 12.

## QVÆSTIO VI.

*An tempore Interdicti localis generalis, sit licitum celebrare quotidie Officia diuina, seruata moderatione cap. Alma mater, secretò, videlicet, &c. in Ecclesijs Hospitalium, & Monialium?*

**R**espondeo tanquam certum: Esse licitum. Quia iuxta dictum cap. *Alma*, licitum est tempore Interdicti localis generalis, celebrare diuina Officia, secretò, &c. in Ecclesijs & Monasteriis; atqui certum est, quod nomine Ecclesiarum, comprehenduntur etiam Hospitalia, in quibus est sacer locus, ad dictum ministerium, ab Episcopo approbatus, vt nos in expositione nostræ Regulæ, clare probauimus: & nomine Monasteriorum comprehenduntur etiam Monasteria Monialium: ergo. Sic omnes communiter. Nauarr. c. 27. n. 175. Couarr. in d. c. *Alma. 2. p. §. 4. n. 2.* Suarez disp. 34. sect. 1. n. 5. Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 8. n. 13 in fine. Henr. lib. 13. c. 32. n. 2. & c. 46. n. 1. Bonac. de Interd. puncto 4. n. 10. & 11. & alij mox citandi. Sayrus libro 5. parte 5. n. 21. Palao disp. 4. puncto 4. §. 2. n. 5. & omnes communiter.

## QVÆSTIO VII.

*An etiam tempore Interdicti localis generalis, liceat quotidie celebrare Missas, & alia diuina Officia, in priuatis Oratorijs, quæ solent esse in communibus domibus?*

**N**egant plures DD. eo quod Constitutio Bonifacij VIII. solum permittit celebrare diuina Officia tempore Interdicti, in Ecclesijs, &c. at sic est, quod iuxta communem vsum, non solent hæc loca nomine Ecclesiarum intelligi: ergo. Ita tenent Couarr. Palao, Sanchez, & Bonac. locis nuper cit. Luyfius de Censur. lib. 7. disp. 49. dub. 1. Mercerus in 3. p. q. 24. de Interd. dub. 3. Hurr. de Interd. diff. 7. n. 18. & huius Authoris, non Luyfij Turriani, sunt verba relata pro hac parte, à Diana mox citando.

Sed probabilius respondeo: Licere. Quia probabilius est, quod nomine Ecclesiarum amplissime sumptum, vt in re favorabili sumendum est, comprehendantur omnia loca ab Ordinarijs approbata ad Missæ sacrificium perficiendum: at sic est, quod nunc omnia Oratoria debent esse approbata ab Ordinarijs, iuxta Conc. Trid. sess. 22. decreto de obseruand. in Missæ celebratione: ergo. Sic Nauarr. n. 175. cit. Suarez disp. 34. sect. 1. n. 9. Vgolin. tab. 5. c. 8. §. 5. Sayrus lib. 5. cap. 5. n. 11. Filliuc. tr. 18. c. 3. n. 65. Laymann lib. 5. tract. 5. parte 4. c. 1. n. 4. Baldus, Lodouicus a Cruce, Trullench, Faber, Moscosus, & Præpositus, quos refert, & sequi-

tur Diana parte 5. tract. 10. resol. 60. Auila parte 5. disput. 4. sect. 2. dub. 3. concl. 3. Henriquez lib. 13. loco cit. Villalobos tomo 1. tract. 19. diffic. 5. n. 8. Bauny tract. de Interd. q. 13. pag. 407. col. 2. Alterius disp. 5. c. 1. dub. 1. & 2.

## QVÆSTIO VIII.

*An Persona interdicta, possit celebrare Officia diuina, in Ecclesijs, aut Monasterijs, cum moderatione predicti cap.*

Alma?

**R**espondeo tanquam certum: Non posse. Quia certum est, quod concessio Bonifacij in d. cap. data, tantum intelligatur de Interdicto locali, non de personali, vt patet ex contextu ipsius capituli. Sic Nauarr. cap. 27. n. 174. Auila loc. cit. concl. 1. Couarr. part. 2. cit. §. 4. num. 3. Suarez sect. 1. cit. num. 10. Luyfius lib. 6. disputatione 49. dubio 2.

## QVÆSTIO IX.

*An tempore Interdicti, solum sit licitum, dicere Missam diei?*

**A**ffirmat Ioan. Monachus, apud Couarruu. *infra*, quia putat solum permitti per Constitutionem Bonifacij, Missarum solemniam propria diei, non alterius.

Sed, vt certum, respondeo: Esse licitum dicere Missam, non solum diei, sed etiam aliam quamcunque, vt Diuæ Virginis Mariæ, aut alterius Sancti cuiusque. Quia constitutio Pontificis absolutè, & sine limitatione concedit, celebrare Missam, & alia diuina Officia, sicut prius: ergo. Sic Ioan. Andreas, Domin. Calderinus, & Syluest. quos refert, ac sequitur Couarru. in cap. *Alma mater. parte 2. §. 4. n. 3.* Suarez disp. 34. sect. 1. n. 11. dicentes, oppositum, esse falsum, & improbabile. Auila parte 5. disp. 4. sect. 2. dub. 3. post 3. concl. Alterius disp. 5. c. 1. dub. 3. & alij penes ipsum. Palao disput. 4. puncto 4. §. 2. n. 9. dicens id esse certum. De quo dubio adhuc *infra q. 34.*

## QVÆSTIO X.

*An non solum Sacerdotes loci generaliter interdicti, sed etiam extranei, possint celebrare Missas in dicto loco, cum illis quatuor conditionibus d. c. Alma?*

**N**egant quidam Doctores, posse Sacerdotes extraneos venientes ad loca generaliter interdicta licitè celebrare Missas in Ecclesijs, seu Monasterijs positis in locis generaliter interdictis, etiam seruata forma d. c. *Alma*. Quia existimant Concessionem huius cap. solum loqui de Clericis deputatis in illis Ecclesijs, vel Religiosis illorum Monasteriorum, vbi Missæ sunt celebrandæ. Ita Archidiac. & Anchar. in d. cap. *Alma*. Quorum opinionem, ait Nauarr. cap. 27. n. 174. suo tempore vsu fuisse receptam in Gallia.

Sed multò probabilius respondeo dicendum, quod non solum Sacerdotes loci generaliter interdicti, sed etiam extranei, possint licitè celebrare Missas in dicto loco, seruatis conditionibus cap. *Alma*; nisi aliàs ob aliam causam non prohibeantur, aut fuerint causa Interdicti. Ratio est. Quia in cap. *Alma*. absolutè, & sine limitatione conceditur, quod liceat in Ecclesijs & Monasterijs singulis diebus, Missas & alia Officia celebrare sicuti prius, id est, sicut ante Interdictum licebat: & sic est, quod ante Interdictum erat licitum cuilibet Sacerdoti, etiam extraneo, aliàs non prohibito, Missam celebrare: ergo hoc ipsum erit permis-

sum

sum vtrique tempore Interdicti, cum illis quatuor conditionibus. Sic Nauarr. num 174. cit. dicens, ita observari in toto Regno Castellæ & Lusitania. Ioan. Andr. Domin. & Franc. in cap. Alma. Couarr. ibid §. 4 num. 4. vers. Nonò. Gemin. Federic. Angel. Syluest. D. Anton. Tabiena. & Felician. quos citat, & sequitur Alterius disp. 5. de Interd. cap. 1. dubio 2. Palao disputatione 4. puncto 4. §. 2. numero 4. Henriq. Vgolinus, Sayrus. Auila, Laymann, & alij apud ipsum.

Q V Æ S T I O X I.

*An quando tempore Interdicti localis generalis, celebranda sunt Missæ, & alia diuina Officia, necessum sit, vt omnes portæ Ecclesiæ sint omnino clausæ?*

**R**espondeo tanquam certum: Affirmatiuè. Quia expressè id habetur in prædicto cap. Alma. in quo permittitur, vt in loco generali interdicto celebrari possint Missæ, & alia diuina Officia, quotidie, ianuis tamen clausis, submissa voce, Interdictis, & excommunicatis exclusis, & absque Campanarum pulsatione: ergo. Sic omnes, præcipuè Alterius disp. 5. cit. cap. 2. col. 2. his verbis: Ex his infertur, si Ecclesias plures habeat portas, non satis esse principalem claudere, sed omnes sunt claudendæ, aliàs finis intentus ab Ecclesia cessaret, nam ex ianua aperta possent commodè laici prohibiti, & audire, & conspiceret Diuina, quæ in Ecclesia agerentur, & ipsam etiam Ecclesiam ingredi, contra prohibitionem Iuris: & idèd in textu dicitur, *ianuis clausis*, vt significetur, nullam relinquendam esse portam apertam, per quam patere posset ingressus. Sic ille. Et antea Suarez disputatione 34. sect. 1. num. 13. Luyfius lib. 6. disp. 49. dubio 1. & alij omnes.

Q V Æ S T I O X I I.

*An etiam sit necessum, vt ianua, quam aliqua Ecclesiæ versus Claustrum habent, omnino claudatur, sicuti alia?*

**R**espondeo dicendum, quod si Claustrum, ita sit post Ecclesiam contentum, vt ad illud non pateat aditus, nisi per Ecclesiæ ianuas, satis censetur clausa Ecclesia, si ianua, quæ publicas vias respiciunt, clausa sint. Quando verò aliunde patet aditus ad ipsum Claustrum, qui aditus, tempore Interdicti, non solet esse specialiter impeditus, tunc necesse est, vt ianua etiam, quæ Claustrum respiciunt, clausa sint: quia ratione finis, & ratione verborum legis comprehenduntur. Sic omnino Suarez loc. cit. Et ex illo Alterius & Luyfius.

Q V Æ S T I O X I I I.

*An requiratur etiam, vt ianua Ecclesiæ, ita sint clausa, vt ab externis aperiri nequeant?*

**R**espondeo tanquam certum: Non requiri, sed sufficere, vt ianua ita iuncta sint, vt auditum, visum & transitum impediant, quamuis non sint ita obserata, vt volentes ingredi nequeant, nisi aperiantur ab iis, qui intus manent. Quia nec id est in vsu, nec textus requirit, essetque magnum incommodum, cum multi de populo facultatem habeant ingrediendi Ecclesiam Interdicti tempore. Sic Suarez disp. 34. sectione 1. numero 12. Alterius capite 2. cit. col. 2. vers. Sed hic quari potest. Palao disputatione 4. puncto 4. §. 2. numero 13. & communis.

Q V Æ S T I O X I V.

*An rursus requiratur, vt tempore dicti Interdicti ponatur Ostiarius ad ianuam Ecclesiæ, vt admittat priuilegiatos, & prohibitos ab ingressu repellat?*

**A**ffirmat Viuald. in suo Candelab. de Interd. numero 227. pag. mihi 157. ita scribens: Congregato Clero, vel Fratibus ad horas, portas Ecclesiæ claudere necesse est, illisque Custodem deputare, vt tantum Clericos, & priuilegium habentes, introire permittat, ne Interdictum Ecclesiasticum incuria, atque negligentia violetur. Ita ille.

Sed tanquam certum respondeo dicendum, quod quamuis hæc prouidentia sit laudabilis, non tamen requiratur de præcepto; quia nullibi in iure reperitur. Quia satis est generalis denunciatio Interdicti, ne qui audeant Ecclesiam ingredi, dum Missæ, & diuina Officia celebrantur. Casu autem quo quis prohibitus ingrediatur, à Ministris Ecclesiæ erit expellendus, cum primùm in illorum notitiam deuenit, nec ad maiorem diligentiam tenentur. Sic Suarez, & Alterius, & Palao locis citatis.

Q V Æ S T I O X V.

*An tempore Interdicti, possint Clerici Missam, & alia diuina Officia cantare?*

**N**egandum planè videtur. Tum quia in c. Alma. requiritur quod dicta Officia dicantur submissa voce. Tum etiam quia in cap. Quod in te, de pœnit. & remiss. apertè id habetur ibi: *Et in Conuentalibus Ecclesiis, bini, & bini, vel simul tres horas Canonicas valeant legere, non cantare.* Constat igitur ex his testibus, quod tempore Interdicti nequeant Clerici diuina Officia cantare, sed tantum legere.

Sed nihilominus, vt certum, respondeo dicendum, quod non solum possint Clerici in communi Officia diuina tempore Interdicti, legere; verum etiam cantare; non cantu solemnem, aut vtendo organo, & aliis instrumentis Musicis, sed solum submissa voce, id est, voce tali, quod à Ministris, & ab aliis, qui intra Ecclesiam legitime assistant, audiri possint; non tamen ab aliis, qui extra Ecclesiam sunt. Sic intelligendo, & explicando textus supra adductos, tenent omnes, Suarez disp. 34. sect. 1. n. 11. Nauarr. in man. cap. 27. numero 174. Couarr. in cap. Alma. parte 2. §. 2. numero 7 vers. Sed olim. Henriquez libro 13. cap. 44. numero 3. Alterius disp. 5. cap. 2. col. 1. Bonac. de Interd. puncto 4. nu. 6. Palao disp. 4. puncto 4. §. 2. n. 12. & alij.

Q V Æ S T I O X V I.

*An casu, quo, tempore Interdicti, non dicantur diuina Officia in communi, sed à duobus tantum; sit etiam necessum, claudere Ecclesiæ ianuas?*

**A**ffirmant (vt refert Nauarrus) Hostiens. Ioan. Andr. & Cardin. in cap. Quod in te, cit. eo quod iura id clarè decernere videantur.

Sed probabilius respondeo: Non esse tunc necessum. Quia satis est curare tunc, quod non audiantur à non priuilegiatis. Nec obstant iura, quæ contrarium asserere videntur. Quia id non prohibent in hoc casu, cum in illo cesset tota ratio prohibitionis & inconuenientium. Sic Nauarr. cap. 27. n. 175. Medina in sum. lib. 1. c. 11. (non 18. vt leges apud Auilam) §. 13. ibi: La segunda, que sea apuertas cerradas. Esto se entiende quando se dice el Officio diuino eo comun, porque si

dos lo dicen, no es necesario que esten cerradas, basta que miren no los oya quien no puede. Sic ille. Henriquez lib. 13. cap. 44. num. 3. lit. M. ( Qui male pro hac parte citat Couarr. 2. p. cit. §. 2. n. 1. quia ibi nihil ad intentum ait) Auila parte 5. disp. 4. sect. 2. dub. 3. vers. Circa duas primas. Palao §. 2. cit. n. 13. & alij.

## QVÆSTIO XVII.

*An excommunicati, & personaliter interdicti, excludi debeant, Interdicti tempore, à celebratione Missæ, & aliorum diuinorum Officiorum?*

Respondeo tanquam certum: Debere excludi; Quia sic expressè habetur in d. cap. Alma. Et quidem loquendo de excommunicatis: certum est debere excludi semper, hoc est, non solum Interdicti tempore, sed quolibet alio, vt habitum est tract. de excommun. loquendo verò de Interdictis, certum est etiam debere excludi, Interdicti tempore. Quod quidem est verum loquendo, tam de personaliter Interdictis, nominatim & particulariter, quàm de personis, qui Interdicto causam dederunt, vel auxilium, consilium, aut fauorem præbuerunt ad committendum delictum, cuius causa, Interdictum locale latum fuit. Sic ex cap. Alma. cit. & ex cap. Licet, de Priuileg. docent Suarez disp. 34. sect. 1. n. 20. Alterius disp. 5. c. 2. col. 6. pag. 377. Palao disp. 4. puncto 4. §. 2. n. 15. Auila & Laymann penes ipsum.

## QVÆSTIO XVIII.

*An tempore Interdicti, debeant etiam excludi à celebratione diuinorum Officiorum, omnes laici, qui non sunt excommunicati, nec Interdicti?*

Negant nonnulli. Quia Pontifex in cap. Alma, solum ait, esse excludendos excommunicatos, & Interdictos: ergo videtur consequenter admittere omnes alios, nam exceptio firmat regulam in contrarium, & idè hanc sententiam probat Federic. de Senis. conf. 70. licet contrariam sequatur.

Sed nihilominus, vt verum, respondeo: Omnes laicos, qui priuilegio carent, excludi debere à celebratione diuinorum Officiorum, quamuis non sint excommunicati, nec Interdicti, solòsque Clericos esse admittendos.

Primò. Quia sic colligitur, haud obscure ex capite Licet, de Priuileg. in 6. ex Clem. 2. & 3. de sent. excom. & ex cap. Alma mater. Secundò. Quia hic est communis sensus Ecclesiæ, vt ostendit vsus, & consuetudo vniuersalis, quæ est optima legum interpres. Tertio. Quia si tempore Interdicti, liceret laicis non excommunicatis, nec Interdictis, interesse Sacris, non indigerent priuilegio, vt interesse possent: at indigent, vt vsus probat: ergo signum est id eis non licere. Sic sentiunt omnes communiter, Nauarr. c. 27. n. 173. & 174. Couarr. in cap. Alma. 2. p. §. 4. n. 4. Glossa etiam in eod. c. §. Adycimus. verb. Interdictis. Gemin. Franc. & Anchar. ibidem. D. Anton. Calderin. Syluest. Tabiena, & Angel. quos citat, & sequitur Alterius de Interd. disp. 5. c. 2. col. 7. pag. 378. Suarez disp. 34. sect. 1. à n. 22. vbi id latè, & doctè probat, & respondet argumento pro parte negatiua posito. Auila parte 5. disp. 4. sect. 2. dub. 4. Luyfius lib. 6. disp. 49. dub. 1. vers. Est autem difficultas, an debeant excludi omnes Clerici, qui Interdicti, aut excommunicati non sunt. Vbi respondet cum communi esse excludendos, ex cuius resolutione constat loco illius vocis Clerici, ponendum esse, Laici. Sic etiam sentiunt alij cõmuniter, apud Palao loc. cit. n. 15.

An autem tempore Interdicti, debeant etiam excludi Infantes non habentes vsum rationis, aut amentes, &c. constat ex dictis sup. disp. 1. à quest. 33.

## QVÆSTIO XIX.

*An laicus non excommunicatus, nec interdictus, possit in necessitate ministrare Sacerdoti Sacrum facienti?*

Negant aliqui apud Alterium infra citandum, existimantes, non posse Sacerdotem, tempore Interdicti, vt in hoc ministerio operà laici, sed debere reperire Clericum aut laicum priuilegiatum, qui ei inseruiat, quod si talem non inueniat, debeat conficere sacrificium solus absque Ministro.

Sed oppositum omnino cum communi sententia respondeo dicendum, quod scilicet, in dicto casu, licite possit laicus ministrare Sacerdoti, dummodo non sit excommunicatus, nec interdictus, nec causa Interdicto dederit. Quia licet hoc non sit concessum laico non priuilegiato ratione sui, est tamen concessum ratione Sacerdotis: Nam cum huic concessum sit sacrificare, consequenter conceditur adiutorium illud, quod iuxta communem vsum Ecclesiæ, est moraliter necessarium. Sic Suarez disp. 34. sect. 1. n. 31. ex Nauarro cap. 27. num. 181. & ex Couarr. in capite Alma. parte 2. §. 4. n. 5. vers. Vndecimò erit. Sic etiam Anchar. & Calderin. apud ipsum. Alterius de Interd. disput. 5. cap. 2. col. 11. vers. Tertio notandum est. Præpositus in 3. p. q. 4. de Interd. dub. 3. n. 31. Mercerus, Villalob. & Ludouicus à Cruce, quos citat, & sequitur Diana parte 5. tract. 10. resol. 87. Auila p. 5. disp. 4. sect. 2. dubio 7. vers. ex dictis sequitur Palao disp. 4. puncto 4. §. 2. numero 16. & communis.

## QVÆSTIO XX.

*An persona, quæ priuilegium habet celebrandi, vel audiendi Missam, tempore Interdicti, possit secum in Ecclesiam suos familiares & domesticos adducere?*

Respondeo tanquam certum: Posse. Quia sic conceditur in capite Licet. de Priuileg. in 6. his verbis: Cum conceditur singulari persona, vt modo præmissis, (nempe ianuis clausis, submissa voce, &c.) celebrare valeat, vel audire Diuina, eius familiares domestici, ad audiendam cum ea, & celebrandum Officium diuinum licite admittantur. Secus autem est dicendum ex eodem cap. Licet. quando tale priuilegium non conceditur singulari personæ, sed Collegio, aut Communitati, seu Conuentui vt sic, nam tunc familiares Collegij, non gaudent dicto priuilegio, nisi aliàs ad illos expressè extendatur: vt addit Pontifex his verbis: Non sic autem de familiaribus alicuius Conuentus, seu Collegij, est censendum, illi enim nisi priuilegiati fuerint, admitti non debent. Sic omnes Doctores. Nauarr. cap. 27. n. 180. Gemin. Anchar. Franc. in d. cap. Licet. Couarr. in cap. Alma 2. p. §. 4. n. 5. Suarez disp. 34. sect. 1. n. 32. Qui id benè intelligunt de familiaribus, qui aliàs inhabiles non sint, id est, interdicti, &c: quia hi semper sunt à diuinis excludendi. Sic deinde Toletus lib. 1. cap. 53. Alterius disp. 5. cit. cap. 2. col. 13. pag. 381. Auila part. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 7. concl. 1. Hurradus de Interd. diff. 7. n. 22. vbi quid nomine familiarum in d. cap. Veniant. his verbis benè declarat: Per familiares autem, domesticos, intelliguntur non omnes familiæ, vt quidam immeritò volunt; sed tantum, qui dominum comitari solent, vt docent Nauarrus cap. 27. n. 180. Auila, & Ægidius, quod est verum, etiam si habitent extra domum: Imò loco eorum, qui ob absentiam,

vel ægritudinem non comitantur Dominum, possunt assumi alij. Sic Hurtadus. Videatur Alterius etiam *loc. cit.* & Auila, qui id ipsum latè & probè probant. Palao §. 2. *citato. n. 16.* Qui id verum putat etiam si famuli recepti sint tempore Interdicti, modo non sint in fraudem illius recepti.

## QVÆSTIO XXI.

*An Clerici, qui ex vi iuris communis, ( scilicet, cap. Alma, ) tempore Interdicti, diuinis Officijs assistere possunt; possint consequenter secum ducere suos familiares, iuxta priuilegium concessum, in cap. Licet, cit.*

**N**egant aliqui moderni, apud Auilam & Alterium eo quod priuilegium iuris communis concessum Clericis, vt diuinis Officijs interesse valeant, modo eis præscripto, in *eod. cap. Alma.* non dicitur concessum singulari personæ, cum non sit concessum vni soli, sed multis simul: ergo vigore huius priuilegij, non possunt Clerici tempore Interdicti, ducere secum in Ecclesiam suos familiares iuxta dispositionem *d. c. Licet.* cum ibi solùm concedatur illi, cui soli priuilegium assistendi Diuinis tempore Interdicti est concessum.

Sed probabilius longè respondeo: Posse consequenter. Quia probabilius longè est, quod priuilegium iuris communis concessum Clericis, sicut & priuilegium Bullæ Cruciatæ ( de quo aliàs ) comprehendatur sub priuilegio concesso singulari personæ: Nam vbi cuique habenti primam Tonfuram, vel suscipienti Bullam Cruciatæ, conceditur independentè ab alijs, quod diuinis Officijs assistere possint: ergo & consequenter iuxta *cap. Licet,* quod possint secum ducere suos familiares. Sic multi viri docti, quos, suppressis nominibus, refert, ac sequitur Auila *parte 5. disput. 4. sect. 2. dub. 7. concl. 3.* Alterius etiam *disput. 5. de Interd. cap. 2. col. 13. vers. Tertio dubitari potest.* & loquendo de priuilegio Bullæ, id apertè tenent Sotus in *4. dist. 22. q. 3. art. 1. post 4. concl. vers. Igitur.* & Henrriquez *lib. 13. cap. 48. circa finem.*

## QVÆSTIO XXII.

*An tempore Interdicti, vsus campanarum sit simpliciter, & vndequeque prohibitus?*

**R**espondeo tanquam certum: Non esse, sed solùm illum, qui tanquam signum publicum deseruit ad conuocandum populum ad Missam, & ad alia diuina Officia. Quia cum communis populus ad talia Officia admittendus, tempore Interdicti, non sit, minimè vocari debet illo signo publico, quo vocari solitus est. Sic omnes. Qui nomine campanarum comprehendendi volunt quodlibet signum publicum, quo populus ad Diuina vocari cõsueuit: nam ex accidenti prouenit, vt conuocetur sono campanæ, aut tubæ, aut voce Præconis. Legantur Nauarrus *cap. 27. n. 177.* Couarr. in *cap. Alma. parte 2. §. 4. n. 5. versu,* Decimo tertio. Suarez *disp. 34. sect. 1. à n. 15.* Alterius *de Interd. dissertatione 5. capite 2. columna 3. vers. Tertia conditio.* & alij penes ipsos.

## QVÆSTIO XXIII.

*An saltem sit licitum, Interdicti tempore, aliquo signo, quod non sit campana, conuocare Clericum ad Officia diuina celebranda?*

**N**egant aliqui apud Suarium, *loc. cit. n. 16.* eo quod quælibet signa tubæ, videlicet, vel matra-

chæ, &c. signo campanarum æquiparantur, *Clem. 2. de sent. excommunic. ergo.*

Sed, vt verum respondeo: Licitum esse. Quia sic tenet vsus plurium Ecclesiarum, in quibus viri grauissimi, doctissimi, ac valdè timorati congregantur. Et meritò quidem. Quia Canonici & Beneficiari debent diuinis Officijs interesse, si distributiones quotidianas lucrari velint, sicut tenebantur ante Interdictum, vt statuitur in *d. c. Alma:* ergo possunt, imò, & debent aliquo signo, tubæ videlicet, aut alio simili admoneri, quando sit hora inchoandi officium, vt tunc possint se ad Ecclesiam conferre. Nec refert quod populus intelligat ratione signi dati, tunc Diuina celebrari; quia dum id per speciale signum tubæ intelligat, & non per commune campanæ simul intelligit, ex vi talis signi populum non vocari, sed potiùs excludi, nisi priuilegium habeat. Ex quo fit satis fundamento contrariorum. Sic Suarez *disp. 34. sect. 1. n. 16.* Alterius *disp. 5. cap. 2. col. 4.* Henrriquez *lib. 13. cap. 46. n. 1.* Sayrus *lib. 5. cap. 9.* Filliuc. *tract. 18. cap. 3. num. 69.* Bonac. *de Interd. puncto 5. n. 8.* Auila *parte 5. disput. 4. sectione 2. dubio 8.* & Palao *disput. 4. puncto 4. §. 3. numero 14. in fine.*

## QVÆSTIO XXIV.

*An tempore Interdicti, licitum sit, pulsare campanas ad ea omnia, quæ Officia diuina non sunt; vt ad concionem, salutationem Angelicam, &c.?*

**R**espondeo tanquam certum: Licitum esse. Quia prohibitio cymbalorum & campanarum, quæ fit in *cap. Alma.* intelligenda est solùm, quoad horas Canonicas dicendas, quoad Missarum solemnias celebranda, non quoad alia. Ideoque, & tempore Interdicti pulsari possunt campanæ, *Ad concionem, ad salutationem Angelicam, & comitandam Eucharistiam, cum defertur ad infirmos, ad ostendendas Reliquias Sanctorum, ad indicandum horas diei, & pro aduentu Regis, vel Prælati.* Sic omnes. Legantur Nauarr. *cap. 27. numero 177.* Couarr. in *cap. Alma. p. 2. §. 4. n. 5. in fine.* Alterius, Henrriquez, Auila, & Filliuc. *locis cit.* Bonac. *loc. cit. n. 7.* Palao *cit.* Ægidius *disp. 17. dub. 2. num. 33.* Hurtadus etiam mox citandus, & alij.

## QVÆSTIO XXV.

*An etiam sit licitum tempore Interdicti, pulsare in Missa tintinnabulum in signum eleuationis Eucharistie?*

**A**ffirmat Hurtad. *de Interd. diff. 7. n. 21. his verbis:* Tertia moderatio est, quod fiat non pulsatis Campanis; subintelligitur autem à Doctores ad conuocandum populum ad Diuina. Vnde non prohibetur pulsatio Campanæ quoad Concionem, nec quoad Salutationem Angelicam, nec quoad designandas horas diei: nec videtur prohibita pulsatio campanulæ dum eleuatur Eucharistia ( etiam si Doctores communiter oppositum doceant ) quia non fit ad conuocandum populum, sed ad captandam attentionem iam existentium in templo, & assistentium sacrificio, vt adorent Eucharistiam. Ita Hurtadus.

Sed longè multò probabilius respondeo: Non esse licitum. Primò. Quia in dicto capite *Alma.* expressè dicitur, quod tempore Interdicti dicatur Missæ, *Campanis etiam non pulsatis,* quæ locutio; vniuersali negatiuæ æquiualeat. Secundo. Quia eleuatio Hostiæ, & ceremonia Ecclesiastica, pertinent ad sacrificium Missæ: at sic est, quod Interdicti tempore, non possunt pulsari Campanæ in signum celebrationis dicti Sacri

Sacrificij : ergo neque poterunt in signum eleuationis Hostiæ.

Nec obstat ratio Hurtadi. Nam ad illam respondet Suarez, *primò*, quod etiam illa paruula campana, regulariter loquendo, facile exterius auditur, & ita per eam etiam conuocentur alij. *Secundò*. Quod illa ratio non est ita adæquata, quin etiam prohibeantur campanæ propter aliquam solemnitate[m] tollendam. Quod à simili colligi potest ex cap. *Quod in te. de pœnit. & remiss.* ubi organa, & alia signa solemnitate[m], & lætitiæ prohibentur. Vnde non solum in dicto verbo, verum etiam, & multo magis in illo, *submissa voce*, sufficienter quod diximus, continetur. Quapropter hanc nostram sententiam tenent communiter omnes. Suarez *loc. cit. n. 19.* Nauarr. *cap. 27. n. 177.* Couar. *in cap. Alma. 2. p. §. 4. n. 5.* & penes illum Ioan. Andr. Domin. Francus, Calder, & Villadiego. Auila *parte 5. disp. 4. sect. 2. dub. 8.* Alterius *disp. 5. cap. 2. col. 6. vers. Quarto quaeritur.* Bonac. *de Interd. punct. 5. n. 7.* Henriquez *lib. 13. cap. 46. n. 1. lit. L.* Bassæus *Interdictum 2. n. 14.* Palao *disp. 4. punct. 4. §. 2. n. 14.* Ægidius *disp. 17. dub. 2. num. 33.* & alij.

### QVÆSTIO XXVI.

*An tempore Interdicti sit licitum, pulsare campanas ad notificandum & confirmandum Interdictum?*

**N**egat Auila *dub. 8. cit.* per hæc verba, Salmantica est consuetudo pulsandi campanas ad notificandum Interdictum horis, quibus finienda erat pulsatio ad Primam & Vesperas, quæ consuetudo licet ibi excuset, non tamen licet eam alibi de nouo introducere, nam est manifesta fraus contra Interdictum, vt dicunt Nauarr. *numero 177.* & R. Henriquez *cap. 46. num. 1.* Hæc Auila. Et quamuis bene,

Clarius tamen ego respondeo dicendum, quod nullo modo sit licitum pulsare campanas, ad notificandum & confirmandum Interdictum, tempore quo solent conuocari Clerici, aut Canonici ad Canonicas horas, vt probant Auila, Nauarr. & Henriquez. Bene tamen sit licitum, si pulsentur campanæ alio tempore, verbi gratia, hora meridiana, vel vespertina, post pulsationem ad Salutationem Angelicam: quia tunc minimè pulsantur ad Officium diuinum celebrandum. Et idè in praxi obseruatur.

### QVÆSTIO XXVII.

*An tempore Interdicti sit licitum Religiosis pulsare paruam Campanellam pro diuinis Officijs celebrandis?*

**A**ffirmatiuam sententiam, in casu quo sonus talis campanellæ non audiatur exterius, haud obscure tenet Calderin. *tract. de Interd. parte 1. num. 96. vers. Sed an licet.*

Sed, vt certum, absolute respondeo: Non licere eis, etiam casu, quo sonus dictæ campanæ non audiatur exterius. Quia etiam tunc fit contra id quod præcipitur in cap. *Quod in te. de pœnit. & remiss.* ibi: *sine campanarum pulsatione cessantibus solemnitatibus.* & in cap. *Alma* ubi permittit celebrationem Diuinorum, cum hac conditione, vt fiat sine pulsatione campanarum, sub cuius voce, etiam minores campanæ includuntur *c. de appellationib. de appell. & c. Maioribus. de præbend.* Legantur Syluest. *Interdictum. 5. §.* ubi citans Archidiaconum notat, quod non solum prohibeatur per iura citata sonus campanarum ipsius Ecclesiæ, sed etiam si procul sint, & distent ab Ecclesia. Alterius *6. 2. cit. col. 3.* Anchar. Calder. & B. Anton. penes ipsum.

### QVÆSTIO XXVIII.

*An in quatuor præcipuis festiuitatibus anni, nempe, Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis Mariae, permittitur sit, tempore Interdicti, Missas, & alia Diuina publice, & solemniter celebrari?*

**R**espondeo: Affirmatiuè. Quia sic conceditur in cap. *Alma mater. §. Adijcimus*, per hæc verba: *In festiuitatibus verò Natiuitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosa, campana pulsantur, & ianuis apertis, alta voce diuina Officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed Interdictis admissis, quibus ob reuerentiam dictarum solemnitate[m], & vt ipsi ad humilitatis gratiam & reconciliationem facilius inclinentur, præfatis diebus participationem permittimus Diuinorum; sic tamen, quod illi, propter quorum excessum, Interdictum huiusmodi est prolatum, Altari nullatenus appropinquent.* Sic textus. De cuius concessione aliqua dubitamus, sit ergo.

### QVÆSTIO XXIX.

*An hæc suspensio Interdicti, & permissio celebrandi solemniter Diuina, in prædictis quatuor festiuitatibus, duret per totam Octauam earum?*

**R**espondeo tanquam certum: Non durare per totam Octauam: sed solum per ipsos dies festos. Quia quando Pontifices id volunt, expressè illud declarant; vt faciunt concedentes suspensionem Interdicti in festo Corporis Christi, & Conceptionis Virginis Mariæ, vt *infra*. Sic omnes. Legantur Syluester *Interdictum. 6. q. 2. parte 2.* Nauarr. *cap. 27. num. 182.* Glossa in dicto capite *Alma vers. Assumptionis. in fine.* Auila *parte 5. disp. 4. sect. 2. dub. 9.* Alterius *disp. 5. de Interd. cap. 3. in principio.* & alij mox citandi.

### QVÆSTIO XXX.

*An saltem, suspensio Interdicti, duret per tres, aut quatuor dies Natalis Domini, & tres primos Paschæ, & Pentecostes?*

**N**egant adhuc quamplures Doctores, docentes solum durare per primum diem Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, non per reliquos. Ita Villal. *tomo 1 tract. 19. diff. 7. n. 4.* ubi sic ait: *Se adierte que estas fiestas no se han de entender mas que por el primero dia, que esse es verdaderamente el dia de la fiesta, que el dia de la Nauidad en aquel dia se acaba, y el dia siguiente es de S. Iuan. (de S. Estenau dijera 90.) y lo mismo es de las otras fiestas, como tiene la sententia comun, con la Glossa: solo à Soto veo de diferente parecer, sin fundamento bastante.* Ita ille. Suarez etiam *disp. 34. sect. 1. n. 38. & 39.* Alterius *disp. 5. cap. 2. cit. col. 3.* Filliuc. *tract. 18. cap. 4. n. 169.* Henriquez *libro 13. cap. 47. n. 2. in fine.* Syluest. & D. Anton. & alij penes ipsum. Reginald. *lib. 32. tract. 3. cap. 28. n. 536.* Moscosus *in sum. tract. 16. cap. 8.* Toletus *lib. 1. cap. 53. n. 4.* Sayrus *lib. 5. cap. 13. n. 4.* Citat etiam Palao pro hac parte Nauarrum *cap. 27. n. 182.* sed hunc alij pro contraria citant, & melius.

Sed probabilius respondeo: dictam suspensionem Interdicti, durare per omnes dies festos Natalis Domini, & Paschatum. Quia cap. *Alma.* expressè dicit: *In festiuitatibus verò Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, &c.* Sed sic est, quod iuxta communem usum loquendi, festiuitas Natalis Domini durat per tres (aut quatuor dies, iuxta consuetudinem aliquarum Pro-uinciarum)

uinciarum) & reliquarum Paschatum durat per tres : ergo. Sic Sotus in 4. dist. 22. questione 3. artic. 1. Auila parte 5. disputatione 4. sectione 2. dubio 9. (non 4. vt offendes apud Dianam) Faber de Censuris in 4. dist. 25. questione 1. disputatione 5. dubio 5. numero 43. & Hurt. tractatu de Interd. diff. 7. numero 24. quos omnes citat, & sequitur Diana parte 5. tractatu 10. resolutione 61. Quibus addi possunt Ægidius disputatione 17. dubio 2. numero 37. quatenus hanc sententiam ultimo collocat loco, Bonacina de Interd. puncto 5. n. 14. Bassæus Interdictum 2. num. 16. Bauny tractatu 9. de Interd. questione 18. columna 6. versus, Omnino idque. Miranda tomo 2. Directorij Prælator. Regular. questione 37. art. 10. concl. 4. vbi pro hac parte citat Nauarrum in Man. capite 27. numero 182. & Viualdum in suo candelab. vbi de Interd. numero 237. & sequent. & bene, saltem loquendo de tribus diebus Paschæ & Pentecostes, quia Viualdus de iis solum id affirmat. Palao etiam disputatione 4. puncto 4. §. 2. n. 19. & alij.

## QVÆSTIO XXXI.

An huiusmodi festiuitates incipiant à primis Vesperis vigilia, & finiantur in secundis Vesperis; itaut post illas, non liceat dicere Completorium cum solemnitate?

**A**ffirmant (apud Couarr.) Glossa in cap. Alma. verb. Assumptio, Anchar. Ioan. Andr. ibid. Calderinus filius eius, tractatu de Interd. 6. mem. §. viso de effectu. col. 8. & D. Anton. 3. p. tit. 26. cap. 4. Quibus satis fauet Alterius infra citandus. & tenet Armilla Interdictum. numero 43. Horum fundamentum est text in capite 2. de ferijs, vbi dicitur, in celebrandis festiuitatibus ab Ecclesia institutis, diem esse computandum à Vesperis in Vesperas.

Sed probabilius respondeo: Huiusmodi festiuitates (exceptis festiuitatibus Resurrectionis, & Pentecostes, quæ incipiunt à Missa vigiliæ, vt infra videbimus) incipere à primis Vesperis vigiliæ, & finiri in ultimo Completorio festi inclusiue. Sic Hurtado difficultate 7. numero 25. his verbis: Incipiunt autem singuli dicti dies festiui à primis Vesperis: quia inde incipiunt eorum solemnitates quoad celebrationem, exceptis festiuitatibus Resurrectionis, & Pentecostes, quæ incipiunt à Missa vigiliæ, quia in earum vigilijs, Missa per anticipationem fit de ipsis festiuitatibus. Finiuntur autem festiuitates singulorum dierum in Completorio inclusiue, & non in secundis Vesperis, vt contra non paucos docent Auila & P. Ægidius: quia Completorium etiam pertinet ad celebrationem illius diei. Hæc Hurtadus. Vnde iuxta hanc nostram sententiam asserendum est, licite posse, post secundas Vesperas harum solemnitatum, dici publice, & cum omni solemnitate Completorium illius diei, vt etiam consuetudo comprobatur. Sic communiter Doctores. Auila parte 5. disputat. 4. sectione 2. dubio 10. per totum. Sotus dist. 22. quest. 3. articulo 1. post 4. concl. Nauarrus capite 97. num. 184. Couarr. in capite Alma. 2. p. §. 5. numero 5. Faber in 4. dist. 25. questione 1. disputatione 5. dubio 5. num. 43. Ioan. de Cruce, Moscosus, Mercerus, Præposirus, quos citat, & sequitur, cum differentia nonnulla, Diana parte 5. tractatu 10. resolutione 61. Sic etiam Suarez disputatione 34. sectione 3. à numero 20. & vt probabilem opinionem, Alterius disputatione 5. capite 7. & alij penes ipsos, dicentes in hoc fere omnes Doctores conuenire. Transeamus ad aliud, quod inter hos Doctores maiorem habet difficultatem, sit ergo

\* \* \*

## QVÆSTIO XXXII.

An suspensio Interdicti, in festiuitatibus Natalis Domini, Resurrectionis, & Pentecostes, incipiat à Missa vigilia?

**A**ffirmat absolutè Paludan. in 4. distinct. 18. questione 8. articulo 2. principali, concl. 7. Cui videtur adherere Armilla, verb. Interdictum. numero 43. ibi: Et secundum communem opinionem incipit dies in Vesperis vigiliæ, vsque ad Vesperas festi inclusiue. Quamuis aliqui largiorem faciant interpretationem, includentes Missam vigiliæ Natiuitatis, Paschatis, & Pentecostes; & Completorium festi, quod placet Petro de Palud. quia in beneficijs larga interpretatio debet fieri. Ita Armilla. Hanc eandem sententiam, iuxta relatos hos duos auctores, tenet Viuald. in Candel. vbi de interd. numero mihi 242. dicens sibi videri satis rationabilem, iurique consonam, & etiam Henriquez libro 13. capite 47. numero 3. vbi ita ait: In vigilia Resurrectionis licet cantare Missam Sabbati, & dum dicitur, Gloria, licet pulsare campanas: quia eadem Missa dici consueuerat eadem nocte post Vesperas. Et licet cantare Missam in vigilia Pentecostes & Natiuitatis. Ita ille.

Negant contrà communiter auctores, qui defendunt per cap. Alma. vnum diem tantum concedi in singulis festiuitatibus supradictis, in quo Missa, & alia Diuina possint publice, & solemniter dici: ergo non potest extendi hoc privilegium ad Missam vigiliæ, quia tunc non vnicus, sed duo dies concederentur. Ita Alterius disputatione 5. capite 3. col. 3. Filliuc. tractatu 18. capite 4. quest. 8. numero 109. ex Suario disputatione 34. sectione 1. num. 40.

Sed media via probabilius respondeo: Primò. In festo Resurrectionis, suspensio interdicti verè incipit à Missa vigiliæ: Tum quia Officiū solemnitatis Paschæ & gaudia ab hac Missa incipiunt. Tum etiam, quia iuxta consuetudinem Ecclesiæ, aliæ solemnitates incipiunt ab hora Vesperarum, vt habitum est quest. 29. at sic est, quod in Sabbato sancto Vesperæ dicuntur in ipsa Missa: ergo festum Paschæ quoad hunc effectum, incipiet ab illa Missa. Sic docent Sotus distinct. 22. questione 3. articulo 1. post 4. concl. Polanc. in Directorio Confessoris, pagina 150. Palud. Armilla & Viualdus pro prima sententia citati. Auila parte 5. disputatione 4. sectione 2. dubio 10. conclusionem 2. Hurtad. vt vidimus, quest. 29. Diana parte 5. tractatu 10. resolutione 61. Moscosus in sum. tractatu 16. capite 8. Palao disputatione 4. puncto 4. §. 2. numero 20. & penes illum, Suarez, & auctores primæ sententiæ.

Respondeo Secundò. Probabiliter: Etiam in festo Pentecostes incipit suspensio Interdicti à Missa vigiliæ; quia in hac etiam incipit Officium, & gaudia huius festiuitatis, cum in illa dicatur Præfatio Spiritus sancti: Qui hodierna die Spiritum sanctum in filios adoptionis effudit. & etiam communicanda, Diem sacratissimum Pentecostes celebrantes. Sic Palud. Armilla, Viualdus, Auila, Hurtadus, Moscosus, & Palao locis citatis.

Respondeo Tertio. In festo Natiuitatis Domini non incipit suspensio Interdicti à Missa vigiliæ, sed solum à primis Vesperis. Patet, quia Officium huius festi non incipit à Missa vigiliæ, cum in illa non dicatur, nec Gloria, nec Præfatio festi, nec aliud quid, ex quo colligatur celebrari tunc festum Natiuitatis. Sic

Auila loco citato, dicens oppositum esse falsum. Moscosus etiam. Hurtadus, Sotus, Polancus, Diana, Palao, & communiter Doctores.

\* \* \*

## QVÆSTIO XXXIII.

*An præter quatuor illas festiuitates assignatas in cap. Alma. dentur alie, quæ suspendant Interdictum locale generale?*

**R**espondeo tanquam certum: Dari nonnullas alias festiuitates. Nam dantur festiuitas Corporis Christi, & tota eius octaua, per Martinum V. & Eugenium IV. concessa, vt referunt communiter Doctores. Datur deinde festiuitas Immaculatæ conceptionis Virginis Mariæ, ac tota eius octaua, concessa à Leone X. pro sola Hispania. Sic Henriquez *lib. 13. cap. 48. n. 2.* his verbis: Pontifex in cap. Alma, Interdictum generale, si positum prius esset, suspendit in quatuor anni festis, Natiuitatis Domini, Pascha Resurrectionis & Pentecostes, & in Assumptione Beatæ Virginis. Idem concessum est festo Corporis Christi, & per totam octauam: & in die purissimæ Conceptionis B. Mariæ, & in octaua illius. Sic ille. Et ante Nauarr. *c. 27. n. 182.* Suarez *disp. 34. sect. 1. à n. 41* Alterius *disp. 5. cap. 3. dub. 2.* & alij quamplures penes ipsos.

Datur etiam secundum aliquos authores festiuitas Omnium Sanctorum, vt ait Vivaldus *in suo Candel. n. 244.* per hæc verba. Suspenditur etiam (& merito) in die Omnium Sanctorum, & Defunctorum, secundum Palud. *sup. quem refert, & sequitur Armilla n. 43.* Episcopus autem Scalens. *de Interd. c. 7.* pro die Omnium Sanctorum tantum dicit opinionem esse aliquorum Doctorum: sed credo etiam pro dimidio die omnium Defunctorum. Hæc Vivaldus. Sed quia ad id probandum nullum affert, nec datur ius, standum est consuetudini Prouinciarum rectè introductæ.

Tandem eadem concessio cap. Alma, extenditur ab aliquibus authoribus ad diem, in qua contingit Regem aliquem ingredi de nouo Ciuitatem, quæ interdicta sit; quia tunc, inquiunt, licitum erit diuina Officia celebrari publicè & solemniter: quia deferendum est dignitati Regiæ, iuxta *c. Solita* (non sollicitæ, vt legi apud Couarr.) *de maiorit. & obed.* Ita tenet Couarr. *in cap. Alma. 2. p. §. 5. n. 4. vers. Quintò est obseruandum.* ex Ioan. Staphil. *lib. de liter. gratia & insuria folio 157. col. 1.* & Auila *parte 5. disput. 4. sect. 2. dub. 9. vers. Quartò ait Couarr.* Sed certè, vt rectè vidit Alterius, *c. 3. cit.* & ante illum Suarez *sect. 1. cit. in fine,* hæc solum est congrua ratio, vt qui Interdictum posuit, illud suspendat, non tamen vt possit ipso iure affirmati suspensum, cum nullo iure cautum sit. Legatur Henriquez *lib. 13. cap. 47. in fine.*

## QVÆSTIO XXXIV.

*An in prædictis quatuor festiuitatibus, in quibus per cap. Alma. suspenditur Interdictum: solum permittantur celebrari Missas, & Officia diuina propria illarum festiuitatum?*

**A**ffirmat Ioan. Monachus, vt refert Syluest. *ubi infra,* existimans, tantum permitti per *d. c. Alma.* celebrari Missarum solemnia propria illarum festiuitatum, non aliarum. Quia suspensio Interdicti, ideò conceditur in dictis diebus à Pontifice, vt maiori honore & cultu illæ festiuitates celebrentur: ergo, vt Officia, & Missæ illarum solemnitatum solemniter dicantur: ergo solum propria illorū dierum possunt dici.

Sed, vt certum, respondeo dicendum quod non solum liceat celebrare Missas, & Officia diuina propria illarum festiuitatum, sed quæcunque alia, & Missas votiuas, quæ aliàs singulis festiuitatibus prædictis fieri permittuntur, cum circumstantiis supra declaratis, his diebus fieri permittuntur absque illis. Quia

permissio est generalis, & absque restrictione: ergo generaliter est intelligenda, & sic redundat etiam in maiorem honorem & solemnitatem dictarum festiuitatum. Sic Syluest. *Interd. 5. q. 2.* Tabiena *n. 1.* Nauarr. *c. 27. n. 184. 185. & 186.* Henriq. *lib. 13. c. 47. n. 4.* Couarr. *in c. Alma. 2. p. §. 4. n. 3. & §. 5. num. 5. vers. Seprimò hic.* Suarez *disp. 34. sect. 3. n. 25.* Alterius *disp. 5. c. 3. dubio 3.* Auila *parte 5. disp. 4. sect. 2. dub. 11.* & alij penes ipsos. Idemque cum Alterio dicendum puto licere in festo Corporis Christi, & Conceptionis Beatæ Virginis cum suis octauis, & in aliis festis in quibus per specialia priuilegia concessum est Officia diuina solemniter celebrari tempore Interdicti. Ita etiam Nauarr. *c. 27. n. 186.* vbi fatetur olim tenuisse oppositum.

## QVÆSTIO XXXV.

*An tempore Interdicti localis generalis, licitum sit, recipere Sacramenta, in præfatis festiuitatibus, in quibus concessum est, Missas, & alia diuina Officia publicè, & solemniter celebrari?*

**R**espondeo: Licitum esse recipere aliqua Sacramenta, ea videlicet, quæ licitum est recipere extra illas festiuitates tempore Interdicti. Ratio est. Quia in *c. Alma,* non fit mutatio circa Sacramenta: ergo cum antea non sit licitum recipere Sacramenta, neque erit licitum in his solemnitatibus. Sic Couarr. *in c. Alma. 2. p. §. 5. n. 6.* vbi sic ait: Illud tamen est apud omnes in confesso, in his festiuitatibus omnia licere, quæ ad Officium pertineant diuinum, & eius celebrationem: ea verò quæ pertinent ad Sacramenta minimè permitti, nisi ea forma, qua permittuntur alioqui tempore Interdicti. Sic ille. Et Auila *parte 5. disp. 4. sect. 2. dub. 22. concl. 1.* Henriq. *lib. 13. c. 47.* (non 48. vt legi apud Bonac.) *n. 4.* Bonac. *puncto 5. de Interd. num. 16.* & alij mox citandi.

## QVÆSTIO XXXVI.

*An Sacerdotes non celebrantes, & alij Clerici, qui tempore Interdicti, Missæ, & alijs Officijs diuinis assistere possunt, possint Eucharistiam sumere, more laicorum communicando?*

**N**egant plures Doctores: eo quod per Interdictum, prohibetur generaliter vsus Sacramentorum, vt *infra* dicemus: at sic est, quod iure antiquo, solum permittitur Eucharistia morientibus: & iure nouo, in *c. Alma.* solis Sacerdotibus celebrantibus: ergo his non celebrantibus, & aliis omnibus Clericis sæcularibus, censetur prohibita. Ita apud Alterium *ubi infra,* tenent Anchar. Francus, & Abbas in *c. Alma. D. Anton. 3. p. tit. 26. c. 4.* Tabiena *Interd. 5. vers. Sextò.* Nauarr. *c. 27. n. 178. in fine.* Couarr. *in c. Alma. 2. p. §. 3. n. 1. & in §. 1. (corrige 5.) n. 6.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. concl. 4. vers. Haud tamen licet.* Henriq. *lib. 13. c. 45. n. 2.* & Glossa in *cap. Alma. verb. Admittantur.* His addit Diana, mox citandus, Petrum Cornejo *in 3. p. tr. 5. de Interd. §. 1. dub. 4.* Præpositum *3. p. q. 4. de Interd. dub. 3. n. 22.* Auilam *parte 5. disp. 4. sect. 2. dub. 12. concl. 3.* Bonacinam *disp. 5. punct. 3. §. 2. n. 8.* Alterium *tom. 2. disp. 4. cap. 4. dub. 8.* Hurtadum *de Interd. diff. 8. n. 8.* Villalobos *tomo 1. tractatu 19. diff. 3. numero 10.* & Luyfius *lib. 6. disputatione 48. dubio 1.* Bauny *de Censuris, tractatu 9. q. 14. pag. 410.*

Sed probabilius respondeo: Possè. *Primò.* Quia cui conceditur facultas assistendi Missæ, & à fortiori, eam celebrandi, conceditur de illa participare, seu communicare, nisi aliàs expresse prohibeatur, iuxta placitum Concilij Trid. *sess. 22. cap. 6.* *Secundò.* Quia id

id haud obscure habetur in cap. *Alma*. Vbi cauetur, quod, *dicantur diuina Officia, sicut prius* (adhibitis nonnullis conditionibus, de quibus supra): at sic est, quod prius, hoc est, ante Interdictum, ita hæc Officia diuina celebrabantur, vt omnes Clerici, seu Ministri, communicabant, si volebant: ergo eodem modo possunt nunc tempore Interdicti. Sic Geminian. in cap. *Alma*, §. *In festiuitatibus*, n. 7. Syluester *Interdictum* 5. §. 9. *vers. Quarta exceptio*. Angel. *Interdictum* 6. n. 22. Suarez *disputat.* 33. *sect.* 1. (non 15. vt legi apud Dianam) num. 35. Sa *verb. Interdictum*, num. 17. Et hanc sententiam, vt magis piam, & fauorabilem amplectuntur Sayrus *lib. 5. cap. 7. n. 21*. Alterius *disputat.* 4. *de Interd.* cap. 4. *dub.* 8. & clarius *disputat.* 5. *cap. 7. dub.* 3. *vers. Solum dubitari potest*, (quamuis oppositam communio appellat) vnde pro vtraque parte stat hic Author. *Ægid. disp.* 17. *dub.* 2. n. 36. Mercer. in 3. p. q. 24. *de Interdicto dubio* 2. Megala in 3. part. *lib. 2. cap. 2. questione* 1. num. 29. Fabrus in 4. *dist.* 25. *quest.* 1. *disp.* 5. *cap. 2. num.* 25. vbi contrarium falsum dicit. Filliucius *tractatu* 18. *cap. 2. quest.* 5. num. 42. Diana *part. 5. tractatu* 10. *resolut.* 82. Palao *disp.* 4. *punct.* 4. §. 1. n. 15. & alij. Qui à fortiori id concedunt omnibus Religiosis, & Sanctimonialibus, quod scilicet tempore Interdicti possint Eucharistiam ab aliis ministrantibus recipere. Quod & concedunt ex contrariis Couarruias, Nauarrus, Tabiena, & Henriquez, non ex vigore cap. *Alma*, sed ex speciali priuilegio quod à Sede Apostolica obtinuerunt.

## Q V Æ S T I O XXXVII.

*An tempore Interdicti, possint etiam laici Eucharistiam sumere, in illis diebus, in quibus ex vi cap. Alma, aut alterius priuilegij, assistere Missæ possunt?*

Negant, & certè consequenter, Sorus, D. Anton. Nauarrus, Henriquez, Couarruias, Præpositus, Luyfius, Hurtadus, Auila, Bonacina, & (vt sententia communior) Alterius *loco cit.* Quia in cap. *Alma*, solum est concessum laicis, vt in diebus trium Paschatum, &c. possint assistere Missæ, & aliis diuinis Officiis: at sic est, quod assistere Missæ, & aliis diuinis Officiis est actio separata, & diuersa à perceptione Eucharistiae, vt patet ex cap. *Si sententia, de sentent. excommun.* in 6. ergo etiam cui permittatur assistentia Missæ, &c. non inde benè colligitur, quod etiam permittatur receptio Eucharistiae, quoniam à separatis non procedit illatio, argument. *l. fin. de Calumn.*

Sed adhuc probabilius, aut saltem æquè probabiliter respondeo: posse laicos, in præfatis diebus, Eucharistiam sumere. Quia probabilius est, vt nuper est habitum, quod omnes Sacerdotes, ac Clerici assistentes Sacrificio Missæ, possint quacunque die, tempore Interdicti communicare: ergo etiam poterunt laici, in illis diebus in quibus est illis concessum Sacrificio Missæ assistere; patet, quia eadem est ratio; nam illa extensio ad Clericos innititur in connexionem, quam, iuxta intentionem Ecclesie, habet communio cum assistentia ad sacrificium: ergo cuiuscumque concessum fuerit priuilegium audiendi Missam tempore Interdicti, consequenter videtur concessum, posse communicare ex sacrificatis. Sic Feder. de Senis *consil.* 111. num. 7. Suarez *disputat.* 33. *sect.* 1. à num. 35. cuius sententiam, vt testatur Luyfius *dub.* 2. *cit.* approbarunt plusquam quadraginta viri doctissimi sæculares, & Religiosi, in Academijs Complutensi, & Salmanticensi de hac re interrogati. Tenent etiam Faber *dist.* 25. q. 1. *disp.* 5. c. 2. n. 25. *Ægid. disp.* 17. *dub.* 2. n. 36. Laymann *lib. 1. tract.* 7. *part.* 4. *cap.* 2. R. P. Leand. de Censuris.

num. 3. Mercerus in 3. part. *quest.* 24. *de Interd.* *dub.* 2. Diana *part.* 5. *tract.* 10. *resolut.* 83. & Palao *loco citato*. Et dicunt probabilem, & piam hanc partem, Alterius *loco citato*, & alij.

## Q V Æ S T I O XXXVIII.

*An ad implendum præceptum annuæ communionis, possit quis, aut debeat, tempore Interdicti, communicare?*

Negant quamplures Doctores ex citatis pro prima opinione *quest. antecedentium*. Quia, (inquiunt,) per Interdictum cessat obligatio alterius præcepti Ecclesiastici de comunicando in Paschate. Ita Anchar. Gemin. Franc. & D. Anton. quos citat, & sequitur Alter. *disp.* 3. *de Interd.* *cap.* 4. *in fine*, & *disput.* 5. *cap.* 7. *dub.* 3. Auila *part.* 5. *disputat.* 4. *sect.* 2. *dub.* 12. *conclus.* 1. Bonac. *punct.* 5. *cit.* num. 17. Syluester, Sorus, Couarruias, & alij, quos citauimus *tom. 2. de Sacram.* *tract.* 7. *disp.* 3. q. 13. & alij communiter inter quos citari solet Nauar. *cap.* 27. n. 178. Sed hic Author ibi loquitur secundum ius antiquum, non attento priuilegio iuris noui; nam secundum hoc oppositum innuit, vt constat ex n. 179. & sequenti, quapropter nos pro opposita sententia illum adduximus *loc. cit.*

Vnde probabilius respondeo: dicendum, quod licet, attento iure antiquo, non possit quis tempore Interdicti communicare ad implendum præceptum annuæ communionis, vt benè Nauar. cum comuni sentit, eo quod tunc solum concedebatur propter viatici necessitatem: attamen posito iure nouo dicto cap. *Alma*, oppositum est verum. Quia (ait Suarez) vna ex illis quatuor festiuitatibus est Pascha, pro qua specialiter obligat præceptum annuæ communionis: at sic est, quod ex vi huius noui iuris est ablata prohibitio Interdicti: ergo obligabit tunc præceptum communionis, cum iam impedimentum ablatum sit. Non solum ergo poterit quis tunc communicare, sed & tenebitur. Sic Suar. *Ægid. Faber, Laymann, Diana, & alij* pro nostra parte q. 35. adducti. Quibus addi possunt Portel. in *dub. regul. verb. Interdictum*, num. 16. Bauny de *Censuris, tractatu* 9. *de Interdict.* *cap.* 4. in *Epitome, pagina* 416. *columna* 2.

## Q V Æ S T I O XXXIX.

*An Benedictiones Nuptiales possint fieri, tempore Interdicti, in illis diebus, in quibus text. in cap. Alma, permittit Missam, & alia Officia diuina, publicè, & solemniter celebrari?*

Affirmat absolute Diana *part.* 5. *tract.* 10. *resol.* 84. *in fine*, his verbis: Nota tamen quod ex Suarez docet Turrianus *lib. 6. disputat.* 49. *dub.* 4. Benedictiones Nuptiales posse fieri in diebus, in quibus permittuntur diuina Officia, vt Paschatis, &c. quod est valde notandum, & notat etiam Mercerus in 3. part. *quest.* 24. *de Interd.* *dub.* 3. & Moscoso in *sum. tract.* 16. *cap.* 8. Hæc Diana. Sed malè, si quæ dicit in tota sua latitudine intelligantur.

Clarius ergo respondeo: dicendum, quod licetè possint fieri huiusmodi Benedictiones Nuptiales publicè, & solemniter in omnibus illis festiuitatibus, in quibus ex iure nouo cap. *Alma*, aut alio speciali priuilegio, licet, tempore Interdicti, celebrare solemniter Officia diuina: dummodo non sit tempus, in quo benedictiones istæ speciali decreto interdantur.

Prima pars probatur. Quia huiusmodi benedictiones verè comprehenduntur sub nomine Officij diuini: at sic est, quod in dictis diebus concessum est



Officia diuina solemniter, ac publicè celebrari, vt supra est habitum: ergo si aliàs non sit prohibitum, licitè possunt publicè celebrari dictis diebus.

*Secunda pars* constat. Quia Concilium Trident. *sess. 24. cap. 10. de reformat. Matrimon.* expressè prohibet benedictiones Nuptiarum, ab Aduentu Domini, vsque ad Epiphaniam: & à feria quarta Cinerum, vsque ad Octauam Paschæ inclusiue: ergo iuxta hoc decretum, neque in festo Conceptionis B. Mariæ Virginis, neque in festo Natalis Domini, filij eius, neque in festo Resurrectionis, poterunt fieri huiusmodi Nuptiarum benedictiones; benè tamen in aliis festis; nempe, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. Virginis, & omnium Sanctorum, &c. Sic Suarez *disp. 34. sect. 3. n. 26. vers. Quintò verò.* Auila *p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 6. in fine, & sect. 2. dub. 11. conclus. 1.* Couarruias *in cap. Alma, 2. part. §. 5. num. 6.* Turrianus *loco citato, & alij.*

#### QVÆSTIO XL.

*An omnes Clerici, saltè non coniugati, possint interesse diuinis Officijs, tempore Interdicti localis generalis?*

**R**espondeo tanquam certum: posse omnes Clericos non interdictos, aut excommunicatos, aut aliàs non dederint causam culpabilè Interdicto. Quia sic voluit Bonifac. VIII. *in cap. Alma, vt supra vidimus.* Nomine autem Clericorum veniunt, omnes minoribus tantum Ordinibus initiati, imò & prima tantum Tonsura; Moniales omnes, & Religiosi, etiam laici quamuis non tonsurati, Nouitij, Eremitæ, & quæcumque personæ Ecclesiasticæ deputatæ ad seruiendum diuinis Officijs, vt Sactistæ, tunc incolæ, tunc alienigenæ; quia cum de priuilegijs agitur, hos omnes nomen Clerici complectitur. Sic Syluester *Clericus, 1. num. 1. & vers. Interdictum §. 9. 1. Angel. Interdictum 6. n. 4. Nauar. cap. 25. num. 95. & cap. 27. n. 175.* Henriquez *lib. 13. cap. 44. n. 6.* Auila *p. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 4. concl. 3.* Bonacina *de Interd. punct. 5. num. 18.* Hurtad. *de Interd. difficult. 7. num. 19.* Bauny *de Censuris, tract. 9. quest. 13.* & alij communiter.

#### QVÆSTIO XLI.

*An etiam Clerici coniugati possint interesse diuinis Officijs, dicti Interdicti tempore?*

**N**egant plures Authores. Quia, inquiunt, isti Clerici non gaudent nisi priuilegio Canonis, & fori, vt patet ex cap. *unico, de Cleric. coniug. in 6.* ergo tempore Interdicti nequibunt diuinis Officijs interesse. Ita Hurtad. *de Interd. diffic. 7. num. 20.* Ioann. de Cruce *in director. consc. part. 2. de Interd. notab. 1.* Gordonus *tom. 2. lib. 7. q. 16. c. 4. n. 36.* & Trullench *in Bulla Cruc. lib. 1. §. 3. dub. 2. n. 4.* Quos omnes pro hac parte refert Diana mox citandus. His addi possunt Nauarrus, & Couar. quos citat, & sequitur Viualdus *de Interd. num. mihi 214.* Vbi ita ait: Nota quod licet Clerici coniugati, in minoribus, scilicet, constituti, dicantur Clerici; etsi fuerint coniugati cum vnica, & virgine, & fuerint adscripti de mandato sui Episcopi alicui Ecclesiæ, vt statuit Concil. Trident. *sess. 23. cap. 6. & 17. in fine,* gaudeant duplici priuilegio, Canonis, scilicet, & fori, secundum omnes maximè Sotum *in 4. d. 13. quest. 3. art. 1.* Nauarrus, & Couar. *supra, §. 4. num. 5.* illatione 10. non tamen poterunt diuinis Officijs interesse, & Ecclesiasticam habere sepulturam, nisi vbi talis consuetudo esset, vt in Aragonia ait Nauarrus *d. num. 174.* Ita Viualdus, Toletus etiam *lib. 1. cap. 53. vers. Tamen nota primò.*

Sed probabilius respondeo: posse interesse diuinis Officijs, casu tamen solum, quo dicti Clerici coniugati cum vna, eaque virgine, deputati sint, & adscripti alicui Ecclesiæ ministerijs; aliàs non, vt benè in hoc Authores primæ sententiæ. Ratio est, quia ideo Clerici coniugati perdunt priuilegium assistendi diuinis Officijs; quia iam non sunt Ministri altaris, nec Ecclesiæ: ergo quando ex mandato Episcopi deputati sunt Ministri Ecclesiæ gaudebunt hoc priuilegio. Confirmatur ex Concil. Trid. *sess. 23. cap. 7. de reformat.* ita dicente: *Quod si ministerijs quatuor Minorum Ordinum exercendis Clerici cælibes præstò non erunt, sufficere possint coniugati, dummodo non bigami.* Et iuxta hanc dispositionem intelligendum est cap. *unicum, de Cleric. coniug.* quod afferunt contrarij. Sic Auila *part. 5. disputat. 4. sect. 2. dub. 4. conclus. 4.* Rodriguez *in Bulla, §. 5. n. 4. & Sotus art. 1. cit. post 4. concl. vers. Igitur extra.* Egidius *disputat. 17. dub. 2. n. 30.* Suarez *disp. 34. sect. 4. num. 1. & 2.* Vgolinus *tab. 5. cap. 8. §. 5. n. 5.* Sayr. *cap. 5. num. 34.* Bonacina *de Interdicto punct. 5. num. 18.* Mercerus *3. part. quest. 24. de Interd. dub. 3. & 4.* Laymann *lib. 1. tract. 5. part. 4. cap. 2. n. 2.* Alterius *disp. 5. cap. 1. dub. 2. in fine.* Villalobos *tract. 19. diff. 5. num. 7.* Diana *part. 5. tract. 10. resolut. 85.*

#### QVÆSTIO XLII.

*An teneantur audire Missam, diebus festis, tempore Interdicti, qui priuilegium audiendi officia diuina, dicto tempore habent?*

**N**egant Auila *part. 5. disputat. 4. sect. 2. dub. 6.* & penes illum, Victoria, & Cano, Llamas *in sua sum. part. 3. cap. 5. §. 11.* Egidius *disputat. 17. n. 28.* Diana *1. part. tract. 11. resolut. 2. part. 4. tract. 4. resolut. 80.* vbi pro se citat alios Authores, malè tamen, vt aliàs monstrauius.

Sed probabilius longè respondeo: teneri. Quia possunt. Sic communiter Doctores, Suarez *tomo 3. in 3. part. disputat. 88. sect. 6.* Nauarrus *cap. 21. num. 3.* Sotus *distinct. 13. quest. 2. artic. 1. & distinct. 22. quest. 3. artic. 1.* Henriquez *lib. 9. cap. 25. n. 11. & lib. 13. cap. 48. num. 5.* Ledelma, Rodriguez, Azor, Reginaldus, Nugnus, Bonacina, Sa, Hurtadus, Tannerus, Sanctius, Lugo, Barbosa, Acofta, Cenedo, Moure, Scortia, Villalobos, Philibertus, Fagundez, & alij plures quos citauimus *part. 3. tractatu 2. de auditione Missæ, disputat. 2. quest. 7.* Et quidem loquendo de Clericis, & Religiosis, qui secundum ius commune habent licentiam audiendi, tempore Interdicti, Officia diuina; nostra conclusio est certa, etiam apud Authores primæ sententiæ, vt fateretur Auila *loco citato, conclus. 1.*

#### QVÆSTIO XLIII.

*Quenam alia diuina officia, præter Missam, sint prohibita publicè fieri à Clericis, tempore Interdicti localis generalis?*

**R**espondeo dicendum, quod præter Missam etiam Siccam, quæ fit sine consecratione, prohibeantur primò dici publicè Horæ Canonice, sub quarum nomine, comprehenduntur etiam Officium B. Virginis, & Defunctorum, Psalmi graduales, & Pœnitentiales cum Litanis, quæ aliquando cum Horis Canonicis coniunguntur. Sic Suarez *disput. 34. sect. 3. num. 4.* Bonac. *punct. 5. n. 2.* Auila *p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 1.* Palao *disput. 4. punct. 4. §. 2. num. 1. & alij.*

Secundò prohibentur omnia sacramentalia, hoc est, omnes carcerationis sacra, quæ spectant ad solemnem ritum

ritum Sacramentorum immediatè, vel præparatoriè, vel consecutiue; vt est, solemnis benedictio Nuptiarum: Benedictio Templi, Vasorum sacrorum, Corporalium, & aliarum vestium sacrarum, Candelarum in die Purificationis, vel Ramorum in Dominica Palmarum, Benedictio aquæ, & eam publicè cum *Asperges* fundere. Benedictio fontis Baptismalis, quæ fit in Sabbato Sancto. Benedictio solemnis Episcopi, quæ fit cum baculo, & *vers. Adiutorium nostrum*, &c. Professio solemnis in Religione. Litanæ dictæ cum solemnitate, nempe, cum Cruce eleuata, & superpelliceis. Collatio primæ Tonfuræ, &c. Sic Nauarrus c. 27. n. 177. Auila p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 1. concl. 1. Bonac. de Interd. punct. 5. n. 3. Suar. disp. 3. 4. sect. 3. à num. 2. vsque ad 10. Palao loc. cit. Filliuc. tract. 18. cap. 3. q. 8. Viuald. de Interd. num. 125. & alij communiter.

Q V Æ S T I O XLIV.

*Quenam officia sunt, quæ non prohibentur fieri, adhuc publicè, tempore Interdicti localis generalis?*

**R**espondeo quod ea omnia, quæ ex suo modo, non sunt deputata Ordini Clericali. Huiusmodi sunt Confessio generalis, & absolutio, hoc est, *Confiteor Deo. Misereatur vestri*, &c. Salutatio Angelica, quæ fieri solet manè, meridiè, & vespere. Benedictio Mensæ, & fructuum, & vestium ingredientis Religionem; necnon & Benedictio simplex, quam solet Episcopus impendere dum iter agit. Sumptio aquæ benedictæ in ingressu Ecclesiæ. Concio, & declaratio Euangeliorum, & Psalmorum. Adoratio Crucis in die Veneris Sancti, modò fiat sine publicis precibus ab Ecclesia pro illo actu institutis. Purificatio mulierum post partum, si fiat sine solemnitate, hoc est, si Sacerdos illam in Ecclesiam introducat ad reddendas gratias Deo, sine stola, & ornatu Sacerdotali. Absolutio excommunicationis, si detur etiam absque stola, & solemnitate Sacerdotali. Et denique sunt licita tempore Interdicti, omnia officia solita recitari à confraternitatibus laicorum; & ideo recitari, imò & cantari possunt Litanæ & alij Psalmi, sine gestatione Crucis eleuata, sine stola, & superpelliceo, & sine *Dominus vobiscum*. In his omnibus conueniunt ferè omnes. Legantur Nauarrus cap. 27. n. 176. Henriquez lib. 13. cap. 44. n. 1. & 2. Suarez disput. 4. sect. 4. Auila loco citato conclus. 2. Filliucius loco citato, num. 79. Viualdus num. mihi 224. Bonacina puncto 5. num. 4. Palao loco citato, numero 1.

Q V Æ S T I O XLV.


*An recommendatio animæ moribundi, possit licitè fieri coram alijs, tempore Interdicti?*

**N**egatiuam sententiam tenuisse Syluestrum, ait Bonacina loco citato, eo quod tenuit dictam recommendationem esse officium diuinum. Sed malè citatur pro hac parte Syluester, vt infra patebit.

Sed vt certum respondeo: licitè posse dici, & fieri. *Primò*, quia talis recommendatio, non est propriè Officium diuinum, vt aiunt Nauarrus, Sayrus, & Filliucius, sed solum oratio quædam conferens animæ moribundi.

*Secundò*, quia dato quod esset pars diuini Officij, vt sentiunt Syluester, Angelus, Tabiena, & Auila loco citato, adhuc dicendum est, posse dici tempore Interdicti, quia est quid annexum absolutioni factæ in Sacramento Pœnitentiæ, quod est licitum fieri, tempore Interdicti; ergo. Sic sentiunt Syluester, (vt notat Auila) *Interdictum 5. questione 4. parte 6.*  
R. P. Leand. de Censuris.

Angel. *Interdictum 6. num. 26.* & Henriquez lib. 13. cap. 44. n. 2. in princ. Bonac. & Filliuc. loc. cit. & alij.



DISPUTATIO V.

*De secundo effectu Interdicti, qui est, Priuatio actiua, & passiuua quorundam Sacramentorum.*

Q V Æ S T I O PRIMA.

*An tempore cuiuscunque Interdicti, possit licitè administrari Sacramentum Baptismi?*

**R**espondeo tanquam certum: posse administrari omnibus, tam paruulis quàm adultis, tam infirmis, quàm sanis, catechismi, Exorcismi, & Vnctionis oleo, & Chrismate, ianuis apertis & præsentè populo. Quia hoc Sacramentum est simpliciter necessarium ad salutem. Sic habetur in cap. *Responso, de sent. excom.* cap. *Non est vobis, de sponsal.* & cap. *Quoniam de sentent. excom.* in 6. & docent omnes Authores. Legantur Nauarrus cap. 27. n. 178. Couar. in cap. *Alma*, 2. p. §. 2. n. 7. Suarez disp. 33. sect. 1. Henriquez lib. 13. cap. 45. num. 1. Auila p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 4. Alterius de Interd. disp. 4. cap. 1. Bonacina de Interd. puncto 3. §. 1. Palao disputatione 4. §. 1. num. 2. & alij.

Q V Æ S T I O II.

*An Baptismi Sacramentum administrari possit in Ecclesia specialiter interdicta, si alia sit Ecclesia non interdicta, ubi absque incommodo celebrari potest?*

**N**egant aliqui Doctores, existimantes teneri Parochum in hoc casu, adire Ecclesiam vicinam non interdictam, si quæ detur, & ibi Sacramentum Baptismi administrare. Ita apud Alterium, Couarruias in cap. *Alma*, §. 2. num. 7. *vers. Hac verò Sacramenta.* Calderinus de Interdicto, membr. 2. fol. 3. Syluester *Interdictum 5. quest. 7.* & D. Anton. 3. p. tit. 26. cap. 3. Sed certè hi Authores, solum dicunt, in dicto casu, honestum esse alibi Baptisimum, & alia Sacramenta celebrari, si commodè fieri possit. Ex quorum dicto non colligitur, sensisse oppositum esse illicitum; sed minus honestum.

Longè ergo probabiliùs respondeo: posse administrari licitè in Ecclesia specialiter interdicta; nec teneri Parochum aliam non interdictam adire & ibi Baptisimum ministrare. Quia Parochia illius, quoad huc effectum, non est interdicta: eo quod ius commune loc. cit. absque vlla restrictione, aut limitatione concedit facultatem conferendi Baptisimum tempore Interdicti. Sic Suar. disp. 33. sect. 1. n. 3. Henric. lib. 13. c. 45. n. 3. Sayr. cap. 7. n. 4. Alter disp. 4. cap. 1. dub. 3. Filliucius tract. 18. cap. 2. quest. 1. num. 32. Ægidius disputat. 17. dub. 2. num. 40. Bonacina loc. cit. num. 3. & alij.

Q V Æ S T I O III.

*An persona interdicta generaliter, & absque propria culpa, (vt si clerus generaliter interdiceretur) posset licitè ministrare Baptisimum?*

**N**egant, posse licitè administrare hoc Sacramentum extrà casum necessitatis, quidam Doctores, quos

quos tacitis nominibus referunt Suarez, & Alterius *infra*. Et expresse id negat Luyfius *lib. 6. de Censuris, disputat. 48. dub. 1.*

Sed probabilius multò respondeo: posse ministrare Baptismum solemniter, etiam extra casum necessitatis. Probatur argum. à simili. Quia Interdictum personale generale, non habet plures effectus circa personam, quàm habet locale circa locum; sed Interdictum locale non prohibet dari Baptismum in loco interdicto: ergo neque personale prohibet personam interdictam generaliter ministrare Baptismum. Sic Suarez *disp. 33. sect. 1. à num. 4. & ex illo, non citato, Alterius disp. 4. cap. 1. dubio 4. Bonacina disp. 5 punct. 3. §. 1. num. 5. & Faber, mox citandus, Bauny de Censur. tract. 9. quæst. 13. dicto 3. Benzoni, & Portellius, apud ipsum. Cornejo, mox citand. & comum.*

#### QVÆSTIO IV.

*An etiam persona specialiter interdicta directè, vel virtute, quia causam dedit Interdicto generali; possit licitè ministrare, adhuc extra necessitatem, Sacramentum Baptismi?*

**A**ffirmat Faber *in 4. dist. 15. quæst. 1. disput. 5. cap. 2. n. 17.* eo quod iura non distinguant de Interdicto personali: ergo. *Confirmatur*, argum. à simili. Quia licitum est, etiam extra casum necessitatis, ministrare Baptismum in Ecclesia specialiter interdicta, vt nuper *quæst. 2.* est habitum: ergo etiam erit licitum personæ specialiter interdictæ Baptismum ministrare, adhuc extra casum necessitatis, saltem ex vi Interdicti.

Sed probabilius longè respondeo: non posse talem personam, adhuc ex vi Interdicti, ministrare, extra necessitatem, Sacramentum Baptismi: Bene tamen in necessitate priuatim, & sine solemnitatibus. Ratio est, tum quia iura obstant, vt probat Suarez *ex cap. Alma*, tum etiam, quia persona specialiter interdicta contraxit Interdictum ob culpam propriam, ratione cuius incurrit impedimentum, ne possit hoc Sacramentum licitè ministrare; nisi aliàs in necessitate, modo dicto. Neque in hoc, (ait Suarez) comparari debet persona specialiter interdicta, cum loco specialiter interdicto: quia locus semper interdicatur ratione culpæ alterius; persona autem ob propriam, quando, vel interdicatur per Interdictum particulare, vel per generale, aut locale, cui causam dedit. Ex quibus iam patet ad fundamenta contrariæ sententiæ. Sic Suarez *sect. 1. cit. num. 6. 8. & 9.* Alterius, & Bonacina, Bauny, cum Benzoni, & Portello *locis citatis.* Cornejo *in 3. part. tractatu 5. de Interdicto, disputat. 2. §. 1. dub. 1. quæst. 2.* Sayrus *lib. 5. cap. 5. num. 6.* Filliucius *tractatu 18. cap. 2. num. 33. & Palao disput. 4. punct. 4. §. 1. num. 5. & alij.*

#### QVÆSTIO V.

*An tempore cuiuscunque Interdicti, possit administrari Sacramentum Confirmationis; etiam in Ecclesia specialiter interdicta?*

**R**espondeo posse administrari, tam paruulis, quam adultis, cum solemnitate consueta, etiam in Ecclesia specialiter interdicta. Quia iura eodem modo loquuntur de Confirmatione, ac Baptismo *cap. Responso, de sentent. excommunic. & cap. Quoniam, eod. tit. in 6. & merito, cum Confirmatio ad quoddam complementum Baptismi pertineat: ergo omnia quæ circa Baptismi Sacramentum diximus, quæstionibus præcedentibus, dicere debemus de hoc Confirmationis Sacramento. Sic Nauarrus cap. 27.*

*num. 178. Couar. in cap. Alma, 2. p. §. 2. num. 7. Suarez disput. 33. sect. 1. à n. 7. Auila part. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 4. concl. 3. Henriquez lib. 3. cap. 45. num. 1. Calderinus Syluester, Paludan. Angel. Tabiena, & alij quos refert, ac sequitur Alterius de Interd. disputat. 4. cap. 2. Cornejo loc. cit. dub. 2. Filliucius tractatu 18. cap. 2. quæst. 2. Palao loco citato, num. 6. Bonacina disputat. 5. puncto 3. §. 1. num. 4. & omnes.*

#### QVÆSTIO VI.

*An persona interdicta possit ministrare Sacramentum Confirmationis?*

**A**ffirmat posse ministrare saltem ex vi iuris, etiam casu, quo talis persona esset specialiter interdicta, Faber *in 4. loco quæst. 4. cit.* cuius sententiam refert Diana *part. 5. tract. 10. resolut. 63.* nec audet illam approbare, nec reprobare.

Negant verò è contra absolute, alij Doctores citati *quæst. 5.* excepto Luyfio, qui loquendo de ministrante hoc Sacramentum, non negat expresse, quod de ministrante Baptismum clarè negauit. Sed iuxta nuper dicta.

Probabilius longè respondeo: dicendum, quod possit ministrare, si persona est interdicta Interdicto generali personali, vt dictum est de Baptismo; nam de utroque militat idem ius, eademque ratio. Secus verò, si est specialiter interdicta, aut dedit causam Interdicto, vt de ministrante Baptismo dictum est, *q. 4.* Sic Suar. *disp. 33. sect. 1. n. 14.* Qui id probat ex *cap. Si sententia, cap. Clerici, & cap. Latores, de Cler. excommunic. ministr.* Filliuc. *num. 35. cit.* Alterius *disp. 4. cap. 2.* Bonacina *puncto 3. §. 1. num. 6.* Cornejo *§. 1. citat. dubio 1. in fine, & dubio 2. in princip.* Palao *disp. 4. puncto 4. §. 1. num. 7. & alij.*

#### QVÆSTIO VII.

*An Adultus personaliter interdictus, possit licitè hoc Sacramentum Confirmationis recipere?*

**R**espondeo dicendum; posse, si interdictus sit solo Interdicto generali inculpabiliter cõtracto; secus, si sua culpa sit generaliter interdictus, aut specialiter: quia tunc non potest, vt constat ex *cap. Episcoporum, de Priuilegijs in 6.* Sic Suarez, Filliuc. Alterius, Bonacina, & Cornejo, & Palao *loc. cit.* An autem possit validè saltem; dicendum est posse. Quia sic, ex dictis suprâ *tract. de excommunic. disp. 4. quæst. 6. & ex dicendis infra quæst. 17.* apertè constat.

#### QVÆSTIO VIII.

*An Interdictum priuet Sacramento Penitentia?*

**R**espondeo tanquam certum: non priuare. Ideòque tempore Interdicti, cuiusque, nunc dari potest hoc Sacramentum, non solum morientibus, quibus dumtaxat iure antiquo concedebatur *cap. Quod in re de penit. & remiss. cap. Non est vobis, de sponsal. & alibi;* sed etiam sanis, quoties libuerit. Quia sic est concessum, iure nouo, in *cap. Alma mater, de sent. excomm. in 6.* his verbis: *Concedimus, quod tempore Interdicti ab homine, vel à iure prolati, non tantum morientes, sed etiam viuentes, tam sani, quam infirmi, ad penitentiam, quæ propter pronitatem, & facilitatem hominum ad peccandum, summe necessaria est, licitè admittantur.* Sic Bonifac. VIII. Et sic omnes. Legantur Nauarrus *cap. 27. num. 178.* Conaruius *in cap. Alma, p. 2. §. 3. num. 1.* Suarez *disp. 33. sect. 1. à n. 13.* Filliucius

Filliuc. tract. 18. cap. 2. q. 3. Hentiq. lib. 13. cap. 45. num. 1.  
 Auila p. 5. disput. 4. sect. 1. dub. 3. Alterius disput. 4. cap. 3.  
 Bonac. punct. 3. de Interd. §. 3. Palao disputat. 4. punct. 4.  
 §. 1. num. 8. & alij.

## QVÆSTIO IX.

*An excommunicati omnes, possint, etiam extra articulum mortis, admitti ad Pœnitentiæ Sacramentum, tempore Interdicti?*

**N**egant posse admitti excommunicatum aliquem, tempore Interdicti, ad Pœnitentiæ Sacramentum, plures Authores, eo quod ipsemet Bonifac. VIII. in d. cap. *Alma*, omnes excommunicatos, à priuilegio à se dato, iis verbis, excludit: *Dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti, præterquam in mortis articulo, nolimus ad eandem.* Quibus verbis absolute, & absque vlla distinctione prohibet Pontifex, ne tempore Interdicti impendatur absolutio ab excommunicatione, & consequenter, ne possit tradi absolutio sacramentalis à peccatis. Ita Vgolin. tab. 5. quest. 7. §. 6. num. 1. Sayrus lib. 5. cap. 7. num. 9. Henriquez, Nauarrus, Couarruias, Auila, & Filliucius loc. cit. & est communis.

Sed certè æquè probabiliter respondeo: posse tempore Interdicti, admitti ad Sacramentum Pœnitentiæ omnes excommunicatos, præter illos, qui excommunicati sunt ob delictum, cuius gratia interdictum fuit latum, (quia hi ob maiorem culpam, digni sunt maiori pœna) vel aliàs excommunicatione reseruata innodati sunt. Quia non est verisimile (inquit Alterius) Sum. Pontificem voluisse prohibere simpliciter, ne vllus excommunicatus admitteretur, tempore Interdicti, ad Sacramentum Pœnitentiæ, si non dedit causam Interdicto, & est innocens ratione Interdicti, tunc enim absque culpa priuaretur beneficio huius Sacramenti, nisi excommunicatio sit reseruata, &c. Sic Alterius disp. 4. cap. 3. col. 3. Suar. disp. 33. sect. 1. n. 16. Egidius disp. 17. dub. 1. num. 40. Benzoni de iustitia Pontificij Interdicti, c. 7. Laymann de Interd. cap. 7. Bauny tract. 8. quest. 14. de Interd. Hurtad. de Interd. difficult. 7. num. 27. Palao loc. cit. num. 8. Cornejo in 3. part. tract. 5. de Interd. §. 1. dub. 3. Qui ad fundamentum contrariorum, respondet, limitationem illam Pontificis, intelligendam esse, vel de excommunicatis dumtaxat ob delictum, propter quod Interdictum latum est; vel de excommunicatis excommunicatione reseruata Superiori; quod colligi potest, ex eo quod addit; hos admittendos non esse, præterquam in articulo mortis: vel denique de absolute solempni, & in foro exteriori, eo quod hæc fiat cum cæremoniis quibusdam, quæ inter diuina Officia computantur cap. *A nobis 2. de sentent. excom.* Sic ille, & antea Suarez, & Alterius, Syluest. Angel. & Armilla apud ipsum.

## QVÆSTIO X.

*An tempore Interdicti localis generalis, possit Pœnitentiæ Sacramentum ministrari in loco Interdicto?*

**R**espondeo tanquam certum: posse. Quia cum tunc tota Ciuitas sit interdicta, esset opus extra Ciuitatem proficisci ad locum distantem pro conferendo hoc Sacramento, quod est valde inconueniens. Sic omnes. Suarez disputat. 33. sect. 1. num. 18. qui id probat ex cap. *Alma*. Alterius disput. 4. cap. 3. dub. 1. vers. *Sed dubitari*. Luyfius lib. 6. de Censuris, disputat. 48. dub. 1. in fine, & alij.

R. P. Leand. de Censuris.

## QVÆSTIO XI.

*An etiam in Ecclesia specialiter interdicta, possit Sacramentum Pœnitentiæ ministrari?*

**N**egabunt, & probabiliter, Authores citati in simili loquendo de Baptismo quest. 2. Quia tunc commodè potest extra Ecclesiam interdictam in alio loco non interdicto, huiusmodi Sacramentum dari.

Sed probabilius respondeo: posse. Quia non est textus, qui oppositum dicat. Nec sufficit antiqua prohibitio generalis; quia in cap. *Alma*, videtur limitata etiam circa Interdictum particulare loci; quæ limitatio nulla fuisset, nisi liceret etiam in tali loco sic interdicto Pœnitentiæ Sacramentum ministrare; quia extra illum, antea etiam licebat. Sic Suarez, Luyfius, & Alterius loc. cit.

## QVÆSTIO XII.

*An Confessor possit, tempore Interdicti localis, validè, ac licitè, Sacramentum Pœnitentiæ administrare?*

**R**espondeo tanquam certum; posse, dummodo tali Interdicto, siue generali, siue speciali, causam non dederit. Quia certum est, quod per Interdictum locale, siue sit generale, siue speciale, non arcentur à diuinis personæ, quæ non dederunt illi causam, nisi in ordine ad talem locum Interdictum. sed sic est, quod ex priuilegio cap. *Alma*, est permissum in loco interdicto, ministerium huius Sacramenti: ergo nihil obstat quominus Confessor, conferre valeat Pœnitentiæ Sacramentum, tempore localis Interdicti. Sic Suarez disput. 33. sect. 1. num. 19. Alterius disputat. 4. cap. 3. dub. 2. Luyfius lib. 6. disp. 48. dub. 1. in fine. Bonac. punct. 3. §. 3. num. 2. Palao disp. 4. punct. 4. §. 1. num. 8. & alij.

## QVÆSTIO XIII.

*An Confessor personaliter interdictus, per Interdictum generale personale, possit etiam licitè Sacramentum Pœnitentiæ ministrare?*

**N**egant aliqui, & probabiliter, vt innuit Suarez loc. cit. Sed cum ipso Probabilius, & multò respondeo: posse, etiam licitè, hoc Sacramentum ministrare, si talis Confessor sit Innocens, nec culpabiliter tale Interdictum contraxerit; secus aliàs. Ratio est, quia persona hoc modo interdicta licitè potest ministrare Sacramentum Confirmationis: ergo multò magis, cum militet maior ratio, Sacramentum Pœnitentiæ. Sic Suarez, & Alterius loco citato. Cornejo in 3. part. tractatu 5. disputat. 2. §. 1. dubio 3. questione 3. Bonacina, & Palao loco citato.

## QVÆSTIO XIV.

*An rursus, Confessor specialiter & culpabiliter interdictus, possit licitè ministrare, adhuc extra casum necessitatis, hoc Sacramentum Pœnitentiæ?*

**R**espondeo tanquam certum: non posse licitè, extra casum necessitatis proximi. Quia prædictus Confessor, eo ipso quod sit specialiter, vel directe interdictus, vel indirectè, quia causam dedit Interdicto generali, priuatus manet actiuo ministerio huius Sacramenti, vt constat ex dictis de Baptismo, supra q. 4.

LI 3 Sic

Sic Suarez, Alterius, Cornejo, Luyfius, Bonacina, & Palao *locis citatis*.

### QVÆSTIO XV.

*An, si non licitè, validè saltem, ministret hoc Sacramentum Pœnitentiæ Confessor specialiter, & culpabiliter interdictus?*

**N**Egat adhuc Faber *in 4. dist. 15. quest. 1. disputat. 5. cap. 1. num. 23.* Cuius fundamentum est, quod personaliter & culpabiliter interdictus, æquiparatur excommunicato; at sic est, quod excommunicatus nominatim manet priuatus potestate iurisdictionis; ergo & specialiter, aut nominatim interdictus: ergo sicut ab illo, ita ab isto collata absolutio Sacramentalis erit inualida, ac nulla.

Sed probabilius respondeo: validè, quamuis non licitè, posse hoc Sacramentum ministrare. Quia probabilius est, quod Interdictum, quamuis prohibeat usum, non tollat iurisdictionem; & ideo validum sit hoc Sacramentum ministratum à Confessore specialiter interdicto. Sic Cornejo *in 3. p. tract. 5. disput. 2. de Interdict. §. 1. dub. 3. q. 4.* quem citat, & sequitur Diana *p. 5. tract. 10. resol. 62.* Quibus ego addo Alterium *disp. 4. de Interd. cap. 3. in fine.* Bonacinam *punct. 3. §. 3. num. 2. vers. Ego verò.* Suarium etiam *disput. 33. sect. 1. num. 20. iuncta disp. 40. sect. 2. num. 12. vers. Quinò dicendum est,* & Filliucium *tract. 18. cap. 2. q. 3. n. 38.* & Castrum Palao *disput. 4. punct. 4. §. 1. num. 8.*

Ad fundamentum Philippi Fabri respondet Cornejo, quod personaliter interdictus, solum æquiparatur excommunicato precisè, quantum ad hoc quod est, esse vtrique prohibitum usum actiuum huius Sacramenti; atque ita vterque peccabit illud ministrando; non tamen quantum ad ablationem iurisdictionis, & inualiditatem Sacramenti, cum hoc non reperiat in iure expressum de Interdicto, sicut de excommunicatione. Legantur dicta à nobis *1. parte tractatu 5. disputat. 5. quest. 78.*

### QVÆSTIO XVI.

*An Pœnitentiæ Sacramentum, collatum pœnitenti personaliter interdicto, per generale Interdictum, sine propria culpa contracto, sit validum?*

**R**espondeo tanquam certum: esse validum, & licitum. Quia concessio facta in *cap. Alma*, facta est, non solum pro tempore Interdicti localis, sed etiam pro Interdicti generalis personalis, vt constat ex dictis *q. 8.* & sic sentiunt omnes Doctores præcipuè ibi adducti, & Cornejo *dub. 3. cit. quest. 2.*

### QVÆSTIO XVII.

*An etiam sit validum hoc Sacramentum, collatum pœnitenti interdicto, per Interdictum particulare, & speciale, sua culpa contracto?*

**N**egant quamplures Doctores absolutè, eo quod huiusmodi interdictus æquiparatur excommunicato, quantum ad Sacramentorum receptionem, *cap. Episcoporum, de priuileg. in 6.* at hic non potest validè recipere Sacramentum Pœnitentiæ: ergo nec ille. Ita Cornejo *loc. cit.* & alij supra *tract. de excommunicat. disput. 4. quest. 9. adducti.*

Sed iuxta ibi dicta respondeo: dicendum, esse validum, casu solum, quod pœnitens bona fide, aut necessitate, aut naturali obliuione, aut inuincibili igno-

rantia Interdicti, processit, & absolutus fuit à peccatis, antequam ab Interdicto; secus aliàs. Constat vtraque pars huius responsionis ex dictis de receptione Sacramenti Pœnitentiæ ab excommunicato *disputat. 4. cit. quest. 9. 10. & 11.* Legantur ibi dicta, & Authores citati.

### QVÆSTIO XVIII.

*An Interdictum priuet Sacramento Eucharistiæ?*

**R**espondeo tanquam certum: affirmatiuè. Quia vsus huius Sacramenti pro sanis, sæcularibus ad minus, non est iure exceptus, vt omnes fatentur Authores, præcipuè mox citandi.

### QVÆSTIO XIX.

*An tempore Interdicti localis, siue generalis, siue specialis, possit ministrari Eucharistiæ existentibus in probabili periculo mortis?*

**R**espondeo tanquam certum: posse. Quia sic habetur in *cap. Quod in te, de pœnit. & remiss.* per hæc verba: *In illo verbo, per quod pœnitentiæ morientibus non negamus, viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, vt nec ipsum decedentibus denegetur.* Sic Pontifex Innocentius III. Idemque habetur in *cap. Permittimus, de sentent. excomm.* & in *cap. Alma*, & ratio decisionis est; quia Eucharistiæ Sacramentum, est sumendum de iure diuino in articulo mortis. Sic omnes. Legantur Nauarr. *cap. 27. n. 178.* Couarr. *in cap. Alma, part. 2. §. 3. n. 2.* Suarez *disput. 33. sect. 1. à n. 21.* Henriquez *lib. 13. cap. 45. n. 2.* Alterius *disp. 4. cap. 4. in princ.* Bonac. *punct. 3. de Interd. §. 2. n. 1.* & alij penes ipsum. Qui omnes, ex textibus citatis inferunt, non posse Eucharistiæ dari tempore Interdicti, leuè, & modica infirmitate laborantibus.

### QVÆSTIO XX.

*An tempore Interdicti, possit ministrari Eucharistiæ damnatis ad mortem, præcipuè, si sani sint?*

**R**espondeo tanquam certum: posse. Quia huiusmodi verè sunt morientes, & in articulo mortis constituti: sed sic est, quod ius clarè concedit hoc Sacramentum morientibus absque vlla distinctione, vt constat ex verbis citatis ex textu in *cap. Quod in te, cit. cap. Non est vobis, de sponsalib.* ergo. Sic Couarr. Suarez, Henriquez, Alterius, Bonacina *loco citato.* Auila *part. 5. disputat. 4. sect. 1. dub. 5. post conclus. 2.* Cornejo *in 3. part. tract. 5. disput. 2. §. 1. dub. 4.* Filliuc. *tractatu 18. cap. 2. quest. 4.* Palao *disputatione 4. punct. 4. §. 1. num. 9.* & omnes.

### QVÆSTIO XXI.

*An Eucharistiæ conferri possit, tempore Interdicti, mulieribus prægnantibus, quando partui sunt propinque?*

**N**egant Anchar. *in cap. Alma mater, num. 9. vers. Sed queritur.* Ioann. Andr. & Cardin. *in cap. cit. Quod in te*, censentes, non posse his Sacramentum istud dari, cum non sint mulieres prægnantes, in articulo mortis constitutæ; quamuis periculum mortis propter partum sint subitura.

Alij verò sub distinctione respondent; posse quidem conferri, quoties periculum mortis, inspecta femina

fœminæ prægnantis qualitate, timeri potest, aliàs, non: Et ita, inquit, omnino dari debet prægnanti, dum prima vice paritura est; vel illi, quæ aliàs experta est partus difficiles; imò quando ex alio capite res est dubia an talis mulier possit in partu deficere. Quia cum in his casibus sit prædicta mulier in probabili periculo mortis constituta, gaudet priuilegio iuris. Sic sentiunt Couarr. in cap. Alma, p. 2. §. 3. n. 2. Henriquez lib. 13. cap. 45. num. 2. Abbas, Angel. Syluest. Tabiena, & D. Anton. quos citat, & sequitur Alterius disp. 4. cap. 4. dub. 3. Auila p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 5. post concl. 2. Filliucius tract. 18 cap. 2. §. 4. n. 40. Bonac. punct. 3. de Interd. §. 2. n. 4. Cornejo disp. 2. cit. §. 1. dub. 4. Palao loc. cit. n. 9. & alij.

Sed ego, adhuc probabilius, absolutè, & sine limitatione respondeo: Possè conferri, Interdicti tempore, sacram Eucharistiam omnibus mulieribus prægnantibus, etiam robustis corpore, & quæ aliàs non difficiles, sed faciles partus expertæ sunt. Quia mihi probabilius est, quod omnes prægnantes, dum sunt propinquæ partui, verè sunt in articulo mortis, vt cum Syluestro, & Petro Hurtado, docuimus 1. p. tract. 5. disp. 3. §. 10. ergo omnes gaudent priuilegio iuris. Confirmatur hæc nostra sententia ex Abbate in cap. Pastoralis, §. Præterea, n. 3. de offic. ordin. vbi, ex mente Hostiens. ait, (loquens de absolutione ab excommunicatione) experientia compertum esse, fœminas robustas, & validas corpore, solere in partu deficere, & idèd posse absolui ab excommunicatione. Sic ille. Nunc ego: Ergo propter eandem rationem, poterit omnibus prægnantibus, etiam robustis, ministrari tempore Interdicti Eucharistia.

#### QVÆSTIO XXII.

*An etiam possit dari Eucharistia, tempore Interdicti, inchoanti periculosam navigationem; aut intranti bellum, aut existenti in alio periculo mortis?*

Respondeo tanquam certum: Possè. Quia licèt Eucharistia, ait Henriquez, ministrari non possit iure antiquo aut nouo, nisi tanquam viaticum infirmis in articulo mortis; at benigna interpretatione extenditur ad omnes, qui sunt etiam in probabili periculo mortis, etiam violentæ; vt si Reus sanus damnatus est ad mortem per sententiam appellatione, aut alio iuris remedio, non suspensam: & prægnanti, quæ tempore partus timet et periculum: & inchoantibus longam periculosi maris navigationem, aut intraturis prælium; aut quando ciues sunt ab hostibus validus obfessi. Sic Henriquez lib. 3. cap. 45. n. 2. Auila etiam, Palao, Filliuc. Bonac. & alij loc. cit. & omnes.

An autem tempore Interdicti, possit ministrari Eucharistia Clericis sanis volentibus eam sumere more laicorum? Constat ex dictis disp. 4. §. 34. Sicuti ex ibidem dictis constat, posse eam sumere Sacerdotem celebrando Missam; submissa voce, & aliis conditionibus assignatis à Bonifacio VIII. in cap. Alma. Necnon, & Religiosos, & Sanctimonialia in Ecclesiis propriis.

#### QVÆSTIO XXIII.

*An omni Sacerdoti non interdicto sit licitum, ministrare Eucharistiam, vt viaticum, constitutis in articulo, seu periculo mortis?*

Respondeo tanquam certum: Licitum esse, si aliàs habeat ius ministrandi hoc Sacramentum. Quia aliàs nulla esset concessio tribuendi viaticum in articulo mortis, si talis Sacerdos non posset illud ministrare. Sic omnes qui idem docent loquendo de Sacerdotibus interdictis, per Interdictum generale perso-

nale, dummodo causam tali Interdicto non dederint. Legantur Suarez disp. 33. sect. 1. n. 24. Alterius, omnino ex illo non citato, disp. 4. cap. 4. dub. 5. Bonac. punct. 3. §. 2. n. 9. & alij.

#### QVÆSTIO XXIV.

*An etiam Sacerdoti personaliter, & specialiter interdicto, directè, vel indirectè, sit licita administratio huius Sacramenti existentibus in articulo mortis?*

Respondeo tanquam certum: Non esse licitam per se loquendo: Quia effectus præcipuus Interdicti est priuare actiua administratione Sacramentorū. Vnde si tali Sacerdoti solum potest per accidens esse licitam talem administrationem, nempe, quando nullus alius Sacerdos adesset nisi ipse Interdictus; nam tunc deberet succurrere existenti in articulo mortis ministrando viaticum, sicut posset excommunicatus. Sic Suarez, Alterius, & Bonac. locis cit.

#### QVÆSTIO XXV.

*An Parochus specialiter interdictus, possit licitè ministrare viaticum infirmo; casu, quo extarent alij simplices Sacerdotes, qui ex Parochi commissione possent id efficere?*

Respondeo tanquam certum: Non posse. Quia tunc Parochus absolutam habet prohibitionem; & alioqui non vrget necessitas, cum sint alij, qui id præstare valeant. Debet ergo tunc Parochus concedere simplici Sacerdoti facultatem ministrandi hoc Sacramentum, vt bene Suarez, Alterius, & Bonac. loc. cit. docent. Et Egidius disp. 17. dub. 2. n. 45.

An saltem casu, quo solum extaret Diaconus, tunc posset Parochus specialiter interdictus licitè hoc Sacramentum infirmis conferre; aut deberet etiam concedere facultatem Diacono, vt id exereretur, dissidium est inter Doctores. Suarez, & Alterius sentiunt, tunc nec posse Parochum committere hoc ministerium Diacono, sed debere per se ipsum hoc Sacramentum ministrare. Sed mihi probabile videtur: Possè etiam tunc. Quia eadem militat ratio. Quia tunc ipse Parochus etiam habet prohibitionem licitè ministrandi hoc Sacramentum, & alioqui cum sit Diaconus non interdictus, qui ex commissione ipsiusmet Parochi licitè possit administrare Eucharistiam (vt diximus 2. p. tract. 7. de Euchar. disp. 4. §. 7. & 8.) cessat necessitas, vt ipse Parochus debeat, aut possit se ingerere huic ministerio.

#### QVÆSTIO XXVI.

*An tempore Interdicti, quando Eucharistia deferretur ad infirmos, licitum sit, illam deferre, cum solemnitate consueta?*

Respondeo tanquam certum: Esse licitum, imò & debitum, administrare illam cum solemnitate consueta, nempe, comitantibus fidelibus, cum luminibus, cum sono campanellæ, cum recitatione Psalmorum, cum vestibus sacris consuets, & cum aliis cæremoniis solitis. Sic omnes. Præcipuè Nauarr. cap. 27. n. 179. Couarr. in cap. Alma, 2. p. §. 2. versu. Tamen si Eucharistia. Henriquez lib. 13. cap. 45. n. 2. Suarez disp. 33. sect. 1. n. 27. & 28. Alterius disp. 4. cap. 4. dub. 6. Auila p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 5. concl. 4. Bonac. punct. 3. §. 2. n. 1. & alij. Qui omnes addunt, non posse Sacerdotem recitare horas Canonicas, saltem alta, & intelligibili voce, ad satisfaciendum suæ obligationi, quia id prohibet

cap. *Alma*, benè tamen (vt diximus) poterit dicere aliquos Pfalmos, & Hymnos ad modum diuinæ laudis. Et in reditu ab infirmo ad Ecclesiam poterit Eucharistiam ostendere populo; & concedere illi solitas indulgentias. Quod totum docet etiam Palao *disp. 4. punct. 4. §. 1. num. 10.* Sayrus, Ægidius, & Layman penes ipsum.

### Q V Æ S T I O XXVII.

*An Sacramentum Ordinis ministrari possit, tempore Interdicti personalis, aut localis?*

**R**espondeo tanquam certum: Personas interdictas, nec posse recipere, in loco interdicto, nec ministrare Sacramentum huiusmodi. Quia Interdictum verè priuat vsu quocumque Sacramentorum, nisi fiat de aliquo Sacramento specialis exceptio in iure: at hæc non est facta de sacramento Ordinis; vt clarè constat ex cap. *Responsio, de sent. excomm. & cap. Non est vobis, de sponsal.* Vbi solum permittuntur Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, vt supra est habitum: ergo. Sic omnes. Legantur Suarez *disp. 33. sect. 1. num. 44.* Nauarrus *cap. 27. num. 179.* Couarr. *in cap. Alma, 2. p. §. 3. num. 4.* Henriquez *lib. 13. cap. 45. n. 8.* Alterius *disp. 4. cap. 6. Auila p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 8. concl. 1.* Bonacina *punct. 3. §. 3. num. 3.* Palao *disp. 4. punct. 4. §. 1. n. 21.* & alij.

### Q V Æ S T I O XXVIII.

*An tempore Interdicti, liceat ministrare hoc Ordinis Sacramentum, in illis quatuor festiuitatibus, in quibus ex indulto cap. Alma, permittitur celebratio solemnium diuinorum officiorum?*

**R**espondeo tanquam certum: Non licere. Quia, vt nuper est habitum, iure antiquo est prohibita ministratio Sacramenti Ordinis, tempore Interdicti; at sic est, quod iure nouo cap. *Alma*, confirmatur prohibitio iuris antiqui omnium Sacramentorum, exceptis Baptismi, & Pœnitentiæ, &c. ergo Sacramentum Ordinis, sicut olim non concedebatur tempore Interdicti, ita nec modo. Sic Nauarr. Alterius *loc. cit. & alij* penes ipsum. Couarr. etiam, & Auila *loc. cit.* Cornejo *disp. 2. de Interdict. §. 1. dub. 6.* Qui addunt, nec licere ministrari hoc Sacramentum tempore Interdicti, adhuc ianuis clausis, & interdictis, & excommunicatis exclusis. Nam per cap. *Alma*, solum permittuntur officia diuina cum moderatione ibi assignata: non verò Sacramenta alia, præter dicta.

### Q V Æ S T I O XXIX.

*An tempore generalis Interdicti, possint Clerici initiati prima Tonsura, aut alio inferiori Ordine, ad Ordines superiores promoueri?*

**A**ffirmant Innocent. in cap. *Non est vobis, de sponsal.* eo quod isti iam sunt Clerici: ergo promoueri possunt ad vltiores Ordines. Sed tanquam verum, respondeo: Non posse. Quia laicis non potest tempore Interdicti Sacramentum Ordinis conferri: ergo neque Clericis. Patet consequentia: quia quoad hoc nulla est differentia, nec exceptio inter Ecclesiasticos & laicos. Sic Panormit. Paludan. Couarr. & omnes Summistæ, apud Suarez *disp. 33. sect. 1. num. 45.* Alterius *disp. 4. cap. 6. col. 2. dub. 2.* & alij.

### Q V Æ S T I O XXX.

*An qui non sunt personaliter interdicti, possint in loco non interdicto, Ordines recipere?*

**R**espondeo tanquam certum: Posse. Quia Interdictum loci non afficit personas, nisi in ordine ad illum locum. Sic desumitur ex cap. *Si sententia, de sent. excomm. in 6.* vbi Bonif. VIII. decernit, quod interdicta ciuitate propter delictum Domini, aut Reëtoris, Ciues, qui culpabiles non fuerunt, possint extra ciuitatem licitè interesse diuinis: & eadem est ratio de vsu Sacramentorum. Sic Alterius *loc. cit. dub. 3.* Suarez *n. 45.* Bonac. *punct. 3. §. 3. n. 3. vers. Dixi in propositione, & vers. Secundo,* Palao *§. 1. cit. n. 21.* & alij.

### Q V Æ S T I O XXXI.

*An in loco interdicto, possint ordinari personæ personaliter non interdictæ, ab ipso Episcopo, qui talem locum interdixit?*

**R**espondeo non posse: nisi aliàs Episcopus Interdictum tollat, vel suspendat ad istum actum. Ratio est, quia Interdictum locale habet suos effectus ex iure communi, in quo Episcopus non potest dispensare. Vnde fit, quod si Episcopus non seruet suum Interdictum, & ordines tradat, irregularis fiat. Sic Couarr. *in cap. Alma, p. 2. §. 1. n. 4. vers. Sextò inde constat.* Henriquez *lib. 13. cap. 45. num. 4.* Alterius *disp. 4. cap. 6. dub. 3. vers. Alia etiam difficultas.* Auila *part. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 8. vers. Secundo notandum,* & alij.

### Q V Æ S T I O XXXII.

*An saltem imminente necessitate ordinandi Ministros Ecclesiasticos, esset licitum conferre ordines in loco interdicto, si non esset alius locus non interdictus, in quo possent ordines conferri?*

**N**egat Couarr. *in cap. Alma, p. 2. §. 3. n. 4.* his verbis: Quintò infertur, nequaquam esse Ordines celebrandos tempore Interdicti, etiam si immineat necessitas ordinandi Presbyteros, Diaconos, aut Subdiaconos, aliòsve Ministros, quemadmodum visum est Syluestro *verb. Interdictum §. 9. 7.* contra Panormit. in cap. *Non est vobis*, quò in loco, vlt. col. censet, posse Ordinis Sacramentum, tempore Interdicti, ministrari, si immineat necessitas ordinandi Ministros diuinorum officiorum, & Sacramentorum. Etenim nullibi in iure cautum est, quod hæc sit vera, ac propria necessitas compellens ad Interdicti violationem, & idè Panormit. opinio non est admodum tuta, licet eam sequatur Gonzaluz à Villadiego *in tract. de irregul. cap. de Interd.* etiam si videam posse multis rationibus, & authoritatibus eandem comprobati. Hæc Couarruuias, vt videas quàm malè citetur à Cornejo pro opposita parte. Sic etiam Armilla *Interdictum, n. 14.* & Vgolin. *tab. 5. cap. 7. §. 2. num. 2.*

Sed probabilius respondeo. In præassignato casu, (qui vix dari potest) licitum esse Ordines in loco interdicto conferre. Quia (ait Panormitanus) cum aliquid conceditur, eo ipso censetur concedi omne illud, sine quo id non potest poni in esse, aliàs illa concessio esset inutilis: sed ius concedit tempore Interdicti officia diuina, & aliqua Sacramenta: ergo consequenter censetur etiam concedere ordinationem Ministrorum, qui ad hoc fuerint necessarij. Sic Henriquez *lib. 13. cap. 45. n. 4. in textu, & in marg. lit. P.* & alij penes ipsum. Auila *p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 8. concl. 2.* Bonacina *punct. 3. §. 3. n. 3.* Cornejo *disp. 2. de Interd. §. 1. dub. 6.* & Alterius *loc. cit. dub. 4.* quia quamuis id non definit clarè,

rè, est absque dubio ob defectum impressionis. Vivaldus de Interd. n. 211. dicens, hanc nostram sententiã esse omnino veram. Sayrus lib. 5. cap. 7. n. 38. Layman lib. 1. tract. 5. p. 4. cap. 2. n. 1. Villadiego tract. de irregul. cap. 5. de Interd. n. 2. & Palao disp. 4. punct. 4. §. 1. n. 23.

## QVÆSTIO XXXIII.

An Matrimonium contractum tempore Interdicti, aut in loco interdicto, sit validum?

Respondeo tanquam certum: Esse validum. Quia nullum ius illud irritat. Sic Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 8. num. 4. & Basilius lib. 6. cap. 9. n. 2. dicentes id apud omnes esse certissimum. Legite me ipsum 2. p. tract. 9. disp. 23. §. 2. q. 2.

## QVÆSTIO XXXIV.

An non solum validè, sed etiam licitè, possit Matrimonium celebrari, tempore Interdicti, aut in loco interdicto?

Affirmarunt Syluest. Armilla, Nauarr. Palud. Henriquez, Petrus de Ledesma, Vega, & Sà, & alij vsque ad 33. Doctores, quos affert & sequitur Sanchez disp. 8. cit. n. 2. Quibus adhuc addi possunt Hurtad. Layman, & Villalob. quos citat, & sequitur Diana part. 5. tract. 10. resol. 81. & Palao disp. 4. punct. 4. §. 1. n. 24.

Sed aequè probabiliter respondeo. Non posse licitè, vt bene probauimus 2. p. loc. cit. q. 3. sic, vt ibidem, Vgolinus de Censur. tab. 5. cap. 7. §. 3. num. 1. & cap. 10. §. 1. n. 1. Sayrus lib. 5. cap. 7. num. 43. & Basilius lib. 6. cap. 9. n. 3. Quibus nunc addo, Suarium disp. 33. sect. 1. n. 51. Luyfium lib. 6. disp. 48. dub. 3. Portellium in dub. regul. verb. Interd. n. 19. Fabrum de Censur. in 4. dist. 25. q. 1. disp. 5. c. 2. n. 32. Petrum Cornejo de Interd. disp. 2. §. 1. dub. 7. Præpositum in 3. p. q. 4. de Interd. dub. 3. n. 23. Filliucium q. 8. cit. n. 48. Reginaldum lib. 3. 2. tract. 3. n. 28. & Bonacinam loc. cit. n. 8. & alios, qui bene addunt nostram sententiam intelligi, vbi non est contrarium receptum per consuetudinem: quia in hoc casu licitum etiam erit contrahere matrimonium, tempore Interdicti.

## QVÆSTIO XXXV.

An Sacramentum Extremæ Vnctionis, possit, tempore Interdicti, ministrari non habenti priuilegium, seu Bullam Cruciatam?

Affirmavit ex Sayro, Lublinus verb. Extrema Vnctio, num. 12.

Sed tanquam certum respondeo: Non posse. Quia id expressè prohibetur in cap. Quod in te, de pœnit. & remiss. Et idè sic tenent Nauarr. cap. 27. n. 171. & 179. Henriquez, Ludou. de S. Ioanne, & Torreblanca, quos in hac parte sequuti sumus 1. part. tract. 4. disp. 3. q. 17. Quibus addi possunt Suarez disp. 33. sect. 1. n. 38. Auila p. 5. disp. 4. sect. 1. dub. 7. Filliuc. tract. 18. cap. 2. q. 7. Cornejo disp. 2. de Interd. §. 1. dub. 5. Hurtad. diff. 8. in fine. Bonac. punct. 3. §. 3. n. 4. Qui bene citat Sayrum pro hac parte lib. 5. cap. 7. num. 29. Alterius disp. 4. cap. 5. Palao disp. 4. punct. 4. §. 1. n. 16. & omnes.

## QVÆSTIO XXXVI.

An moribundus, qui Eucharistia, aut Pœnitentiæ Sacramentum non potest recipere; possit inungi Vnctionis Extremæ Sacramento, tempore Interdicti?

Negant posse, nisi aliàs priuilegium habeat, Petr. Ledesma tom. 1. cap. ult. de Extrema Vnct. concl. 4.

& Ludou. de S. Ioanne in sum. q. vnica, de Extrema Vnctione, art. 7. diff. 1. Quamuis in parua sua summa in oppositum inclinet. Henriquez etiam lib. 3. c. 10. n. 3. in fin.

Sed probabilius respondeo: Posse inungi in proposito casu, etiam si priuilegio, aut Bulla Cruciatæ careat. Quia hic casus in singulari, nullo iure est prohibitus. Nam cum iura prohibent dari Extremam Vnctionem Interdicti tempore, agunt de casu ordinario in quo moribundus aliud Sacramentum recipit. Sic Palud. Zambrana, Torreblanca, Villalobos, & Diana 1. p. tract. 4. resol. 171. Quos pro hac eadem sententia adduximus 1. p. tract. 4. disp. 3. q. 18. His adiungo Stephanum Bauny ita dicentem: Si tamen eo tempore (videlicet, Interdicti) ob morbum, vel similem aliquam causam, Sacramenta alia ab iis non possent recipi, tum enim erò Extremæ Vnctionis negandum illis non foret, eo quod non sit probabile, Ecclesiam priuare tum velle aliquem, necessario ad salutem remedio, cuiusmodi est Extrema Vnctio in casu, quo non contritio, sed sola attritio eius animum occupat. Sic ille. q. 15. col. 2. pag. 411. Castrus Palao disp. 4. punct. 4. §. 1. n. 20. & penes ipsum Capeauilla, & Laymannus.

## QVÆSTIO XXXVII.

An saltem Clericis, & Religiosis possit dari Extrema Vnctio, tempore Interdicti?

Affirmavit Palud. in 4. dist. 18. q. 8. n. 28. Eo quod in cap. Quod in te, cit. conceditur his Ecclesiasticis personis, Ecclesiastica sepultura, tempore Interdicti: ergo sub illa comprehenditur Vnctio, quæ est veluti præparatio ad illam.

Sed, vt certum, respondeo: Non posse dari Clericis; imò nec Religiosis, vi iuris communis; quamuis bene ex vi priuilegiorum, quæ habent Religiones. Ratio desumitur ex eodem cap. Quod in te. Nam cum ex duobus ibi propositis, generalitèrque vetitis, vnum concedat Pontifex, nempe, sepulturam, & de altero, nempe de Vnctione, taceat, illud planè negare voluit, vt in simili arguit D. Greg. Hom. 18. in Euang. Et meritò quidem, ex hoc refellitur argumentum Paludani. Præcipuèque, ex eo, quod cum minor sit vtilitas Ecclesiasticæ sepulturæ, quàm Extremæ Vnctionis Sacramenti; non rectè ex permissione minoris, infert maius. Sic Suarez disp. 33. sect. 1. num. 41. Alterius disp. 4. cap. 5. col. 12. Henriquez lib. 13. cap. 45. n. 4. ita dicens. Sacramentum Extremæ Vnctionis, cum non cadat sub præcepto, conferri non potest, etiam Clericis Presbyteris: sed Religiosi habent priuilegium id recipiendi, vt communionem. Sic ille. Et penes ipsum, lit. H. Nauarr. Ioan. Andr. Anton. Angel. Abbas, Calder. & alij. Palao etiam loc. cit. n. 17. & 19. Bonacina disp. 5. punct. 3. §. 3. n. 4. & omnes.

## QVÆSTIO XXXVIII.

An saltem possit tempore Interdicti, ministrari Vnctio, in quatuor illis anni festiuitatibus, in cap Alma, exceptis?

Affirmavit Syluester Interdictum 5. §. ... vers. Potest autem. secutus Federicum de Senis consil. 3. Cuius sententiam esse probabilem expressè dicit Machado in summ. tom. 1. lib. 1. p. 3. tract. 13. docum. 4. n. 9. Et innuit Gemin. in cap. Alma. n. 8. vers. Et ista videtur verior.

Sed tanquam certum, respondeo: Non posse. Quia in cap. Alma, non tractatur de Extrema Vnctione, sed de diuinis Officiis, quod quid diuersum est: ergo nequit illa ministrari in dictis diebus: aliàs idem esset dicendum de omnibus Sacramentis, quamuis de illis nulla fiat mentio, quod esse falsum, constat ex dictis



q. 28. Et ideo sic tenent Couarr. in cap. Alma, p. 2. §. 5. n. 6. vers. Decimo. Franc. & Calder. in eod. cap. quos citat, & sequitur Alterius de Interd. disp. 4. cap. 5. in fine, Suarez disp. 33. sect. 1. n. 43. in fine. Filiucius loc. cit. n. 48. Vgolimus, & Sayrus, quos affert, & sequitur Bonac. punct. 3. de Interd. §. 3. n. 7. Villalobos tom. 1. tract. 19. diff. 3. n. 13. Cornejo de Interd. disp. 2. §. 1. dub. 5. Palao §. 1. cit. n. 18. dicens, oppositum nullatenus esse sustinendum: & omnes communiter.

#### QVÆSTIO XXXIX.


*An Interdictus personaliter, possit recipere Extremam Vnctionem, in loco non interdicto?*

**R**espondeo tanquam certum: Non posse. Quia Interdictum personale, siue generale, siue speciale, afficit personas, & ideo in illis independentem à loco, suum producit effectum, qui, inter ceteros, vnus est priuatio Sacramenti Extremæ Vnctionis. Sic omnes. Suarez loc. cit. Alterius dub. 1. in fine. Bonac. n. 5.

#### QVÆSTIO XL.

*An in loco interdicto possit ministrari Vnctio personis non interdictis?*

**R**espondeo tanquam certum: Non posse. Quia in loco interdicto Sacramenta ministrari nequeunt, vt habetur in cap. Responso, de sent. excomm. (excipe casum expressum q. 36.) Sic Doctores cit. præcipue Alterius. Qui bene addit, nil ob stare, quod extra locum interdictum, administraretur hoc Sacramentum personis personaliter non interdictis, aut innocentibus, qui non dederunt causam Interdicto, vt diximus supra de Ordine, q. 30.



### DISPVATIO VI.

*De tertio effectu Interdicti, qui est, priuatio Ecclesiastica sepultura.*

#### QVÆSTIO PRIMA.

*An per generale Interdictum, prohibeatur directe, & specialiter, ne cadauera fidelium admittantur ad Ecclesiasticam sepulturam?*

**N**EGANT aliqui Doctores, existimantes, non prohiberi corporibus fidelium defunctorum per generale Interdictum directe, & in specie, Ecclesiasticam sepulturam; sed hanc prohibitionem oriri, quasi indirecte, & accessorie, vel ex prohibitionem diuinorum Officiorum, vel ex prohibitionem Sacramentorum. Ita sentiunt Calder. tract. de Interd. part. 2. n. 15. vers. Quia non est verum. D. Anton. 3. p. tit. 26. cap. 4. ante medium, vers. Moueor ad dicendum, & Tabiena Interdictum 5. n. 12. vers. Undecimo.

Sed, tanquam certum, respondeo dicendum, quod per generale Interdictum, non solum indirecte, sed directe etiam, & specialiter prohibeatur Ecclesiastica sepultura, sicut prohibetur celebratio diuinorum Officiorum, & administratio Sacramentorum. Quia id aperte constat ex cap. Quod in te, de pœnit. & remiss. ibi: licet per generale Interdictum denegetur omnibus tam Vnctio, quam Ecclesiastica sepultura, &c. Et ex cap. Cum & plantare, §. Quod si, & cap. Vi priuilegia, de priuileg. Innocent. Gloss. Sic tenet communis. Legantur inter

alios, Alterius de Interd. disp. 6. cap. 1. col. 1. & Suarez disp. 35. sect. 1. in principio.

#### QVÆSTIO II.

*An per Interdictum generale locale prohibeatur, ne quis laicus Ecclesiasticam sepulturam in loco interdicto accipiat?*

**R**espondeo tanquam certum: Prohiberi. Sic habetur in locis iuris nuper citatis. Et in Clement. de sepultur. & cap. Episcoporum, de priuileg. in 6. Qui id statuerunt ob maiorem rigorem Ecclesiasticæ Disciplinæ. Sic ex iuribus cit. docent omnes DD. Legantur Suarez, & Alterius.

#### QVÆSTIO III.

*An tempore Interdicti generalis localis, possint laici sepeliri in loco interdicto; dummodo non sit locus sacer?*

**R**espondeo tanquam certum: Posse. Quia per Interdictum, non prohibetur omnis sepultura, sed tantum Ecclesiastica, quæ, vt alias diximus, est illa, quæ fit in loco sacro, hoc est, in Ecclesia, vel cœmeterio: ergo sepultura extra Ecclesiam, vel cœmeterium, erit permissa. Sic omnes. Legantur Nauarr. cap. 27. n. 176. Henriquez lib. 13. cap. 44. n. 4. Suarez disp. 35. sect. 1. n. 3. Alterius disp. 6. cap. 1. col. 3. Bonac. punct. 5. num. 5. vers. Quinto, & alij. Legantur pro hac quæstione dicta à nobis disp. 8. de excommun. q. 5.

#### QVÆSTIO IV.

*An laici, qui tempore dicti Interdicti localis, sepulti sunt in campo, aut alio in loco non sacro; debeant, sublato Interdicto, exhumari, & in loco sacro sepeliri?*

**R**espondeo tanquam certum: Debere. Quia sublato interdicto, cessat etiam illius effectus. Sic Nauarr. cap. 27. n. 176. Henriquez lib. 13. cap. 44. n. 5. vbi ait sic practicari. Sæ verb. Interdictum, n. 25. Auila p. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 2. vers. Præterea, Bonac. punct. 5. num. 8. Alterius disp. 6. cap. 1. col. 4. & penes ipsum, Innocent. Hostiensis Calder. Abbas, Syluest. Tabiena, & alij. Palao disp. 4. punct. 4. §. 3. n. 1. & omnes.

#### QVÆSTIO V.

*An laicus, qui dicti Interdicti tempore, fuit sepultus illicitè in Ecclesia, aut alio loco sacro interdicto, debeat, durante Interdicto, exhumari, vt sepeliatur in loco prophano, & non sacro?*

**N**egatiuam sententiam esse aliquorum Doctorum, affirmat Bonac. loco cit. Quibus adherere videtur Hurtad. de Interd. diff. 9. n. 19. vbi absolute ait; quod interdictus semel sepultus, quamuis illicitè, non est exhumandus.

Sed cum distinctione, respondeo dicendum, quod laicus, qui adhuc nec dedit causam culpabilem Interdicto, nec est interdictus, & nihilominus sepultus est illicitè in loco sacro interdicto, si id aduertatur, durante interdicto, debet exhumari, vt sepeliatur in loco non sacro: quia tempore Interdicti afficitur effectu Interdicti, qui est priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ: ergo debet exhumari, vt ea careat; & in hoc bene Bonacina loc. cit. ex Sayro cap. 8. n. 22. Si verò id aduertatur postquam cessauit Interdictum, tunc non debet exhumari, sed potius permitti ibi manere: quia ad eum statum

statum res peruenit, à quo incipere potuit, cap. *Placet, de conuers. coning. & l. Quia ad eum, ff. ad leg. Aquil.* Sic Syluest. Tabiena, Sotus, Nauarr. & Couarr. quos affert, & sequitur Henriquez lib. 13. c. 44. n. 4. Auila p. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 2. concl. 2. Alterius disp. 6. cap. 1. col. 4. & alij. Legantur dicta disp. 8. de excommun. q. 7.

## QVÆSTIO VI.

*An tempore Interdicti localis, licitum sit, tradere sepulturam Ecclesiasticam in loco sacro interdicto, infantibus baptizatis?*

Respondeo non esse licitum: Quia iura absolutè, & simpliciter loquuntur prohibendo omnibus Ecclesiasticam sepulturam: & hic actus æquè locum habet in infantibus, ac in adultis. Nam cadauer quod sepelitur, merè passiuè se habet, nec ad hunc actum requiritur vsus rationis. Sic communiter. Suarez disp. 35. sect. 1. num. 1. Alterius disp. 6. cap. 1. col. 5. & penes ipsum, Nauarrus c. 27. n. 168. Couarr. in cap. *Alma*, p. 2. §. 4. n. 5. Henriquez lib. 13. cap. 42. n. 4. & cap. 44. n. 4. & alij citati à nobis supra disp. 1. q. 35. Legantur ibi dicta.

## QVÆSTIO VII.

*An Clerici possint, interdicti localis tempore sepeliri in loco sacro interdicto?*

Respondeo tanquam certum: Possè sepeliri in loco sacro Interdicto, etiam specialiter; dummodo id fiat sine solemnitate, & sine sono campanarum. Quia sic habetur in cap. *Quod in te, de pœnit. & remiss.* ubi Pontifex duas requirit conditiones, vt Clerici tempore Interdicti sepeliri in loco sacro, & priuilegio hoc iuris gaudere queant. *Prima est*, quod non dederint causam Interdicto, aut sint personaliter Interdicti. *Secunda*, quod Interdictum seruauerint, licet autem, (ait Innocent. III.) *per generale Interdictum denegetur omnibus, tam Vnctio, quam Ecclesiastica sepultura: concedimus tamen ex gratia vt Clerici decedentes, qui tamen seruauerint Interdictum, in cœmeterio Ecclesia, sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur.* Sic Pontifex. Et sic omnes. Legantur Nauarr. cap. 27. n. 176. Henriquez lib. 13. cap. 44. n. 4. Suarez disp. 35. sect. 1. & 3. Auila part. 5. disp. 4. sect. 3. dub. 2. concl. 3. Alterius disp. 6. c. 1. col. 5. dicto 3. Bonac. de Interd. punct. 5. n. 13. Hurtad. diff. 9. vers. *Excipiuntur*, & Palao disp. 5. punct. 4. §. 3. n. 2.

## QVÆSTIO VIII.

*An Interdicti localis tempore, non solum in cœmeterio, sed etiam in Ecclesia interdicta, liceat sepelire Clericos?*

Negant aliqui Doctores, eo quod, vt vidimus, expressè textus dicat, quod in cœmeterio Ecclesiæ tumulentur: ergo non in Ecclesia. Ita videntur sentire Hurtad. diff. 9. & Luyfius lib. 6. disp. 50. dub. 1.

Sed probabilius multo respondeo: Iam licere, etiam in Ecclesia, tempore Interdicti, sepelire Clericos. Tum quia in cap. *Quod in te*, nomine cœmeterij, intelligitur omnis locus sacer ad fidelium sepulturam destinatus. Pontifex autem vsus est nomine cœmeterij, quia olim fideles in cœmeterio sepeliebantur, intra Ecclesiam verò, tantum personæ insignes. Tum etiam, quia, vt ait Henriquez, ex cõsuetudine iam nunc intra Ecclesiam Clericos sepelire omnino licet. Sic ille, lib. 13. cap. 44. n. 4. Couarr. in cap. *Alma*, p. 2. §. 2. n. 7. vers. *Clericis etiam*, licet hic author non ita expressè id affirmet, vt alij faciunt. Auila p. 5. disp. 4. sect. 3. dub. 2. post 3. concl. Suarez

disp. 35. sect. 1. n. 5. vers. *Tandem additur*. Alterius disp. 6. cap. 1. col. 8. vers. *Tertio principaliter*. Filliuc. tract. 18. c. 4. quæst. 2. n. 94. (non 98. vt citatum inuenies apud Bonacina) Bauny tr. de Interd. q. 16. dicto 3. Bonac. punct. 5. n. 13. Palao §. 3. cit. n. 3. & communis.

## QVÆSTIO IX.

*An Clerici aliarum Ecclesiarum non interdictarum, possint, ex vi dicti cap. Quod in te, sepeliri in Ecclesia interdicta specialiter?*

Negant quidam Doctores; eo quod in tali casu, non optimè possunt Clerici aliarum Ecclesiarum non interdictarum, sepeliri in illis: ergo non patitur ratio, quod hi sepeliantur in Ecclesia specialiter interdicta. Ita Panorm. in d. cap. *Quod in te*. Syluest. *Interdictum* 5. ad fin. Couarr. vers. cit. Henriquez n. 4. cit. Innocent. & Ioan. Andreas, apud Abbatem loc. cit. Tabiena *Interdictum* 5. num. 12. Suarez disp. 35. sect. 2. n. 4. vers. *Ex hac verò doctrina*.

Sed probabilius respondeo: Possè adhuc ex vi dicti cap. sepeliri in Ecclesia specialiter interdicta (licet, si commodè posset, decentius esset quod sepelirentur in propria Ecclesia non interdicta.) Quia textus nullam ponit limitationem, aut restrictionem: ergo nec nos eam ponere debemus. Sic Auila p. 5. disp. 4. sect. 3. dub. 2. concl. 3. vers. *Secundò notandum*. Alterius disp. 6. cap. 4. dicto 3. Filliuc. tract. 18. cap. 4. q. 4. n. 98. ex Palud. dist. 18. q. 8. art. 2. concl. 10. Palao disp. 5. punct. 4. §. 3. n. 8. vers. *Sed verò Clerici*, citans pro hac parte Sayrum lib. 5. cap. 8. n. 13. & Suarium n. 4. à nobis pro prima sententia citatus. Sed malè profectò. Legantur dicta à nobis supra disp. 5. q. 2. & 11.

## QVÆSTIO X.

*An tempore Interdicti, possint sepeliri Clerici cum Officio, & Missa defunctorum?*

Affirmauit absolutè D. Anton. 3. part. tit. 26. cap. 4. vers. *Clericis verò*. Quia existimauit, non solum ex vi cap. *Alma*, sed etiam ex vi cap. *Quod in te*, cit. id fuisse licitum.

Sed clarius respondeo dicendum quod, attento iure antiquo, dicti cap. *Quod in te*, nullo modo possunt sepeliri cum Officio, & Missa defunctorum, quia expressè ibi decernitur, vt sepeliantur *cum silentio, sine pulsatione campanarum, & absque solemnitate*. Benè tamen attento iure nouo cap. *Alma*. Quia ex dispositione huius capituli, omnes qui sepeliuntur intra Ecclesiam, in loco sacro, possunt sepeliri cum Missa, & Officio defunctorum, seruata moderatione dicti capituli, nempe, vt dicantur submissa voce, ianuis clausis, &c. Sic Angel. *Interdictum* 6. num. 31. Syluester *Interdictum* 5. quæst. 8. Armilla cod. verb. num. 48. Henriquez lib. 13. cap. 44. num. 4. in gloss. lib. 6. Auila part. 5. disput. 4. sect. 3. dub. 2. post 3. conclus. vers. *Tertio notandum*. Suarez disput. 35. sect. 1. num. 9. Filliucius tract. 18. cap. 4. quæst. 1. num. 92. Alterius disp. 6. cap. 1. prope finem. Bonacina punct. 5. de Interdicto, num. 13. Hurtadus diff. 9. num. 29. Bauny tract. de Interd. quæst. 21. dicto 6. Qui benè notat, quod in quatuor illis festiuitatibus Paschæ, Pentecostes, Natalis Domini, & Assumptæ Virginis, licitè possunt exequi defuncti Clerici solemniter fieri, apertis ianuis, pulsatione campanarum, &c.

Quod & docet Palao loco citato, n. 4.

## QVÆSTIO XI.

*An etiam sit licitum, dicere huiusmodi officium Defunctorum, vel Psalmos, alternis choris, per viam deferendo corpus defuncti Clerici ad sepulturam?*

**R**espondeo vt quid certum: non esse licitum: sicut nec est etiam, dicere hæc officia in Cœmeterio, si ibi sepelitur, casu quo Cœmeterium sit publicum, & ita apertum, vt ianuis claudi non possit. Ratio est, quia in his casibus, non posset seruari illa conditio, quam requirit textus in cap. *Alma*, nempe, vt diuina Officia celebrentur, clausis ianuis, ita vt audiri nequeant à personis prohibitis. Sic Suarez *disputat.* 35. *sect.* 1. n. 10. & Alterius ex illo non citato, cap. 1. *cit. in fine.* Qui bene addunt, hanc responsionem intelligendam esse de Officiis Ecclesiasticis, quæ à Clericis publico ritu dici solent; nam preces priuatæ, quæ à laicis recitari solent, recitari tunc poterunt, quia non sunt prohibita tempore Interdicti. Bauny *quæst.* 16. *cit. in fine.* Portellius *in dub. regul. verb. Interdictum num.* 43. & alij.

## QVÆSTIO XII.

*An Clericus coniugatus gaudeat, tempore Interdicti localis, priuilegio sepulturae?*

**N**egant gaudere, nisi fortè alicubi vigeat consuetudo contraria, Nauar. *cap.* 17. n. 176. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 44. *num.* 4. & alij, quos in simili citauimus supra *disput.* 4. *quæst.* 39.

Sed probabilius iuxta ibi dicta respondeo: gaudere hoc priuilegio sepulturae, casu tamen, quo Clericus coniugatus cum vnica, & virgine contraxerit Matrimonium, sitque adscriptus alicuius Ecclesiae Ministerio: aliàs non. Ratio, quia huiusmodi Clerici non bigami, possunt assistere diuinis Officiis tempore Interdicti, vt *q.* 39. *cit.* diximus: quia sunt deputati Ministri Ecclesiae: ergo simili modo debent gaudere priuilegio sepulturae, cum cõcessum sit Clericis, vt Ministris Ecclesiae. Sic debent sentire, vt benè Suarez, qui sentiunt, licitè posse admitti Clericos coniugatos ad diuina, tempore Interdicti. Et ideo pro hac parte debent esse, Auila, Rodriguez, Sotus, Ægidius, Bonacina, & alij citati supra *disput.* 4. *q.* 39. Legantur adhuc Alterius *disputat.* 6. *cap.* 1. *col.* 8. *vers.* Sed quid dicendum. Bonacina *punct.* 5. *in fine.* Auila *p.* 5. *disput.* 4. *sect.* 3. *dub.* 2. *conclus.* 4. *in fine.* Gaudent igitur priuilegio sepulturae omnes Clerici, etiam primæ Tonsuræ, necnon coniugati, qui sunt adscripti alicui Ecclesiae, Religiosi, ac Moniales, ac aliæ personæ Ecclesiasticæ iuxta dicta supra in simili *disput.* 4. *quæst.* 38. & 39.

## QVÆSTIO XIII.

*An in illis festiuitatibus, in quibus, iuxta cap. Alma, licitum est assistere diuinis Officijs, tempore Interdicti localis; liceat etiam, absque speciali priuilegio, sepelire laicos, in loco sacro?*

**A**ffirmant plures Doctores. Eo quod prohibitio Ecclesiae Sepulturae tempore Interdicti, prouenit ex eo quod dicto tempore Officia diuina celebrari non possunt: sed Officia diuina celebrantur dictis festiuitatibus, ex d. cap. *Alma*: ergo consequenter sepultura Ecclesiastica in præfatis diebus permessa erit. Ita Angel. *verb. Interdictum* 5. n. 35. Sylu. *Interdictum* 5. §. 4. *vers.* Quartum. Tabiena *cod. verb.* n. 12. Sot. *dist.* 22. *q.* 3. *art.* 1. *post* 4. *concl.* ... Nauar. *cap.* 27. n. 181. *in fine.* Couar. *in cap. Alma*, p. 2. §. 5. n. 6. *vers.* Octauo quaritur.

Henriq. *lib.* 13. *cap.* 44. n. 5. *Sà verb. Interdictum*, num. 8. Diana *part.* 5. *tract.* 10. *resolut.* 67. Qui & citat Auilam. p. 5. *disput.* 4. *sect.* 3. *dub.* 4. *concl.* 1. Sed malè. Quia ibi loquitur de alio casu, de quo infra, & de nostro, oppositum apertè docet, vt statim videbimus. Bonac. *punct.* 5. *de Interd.* num. 7. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 8. num. 11. & alij.

Sed probabilius respondeo: non licere in dictis festiuitatibus sepelire laicos in loco sacro, absque speciali priuilegio. Sic Auila *sect.* 3. *citata dub.* 3. Qui id probat, & efficaciter, vt ipse ait, ex cap. *Cum & plantare*, §. *Quod si Templarij*. Vbi decernitur, quod si Templarij, & Hospitalarij accesserint ad Ecclesiam interdictam semel in anno, celebrètur Officia diuina publicè, apertis ianuis, ob eorum iucundum aduentum (vt explicatur cap. *Vt priuilegia*, §. *Illud*, *eod. tit.*) & tamen dicit textus, quod non sunt sepelienda corpora defunctorum, intellige, laicorum, vt habetur ex Glossa *dicto cap. Cum & plantare*, *verb. Defunctorum*: ergo idem dicendum est de illis festiuitatibus, quas excipit cap. *Alma*. Sic ille.

Ad fundamentum contrariorum neganda est maior; quia vt *sup.* q. 1. est habitum, non solum per accidens, ob prohibitionem diuinorum Officiorum, sed per se, & specialiter prohibetur sepultura Ecclesiastica per Interdictum locale, & ideo etiam si excipiantur celebrari publicè diuina Officia in illis festiuitatibus, non colligitur, quod excipiantur etiam sepultura in loco sacro. Sic tenent Glossa *in Clement.* 1. *de sepultur.* *verb. à iure*. Cardin. Gemin. Ioan. Andr. Francus, Ioan. de Ligna, Federicus de Senis, Villadiego, & Paludan. quos citat, & sequitur Alterius *disput.* 6. *de Interd.* *cap.* 3. *vers.* Ex his duabus opinionibus. Imola, & Abbas, quos refert, & amplectitur Auila *loc. cit.* His addi possunt ex modernioribus Suarez *disput.* 35. (non 38. vt legi apud Dianam) num. 13. qui ait sic etiam sentire Couar. licet non omnino constanter in cap. *Alma*, p. 2. §. 5. num. 6. Filliuc. *tr.* 18. c. 4. n. 96. Ægid. *disput.* 17. *dub.* 2. n. 55. Hurtad. *diffic.* 9. *vers.* Id verò. Præpos. *in* 3. p. q. 4. *de Interd.* *dub.* 3. n. 42. Mercer. *q.* 24. *de Interd.* *dub.* 4. Cornejo *tr.* 5. *de Interd.* *disput.* 2. §. 3. q. 1. (non *disput.* 3. §. 4. vt citat, Dian.) Villal. *tom.* 1. *tract.* 19. *diffic.* 8. num. 4. Bauny *quæst.* 17. *de Interd.* *dub.* 9. *vers.* Quid si diem suum. Palao *disput.* 5. *punct.* 4. §. 3. num. 5. & Vgolinus, & Maiolus penes ipsum.

## QVÆSTIO XIV.

*An laici, qui habent priuilegium particulare, vt tempore Interdicti, possint assistere diuinis Officijs, & recipere Sacramenta; possint etiam sepelire in loco sacro, quamuis tale priuilegium nullam faciat mentionem sepulturae?*

**A**ffirmant, & à fortiori, omnes DD. citati pro prima sententia *quæst. precedentis*. Quibus adherent Auila *sect.* 3. *cit. dub.* 4. *concl.* 1. Ægid. *loc. cit.* n. 52. & alij. Eo quod sepultura Ecclesiastica connumerari potest inter diuina Officia: ergo comprehenditur, sub generali concessione assistendi diuinis Officijs.

Sed adhuc probabilius respondeo: non posse. Quia priuatio sepulturae distinctus effectus interdicti est à priuatione diuinorum Officiorum, & receptione Sacramentorum, vt constat ex cap. *Episcoporum*, *de priuileg.* ergo vno ex his expresso, alij non continentur in illo. Vgolin. *tab.* 5. *cap.* 9. §. 3. Suar. & Couar. *locis* pro nostra sententia nuper *cit.* Alter. *disput.* 6. *cap.* 2. *col.* 3. *vers.* Dico secundo. Palao *loc. cit.* n. 7. Maiolus *lib.* 3. *de irregularit.* *cap.* 23. n. 8. Filliuc. *cap.* 4. *cit.* q. 3. num. 96. Qui responder fundamento contrariorum, dicendo, falsum esse, sepulturam contineri sub Officio diuino, quia sunt diuersa, & à diuersis non fit illatio. Sic etiam tenent alij ex citatis pro nostra opinione *quæstionis antecedentis*.

## QVÆSTIO XV.

An personaliter interdictus, per Interdictum generale personale, possit licitè sepeliri in loco sacro?

**N**Egant aliqui de quorum numero videntur esse Syluest. *Interdictum* 5. *quest.* 2. *part.* 4. & Auila *part.* 5. *disput.* 4. *sect.* 3. *dub.* 1. *conclus.* 1.

Sed probabilius longè respondeo: posse. Quia post Extravagantem Martini V. *Ad euitanda*, non tene- mur vitare personaliter Interdictum, nisi fuerit nomi- natim è Superiori loco denunciatum: ergo nec in sepultura Ecclesiastica; nam quibus viuis commu- nicamus, etiam mortuis communicare possumus, cap. *Sanè* 24. *quest.* 2. sepeliri ergo licitè à quouis poterit in loco sacro. Imò & consequenter in loco inter- dicto, antequam locus denunciatur interdictus. Sic Suarez *disput.* 35. *sect.* 3. *num.* 2. Sayrus *lib.* 5. *cap.* 8. *n.* 2. Filliucius *tractatu* 18. *cap.* 3. *numero* 100. Reginaldus *lib.* 32. *tract.* 3. *cap.* 29. *num.* 38. Sà *Interdictum*, *num.* 3. Bauny *tractatu* 9. *de Interd.* *quest.* 16. *dicto* 1. Bonacina *puncto* 5. *num.* 10. Cornejo *disputat.* 3. *de Interd.* §. 3. *quest.* 2. Hurtadus *difficultate* 9. *vers.* *Excipiuntur*, *in fine.* Alterius *disputat.* 6. *cap.* 5. & alij.

## QVÆSTIO XVI.

An etiam personaliter interdictus nominatim, vel specialiter, possit in loco sacro sepeliri?

**R**espondeo tanquam quid certum: non posse. Quia id cauetur expressè in cap. *Is cui*, *de sent. excommunic.* in 6. cap. *Episcoporum*, *de priuileg.* in 6. & in *Clement.* 1. *de sepultur.* ibi: *Vel nominatim interdictus.* Omnes igitur, siue sint laici, siue Clerici; qui sunt nominatim, aut specialiter interdicti; aut qui cau- sam Interdicto locali dederunt, & culpabiles fuerunt, qui etiam personaliter specialiter interdicti dicun- tur, carent Ecclesiastica sepultura. Sic omnes Do- ctiores. Legantur *citati*.



## DISPUTATIO VII.

De quarto effectu Interdicti, qui est priuatio ingressus in Ecclesiam.

## QVÆSTIO PRIMA.

An Interdictum priuans ingressu Ecclesie, sit ef- fectus cuiuscunque Interdicti personalis; vel nouum genus Interdicti?

**A**FFIRMAT esse effectum Interdicti personalis absolute prolata, Burgasius *tract.* *de irregularit.* *part.* 6. *num.* 21. Quia aliàs, inquit, dici necessariò foret, quod esset nouum genus interdicti, & conse- quenter Censuræ, distinctum ab aliis Censuris, quod est falsum: ergo.

Sed probabilius respondeo: dicendum, quod nullo modo sit effectus interdicti personalis, (& multò mi- nus localis) sed quoddam peculiare genus interdicti probatur. *Primo*, quia quando iura interdiciunt ali- quem ab ingressu Ecclesie, id exprimunt, vt constat ex cap. *Si Ciuitas*, cap. *Si sententia*, *de sentent. excom.* cap. *Is cui*, *ead. tit. in 6.* ergo quando hunc effectum non declarant, illum non faciunt. *Secundo*, quia Inter- dictum personale priuat participatione diuinorum in R. P. Leand. *de Censuris*.

omni loco, hoc autem solum priuat in Ecclesia: ergo. Sic Suarez *disput.* 35. *sect.* 4. Alterius *disput.* 7. *cap.* 1. Filliuc *tract.* 18. *cap.* 4. §. 6. n. 102. Bauny *de Interd.* 9. 17. *dub.* 4. Palao *disput.* 5. *punct.* 4. §. 4. *num.* 1. & alij.

## QVÆSTIO II.

An interdictus ab ingressu Ecclesie, possit extra Ecclesiam existens, audire diuina, quæ intra Ecclesiam celebrantur?

**A**ffirmare quis, & probabiliter, potest. Quia iste talis non ingreditur Ecclesiam: ergo non vio- lat Interdictum, quo solum priuatur ingressu Eccle- sie. Ita videntur sentire Auila, & Henriquez, mox *quest. sequenti*, *citandi*.

Sed probabilius respondeo: non posse. Quia præ- fatus, quamuis non sit intra Ecclesiam materialiter, & quoad corpus, est tamen formaliter sensu, & ani- mo. Præsertim, quod ex vi huius interdicti, id princi- paliter prohibetur, vt nimirum, non sit particeps eorum, quæ in Ecclesia fiunt. Ex quo fit satis ad fun- damentum pro opposito adductum. Sic Suar. *disput.* 35. *sect.* 4. n. 7. Alter. *disput.* 7. *cap.* 1. *col.* 4. Filliucius *tract.* 18. *cap.* 4. §. 6. n. 104. Bonac. *punct.* 5. *de Interd.* *num.* 11. *in fine.* Reginaldus *lib.* 32. *tractatu* 3. *cap.* 29. *numero* 41. Bauny *quest.* 17. *dict.* 2. Bassæus *Interdictum* 2. *num.* 24. Palao *disputat.* 5. *punct.* 4. §. 4. *num.* 4. Gemin. Antonin. Syluester, Vgolinus, & Sayrus apud illum.

## QVÆSTIO III.

An Sacerdote celebrante intra Ecclesiam possit Subdiaconus, aut Diaconus interdictus ab in- gressu Ecclesie, existens extra Ecclesiam, ca- nere Epistolam, vel Euangelium?

**A**ffirmat Auila *part.* 5. *disput.* 4. *sect.* 3. *dub.* 5. *post conclus.* 5. ex Henriquez *lib.* 13. *cap.* 43. *in Glossa litera R.* *numero* 3. (non 4. vt legi apud Palao.) & alij.

Sed probabilius, & consequenter ad dicta respon- deo: non posse, absque eo quod violet Interdictum, & deinde, incurrat irregularitatem. Quia licet cor- poraliter videatur ministerium Subdiaconi, vel Diaconi exerceri extra Ecclesiam; tamen moraliter intra Ecclesiam fieri censetur: quia sacrum ipsum, cui ministrat, intra Ecclesiam fit, & ad illud coopera- tur, & totum illud ministerium est vnum Officium. Sic Syluester *Interdictum* 6. §. 6. & ex illo Suarez *loc. citato*, *num.* 8. Calder. *tract.* *de Interd.* *part.* 1. *num.* 48. Gemin. & Francus *in cap.* *Is cui*, *de sentent. excom.* in 6. D. Anton. 3. *part.* *tit.* 16. *cap.* 2. §. 2. Alterius *disputat.* 7. *cap.* 1. *col.* 5. *vers.* *Obijciat quis.* Palao cum aliis citatis nuper pro nostra sententia.

## QVÆSTIO IV.

An saltem contra, Sacerdote extra Ecclesiam celebrante, possit Subdiaconus, vel Diaconus interdictus ab ingressu Ecclesie, canere Episto- lam, aut Euangelium intra Ecclesiam, abs- que violatione interdicti, & incurSIONE irre- gularitatis?

**A**ffirmat adhuc ex Henriquez, Auila *loco citato*; quamuis ob defectum impressionis contrarium exprimat.

Sed consequenter, probabilius respondeo: non posse, absque violatione interdicti, & incurSIONE irregularitatis. Quia licet Missa extra Ecclesiam di- catur, tamen de facto actio ministrorum fit in Ec- clesia,

clesia, quod sufficit ad violandum Interdictum ab ingressu Ecclesie latum, & ad incurrendam consequenter irregularitatem, ob solemnem administrationem Ordinis. Sic Suar. Alter. & alij nuper citati.

#### QVÆSTIO V.

*An in præfatis casibus, non solum Subdiaconus, aut Diaconus incurrat irregularitatem; verum etiam, ipse Sacerdos celebrans?*

**A**ffirmat Syluester *loc. cit.* his verbis: Presbytero celebrante Missam in Ecclesia, si Subdiaconus, cui est interdictus ingressus Ecclesia, dicit Epistolam extra Ecclesiam in illa Missa, vel Diaconus sic interdictus Euangelium, ipse Presbyter scienter tales, vt *sup.* admittens est irregularis participando in crimine criminoso, quod participium videtur esse in Ecclesia: quia & illi eo casu efficiuntur irregulares propterea quod vnum est officium, & principaliter in Ecclesia celebratum, cui in actu sibi prohibito cooperantur, *distinet. 50 si quis vidua.* Si verò è contrario Subdiaconus, cui est interdictus ingressus Ecclesie, dicit Epistolam in Ecclesia in Missa, quam Sacerdos celebrat extra Ecclesiam, irregularis est: quia in Ecclesia verè & de facto id fecit, & sic in loco prohibito, cap. *Is qui, de sentent. excommun. lib. 6.* & idem de Diacono, & Euangelio. Presbyterum autem Sum. Ros. non audet dicere irregularem, licet videatur participare in culpa, ne principale, vel dignius trahatur ad accessorium, vel minus dignum. Ego verò dico, quod irregularis, quia æquè, vel magis participat, sicut in priori casu, quo idem dixit irregularem. Regula autem iuris, *quod accessorium naturam sequi congruit principalis*, fallit, vbi est periculum animæ: vt *de iurciur. debitores*, & cap. *Cum contingat.* Et præterea celebrationi non accedit cum isto Subdiacono, quia celebrari potest cum alio, vel sine. Hucusque Syluester.

Sed probabilius respondeo: nullo modo in præfatis casibus, Sacerdotem celebrantem incurrere irregularitatem, ex eo, quod participet cum Ministris in crimine, vt ait Syluester. Quia nulla irregularitas (ait Suarez) est in iure lata contra sic participantes, sed solum contra ipsum Clericum violentem Censuram, qua ipse est ligatus, vt patet ex dict. cap. *Is cui.* Nisi ergo ipse Sacerdos ab ingressu Ecclesie interdictus sit, hanc irregularitatem non incurrit. Et tunc necesse est, vt intra Ecclesiam sacrum faciat. Nam si extra Ecclesiam diceret, licet Diaconus: verbi gratia, intra Ecclesiam caneret Euangelium, Sacerdos non fieret irregularis: quia principalis actus eius, extra Ecclesiam fit. Sic Suarez *disputatione 35. sectione 4. numero 8.* Alterius *disputatione 7. cap. 1. in fine.* Henriquez *lib. 13. capite 43. numero 3.* Auila *parte 5. disputatione 4. sectione 3. dubio 5. conclusionem 5. vers. Sed mihi videtur.*

#### QVÆSTIO VI.

*An interdictus ab ingressu Ecclesie, possit in Cæmeterio Missam dicere, aut illam, & alia diuina, audire, si sibi dicantur?*

**N**egat apud Dianam, Villalobos *tomo 1. tract. 19. difficultate 9. numero 5.* per hæc verba: Ha se de aduertit que aunque en el Cæmeterio se dixesse la Missa, ò el Officio diuino, no puede assistir alli, el que esta desta manera entredicho, porque por nombre de Iglesia, tambien se entiende el Cæmeterio como nota la Glossa *in dict. cap. Is cui*, y se colige de vn texto (cap. *Si Ciuitas, de sentent. excommun. in 6.*)

y tiene esta sentencia Abad, y ha se de entender del Cæmeterio contiguo, como se colige del texto citado. Ita ille. Cui ego addo Auilam *part. 5. disput. 4. sect. 3. dub. 5. conclus. 5.* Hurtadum *de Interd. diff. 9. num. 31.* Portellium *verb. Interdictum, num. 50.* Luyfium *lib. 6. disput. 50. dub. ultimo, in fine*, qui tamen, non solum de Cæmeterio contiguo Ecclesie id verum esse putant, verum etiam de non contiguo loquendo; quia etiam hoc, nomine Ecclesie, comprehenditur.

Sed probabilius respondeo: dicendum, quod interdictus ab ingressu Ecclesie, optimè possit in Cæmeterio Ecclesie, etiam contiguo, Missam dicere, aut illam, & alia diuina audire. Quia nomine *Ecclesie*, positum in lege pœnali, qualis est ista, presè, strictè, ac rigidè est intelligendum, & ideo excludit Cæmeterium, & alium locum non sacrum; ergo quilibet Sacerdos ab ingressu Ecclesie interdictus, haud dubiè poterit celebrare extra Ecclesiam, non solum sub diu, vel in tentorio, vel in Oratorio priuato non erecto autoritate Episcopi, vt concedunt Auila *loc. cit.* Nauar. *c. 27. n. 170.* Couar. *cap. Alma, p. 2. §. 1. n. 3.* Henriq. *lib. 13. cap. 32. n. 2.* & alij: verum etiam in Cæmeterio Ecclesie contiguo, vel non contiguo. Sic Suar. *disp. 35. sect. 4. à n. 9.* Alter. ex illo non citato, *disp. 7. cap. 2. col. 6. vers. Sed hic dubitari potest.* Filliuc. *tr. 18. cap. 4.* (non 5. vt leges apud Dianam) *n. 103.* Reginald. *lib. 32. cit. tr. 3. n. 41.* Diana *p. 5. tr. 10. ref. 75.* Bonac. *de Interd. punct. 5. n. 11.* Bauny *tract. de Interd. q. 17. dicto 3.* Bassaus *Interdictum 2. num. 23.* & Palao *disput. 5. punct. 4. §. 4. num. 3.* Vgolinus, Sayrus, & alij ab ipso citati.

#### QVÆSTIO VII.

*An interdictus ab ingressu Ecclesie, non solum priuetur sepultura in Ecclesia; verum etiam in Cæmeterio?*

**N**egandum ex parte, ex dictis suaderi potest. Quia sicut iste non priuatur per tale Interdictum, quominus extra Ecclesiam, in Cæmeterio diuina celebrare, aut audire possit; ita non debet censerì priuatus, quominus saltem extra Ecclesiam, etiam in Cæmeterio sepeliri queat.

Sed vt certum respondeo: non solum priuari sepultura in Ecclesia; verum etiam in Cæmeterio eius. Quia hoc expressè prohibetur in cap. *Is cui, de sentent. excommun. in 6.* ibi: *Talis quoque, si hoc interdicto durante, decedat, non debet in Ecclesia, vel Cæmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri.* Sic textus. Ex quo constat, quod licet interdictus ab ingressu Ecclesie, possit licitè in Cæmeterio Ecclesie diuina audire, vel obire, non tamen possit adhuc in Cæmeterio sepeliri; quia hoc est prohibitum, non illud. Sic omnes. Legantur inter alios Suarez, & Alterius *loco citato.*

#### QVÆSTIO VIII.

*An dictus interdictus ab ingressu Ecclesie, si moriatur cum signis pœnitentie, possit intra Ecclesiam sepeliri, etiam absque Interdicti ulla absoluteione?*

**A**ffirmat Diana, ex Cornejo *parte 5. tractatu 10. resolutione 74.* his verbis. Sed in tali casu, ad talem sepeliendum, nullam adhibendam esse absoluteionem docet Cornejo *in 3. part. tract. 5. de Interd. disput. 2. §. 4. q. 2.* Vbi sic ait: *Quæres, an hoc Interdictum priuet Ecclesiastica sepultura? Responderetur affirmatiuè ex textu in d. cap. Is cui, ibi: Talis quoque si hoc Interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia, vel*

vel Cœmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri. Vbi nota, quod vt iste talis sepeliatur in loco sacro, nulla requiritur absolutio à tali Interdicto ab homine, facto, vt cum Couarruuia docet Auila *part. 5. disputacione 4. sectione 3. dub. 1. conclus. 1.* Et ratio est, nam eo ipso, quod decessit cum pœnitentia, mansit absolutus à iure, siquidem hoc interdictum, quantum ad hunc effectum, positum erat, nisi pœnituerit, atque ita, conditione impleta, sublatum manet, ita Cornejo, & ego. Hucusque Diana. Qui etiam pro se citare poterat Ioannem Andr. & Francum *in d. cap. Is cui*, vt pro hac parte citat Couarruuias, Ancharan. *ibid.* & Henriquez *lib. 13. cap. 32. num. 2.* apud Auilam *loc. cit.* Innocent. Geminian. & alij penes Alterium, mox citandum.

Sed probabilius respondeo: dicendum, quod etiam in dicto casu requiratur interdicti relaxatio, & absolutio. Quia probabilius est, quod sententiæ Censurarum, requirunt absolutionem, etiam post mortem, vt habetur in cap. *A nobis 2. de sent. excom.* & constat ex dictis sup. *tr. 1. de Censur. in com. disp. 11. a. 9. 2. & tract. de excom. disp. 11. q. 5.* & certè, requiri saltem declaratione, quod reuera interdictus pœnituerit, ex *ibid.* dictis clarè liquet. Sic Alter. *de Interd. disput. 7. cap. 2. col. 11. vers. Quare dicendum*, ex Ioan. Andrea, & aliis. Bonac. *punct. 5. de Interd. num. 11.* Suarez *disputat. 38. sect. 1. num. 21.* Qui benè explicat textum cap. *Is cui*, dicens, sensum illius esse, quod quando aliquis sic interdictus signa pœnitentiæ exhibuit, relaxari debeat interdictum, vel etiam possit à quolibet Sacerdote, vt sepultura non negetur. Nam quia interdum solent iura priuare sepultura Ecclesiastica, propter peccatum, etiam si ante mortem pœnitentia præcedat, vt patet ex cap. *1. de Torneamentis.* & ex cap. *2. de raptorib.* ideo specialiter expressum est in eo textu, vt propter tale delictum, vel Interdictum, si pœnitentia præcedat, sepultura Ecclesiastica non denegetur; id tamen intelligendum est, seruato debito Ordine, quod nimirum, relaxatio interdicti præcedat. Sic Suar. Bassæus etiam *verb. Interdictum 2. n. 23.* Filliuc. *tract. 18. cap. 5. quest. 5. num. 121.* Luylius *lib. 6. disput. 54. dub. 3.*

## QVÆSTIO IX.

*An interdictus ab Ecclesia, possit intra illam Sacramenta recipere?*

Affirmat Diana *part. 5. tract. 10. resolut. 73.* Quia, inquit, interdicto ab Ecclesia non prohibetur vsus Sacramentorum, sed vsus diuinorum Officiorum, & sepulturæ: ergo. Ita ille, citans pro se Henriquez *lib. 13. cap. 32. num. 2.* & Auilam *part. 5. disp. 4. dub. 5. concl. 6.* & Bonacinam *punct. 5. num. 12.* & benè. Addere tamen poterat Calderinum, Geminianum, Ancharan. Francum, & Nauarrum apud eundem Auilam, & Palao *disput. 5. punct. 4. §. 4. num. 7.*

Sed probabilius respondeo: non posse. Quia probabilius est, Interdicto ab ingressu Ecclesiæ, non solum vsus diuinorum Officiorum, sed etiam Sacramentorum, prohiberi: cum Ecclesia non tantum instituta sit ad diuina Officia celebranda, sed etiam ad Sacramenta ministranda, & suscipienda, vt benè Hurtado. Sic ille, *de Interd. diff. 9. num. 31.* & antea Angel. *suspensio 3. num. 4.* Syluest. *verb. Suspensio. q. 5. circa finem.* Suarez *disput. 35. sect. 4. num. 5. & 20.* Ægid. *disp. 17. dub. 2. n. 59.* Alterius *disp. 7. de Interd. cap. 2. col. 2.* Gordonus *tom. 2. lib. 7. q. 16. cap. 8. n. 56.* Filliuc. *tract. 18. cap. 4. q. 6. num. 103. & 105.* Bauny *tract. 9. de Interd. questione 17. dubio 7.* Villalobos *tractatu 19. difficultate 9. numero 3. & 4.* Sayrus *lib. 5. capite 9. numero 21.* & Laymann *lib. 1. tractatu 5. parte 4. capite 1. circa finem.*

R. P. Leand. de Censuris.

## QVÆSTIO X.

*An interdictus ab ingressu Ecclesiæ, possit ingredi Ecclesiam ad priuatim orandum, tempore quo non celebrantur diuina Officia?*

Affirmandum videtur. Quia excommunicatio est grauior Censura interdicto, & tamen non priuat excommunicatum, ne possit Ecclesiam ingredi, & ibi orare, quando diuina non celebrantur, vt supra est habitum: ergo nec priuabit Interdictum. Propter hoc, id tenent, & satis probabiliter, Nauarrus *cap. 27. num. 170.* Couarruuias *in cap. Alma, part. 2. §. 1. num. 3. vers. Poterit tamen*, citans Ancharanum, Calderinum, Dominicum, & Francum. Quibus addi possunt Innocent. & Gemin. apud Alterium, Syluester *vers. Suspensio quest. 5.* & Angelus *suspensio 3. num. 6.* apud Suarium, Henriquez, Auila, & Bonacina *locis* pro prima sententia *quest. antecedentis, citatis*, Hurtadus etiam, Ægidius, & Villalobos, pro nostra adducti. Diana *tractatu 10. cit. resolut. 72.* Bassæus *Interdictum 2. numero 24.* Reginaldus *lib. 32. tractatu 3. capite 30. numero 41.* Palao *disputacione 5. punct. 4. §. 4. num. 5.* Sayrus, Laymann, & Costa, penes ipsum.

Sed probabilius respondeo: non posse, loquendo in rigore iuris. Primò, quia sic colligitur ex cap. *Latorem 33. quest. 2. ibi: Ita vt per annum integrum Ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores Basilicæ stans, orans, & deprecans Deum perseueret.* Quæ verba aperte denotant, ne talis interdictus possit licitè fundere preces, seu priuatim orare in Ecclesia, sed omnino extra illam orare debere. Id namque significat illa particula aduersatiua, *sed ante fores*, &c.

Secundò, quia verba hæc, *Ab ingressu Ecclesiæ*, propriè sumpta, totam hanc prohibitionem denotant. Vnde licet excommunicatio sit grauior Censura, quàm hoc Interdictum, quæ repellit tantum excommunicatum ab Ecclesia, tempore, quo diuina celebrantur Officia; tamen non est absurdum, vt hoc Interdictum, secundum quid excedat excommunicationem, cum per verba specialia feratur, quæ in re vim habere videntur. Ex quo patet ad fundamentum contrariorum. Sic Alterius *disputacione 7. de Interd. cap. 2. columna 3.* Suarez *disputat. 35. sect. 4. a numero 20.* ex Innocent. Abbate, Calderino, Felino, Vgolino, Syluestro, Monaldo, & aliis. Filliucius *num. 105. citat.* Comitulus *lib. 6. quest. 49. n. 5.* Cornejo *disputat. 2. de Interd. §. 4. quest. 1.* Gordonus *loco nuper citato.* Bauny *de Interd. questione 19. dub. 5.* & penes ipsum, Benzon. & Rosella.

## QVÆSTIO XI.

*An saltem interdictus ab ingressu Ecclesiæ possit illam ingredi, ibique loqui, disputare, aut aliud simile agere?*

Negant adhuc Abbas *in cap. Cum Ecclesia, de Immunit. Eccles. num. 5.* Calderin. *tract. de Interd. part. 1. num. 50. vers. Sed queritur*, quos citat, & sequitur Gordonus *tom. 2. lib. 7. quest. 16. cap. 8. num. 56.* Quia (inquit) probabilius est, omnem ingressum Ecclesiæ homini sic interdicto esse prohibitum, quia nulla est ratio cur à verborum proprietate discedamus. Ille verò suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, idque simpliciter, & non restrictè: ergo. Ita Gordonus.

Sed probabilius respondeo: posse. Quia probabilius est, quod quando in præsentem materia, prohibetur ingressus Ecclesiæ, debeat accipi Ecclesia formaliter, vt Ecclesia est, id est, vt est locus sacer

solemniter institutus ad orandum Deum, vel alia sacra facienda: idcirco negandum est, ex vi huius interdicti esse prohibitum ingressum in Ecclesiam, quasi materialiter sumptam, ita ut interdictus non valeat per Ecclesiam transire, vel loqui, aut disputare, aut quidpiam simile; quia tunc vritur Ecclesia, ut est quidam communis locus, non autem, ut est locus sacer ad aliquem sacrum usum destinatus, sicut iura loquuntur de Ecclesiis. Sic Suarez *disp. 35. sect. 4. num. 23.* Alterius *disputat. 7. cap. 2. col. 5. vers. Verum valde probabile.* Cornejo §. 4. *cit. pag. mibi 745.* & à fortiori, Henriquez, Nauarrus, Couarruias, Auila, Bonacina, Hurtadus, Bassæus, Diana, & alij pro prima sententia quæstionis præcedentis.

### QVÆSTIO XII.

*An etiam interdictus ab ingressu Ecclesie, licitè valeat concionem in ea audire?*

**N**egant & à fortiori Abbas, Calderinus, & Gordonus nuper citati.

Sed probabiliùs respondeo: etiam posse. Quia (inquit Suarez) licet concio, aliquo modo sit sacra, non tamen ita propriè, ac per se pertinet ad munus Ecclesie, quatenus templum est Deo dicatum, sicut pertinet Oratio, & aliæ actiones similes. Item, quia Verbum Dei nunquam prohibetur, est enim ad conuersionem maximè necessarium. Sic ille *loco cit. num. 24.* Alterius *loco cit. vers. Quæret aliquis.* Filliuc. *tractatu 18. cap. 4. quæst. 6. num. 105.*


### QVÆSTIO XIII.

*An interdictus ab ingressu Ecclesie, possit etiam exercere in ea actus pertinentes ad iurisdictionem Ecclesiasticam fori exterioris, ut sunt eligere, absoluerè à Censuris, & similes?*

**N**egabunt consequenter Abbas, Calderinus, & Gordonus, cum sentiant per hoc interdictum, prohibitum esse simplicem & nudum ingressum Ecclesie.

Sed probabiliùs multò respondeo: posse. Quia probabiliùs multo est, non esse prohibitos exerceri in Ecclesia dictos actus, ex vi huius Censuræ. Quia respectu illorum etiam se habet Ecclesia merè materialiter, & alioquin tales actus non prohibentur ex vi specialis interdicti: ergo. Sic Nauar. *cap. 27. num. 161.* Couar. *in cap. Alma, p. 2. §. 1. num. 3.* Qui id probant ex cap. *Sacro, de sentent. excommunic.* & ex *Glossa ibid. verb. Interdictum.* Suarez, Alterius, & Bonacina *loc. cit.* Auila *part. 5. disput. 4. sect. 3. dubio 5. conclus. 5. vers. Præterea nota,* & alij. Qui notant, non posse prædictum, absoluerè sacramentaliter; cum hic actus, non sit solius iurisdictionis, sed etiam Ordinis.

Nota ex Suario *disput. 35. sect. 4. n. 5. in fine,* quod priuilegium concessum pro illis quatuor festiuitatibus, in quibus per cap. *Alma* permittitur interdictis interesse diuinis, extendatur ad interdictos ab Ecclesie ingressu, & meritò, cum hi, non efficacius excludantur à diuinis Officiis, quàm absolutè interdicti. Sic ex Suario etiam Palao *loc. cit. num. 9.*



### DISPUTATIO VIII.

*De Peccatis, & Pœnis violentium Interdictum.*

### QVÆSTIO PRIMA.

*An Clerici violantes quodcumque Interdictum circa diuina Officia, peccent mortaliter?*

**N**egant nonnulli Doctores, quos ex parte sequitur Sa *verb. Interdictum, n. 25. in antiquis,* ubi ita ait: Violare Interdictum, quidam negant esse mortale, si absit contemptus, & scandalum. Certè Clericus, nisi sit in sacris, & solemniter celebret, non videtur peccare mortaliter violando Interdictum. Ita ille. Qui hac in re, sequutus fuit Caietanum *in sum. verb. Interd. violatio.* Vbi docuit. *Primò,* quod Interdictum solum obligat Clericos, & non in omnibus actibus, sed tantum, ne exerceant aliquem actum certo Ordini deputatum. *Item,* quod si Clerici violent Interdictum, quamuis tale peccatum videatur esse mortale, non tamen sit tale in rei veritate. Hæc in Summa Caietanus. Cuius sententiam, non esse improbabilem, fatetur clarè Tannerus *tom. 4. disp. 6. quæst. 10. dub. 8. num. 152.*

Sed ut certum respondeo: dicendum, quod Clerici, tam sæculares, quàm Regulares, violantes quodcumque Interdictum, siue personale, siue locale, circa celebrationem Missæ, aut aliorum diuinorum Officiorum, verè peccet mortaliter; nisi aliàs inaduertentia, in deliberatio, aut paruitas materiæ eos à mortali excuset, de quo infra. Ratio est, quia iura directè per se, & grauius prohibent has actiones Clericis, ex vi Interdicti; & aliàs materia talis prohibitionis est grauis: ergo tale præceptum obligat Clericos sub mortali. Sic Sot. *d. 22. q. 3. art. 1. concl. 5.* Nauar. *cap. 27. num. 187.* Henriq. *lib. 13. cap. 43.* (non 22. ut offendens apud Dianam) *n. 2.* & penes ipsum, *in marg. lit. O. Syluest. Felic. & Palud. & idem docet cap. 46. n. 3.* & alij apud ipsum, *lit. N.* Suarez *disputatione 34. sect. 4. à num. 4.* Alterius *disput. 8. cap. 2. col. 2.* Angles *in florib. in quæst. de excommunicat. art. 6. de Interd. diff. 3. concl. 1.* Filliucius *tract. 18. cap. 3. quæst. 9. à num. 81.* Aegidius *disputat. 17. dub. 3. n. 64.* Bonacina *de Interd. punct. 7. num. 3.* Auila *part. 5. disput. 5. dub. 2. concl. 1. & 2.* Hurtadus *diff. 10.* Diana *part. 5. tract. 10. resolut. 68.* Machado *lib. 1. p. 3. tractatu 13. docum. 12. num. 1.* Bauny *tractatu 9. de Interdict. quæst. 11. dicto 1.* Palao *disputat. 1. de Censuris puncto 5. num. 1. & 2.* & communis.

### QVÆSTIO II.

*An Clericus violans Interdictum per exercitium alicuius Ordinis Minoris, peccet mortaliter?*

**N**egat Bonacina *de Interd. punct. 7. n. 4. vers. Dixi in propositione,* eo quod hæc non censeatur materia grauis. Citatque pro hac sua sententia Suarium *disput. 34. sect. 4. n. 10.* Reginaldum *n. 51.* & Auilam *p. 5. disput. 5. dub. 2. notab. 1.* Sed ex iis, non bene Suarez, ut *infra.* Negat etiam Palao *disput. 5. punct. 5. num. 3.* Qui etiam citat Suarium pro se.

Sed probabiliùs respondeo: peccare mortaliter exercendo actum etiam Minoris Ordinis si id faciat modo proprio Clericorum. Quia probabiliùs est, hæc materiam esse sufficientè ad constituendum peccatum mortale. Nam cum sit actio sacra, ad quam exercendam talis Clericus est ordinatus Minister ex Officio, & Ecclesia directè interdicit illud ministerium, non caret culpa graui, qui illud præceptum transgreditur. Sic verbis expressis Suarez *loco citato,* & ex illo, non citato, Alterius *disputatione 8. capite 2. columna 5. versu,* Hæc secunda sententia. Quamuis aduertant, quod licet hæc per se vera sunt, tamen secundum

secundum præsentem consuetudinem, vix dari possit vsus Minorum Ordinum, ita proprius Clericorum, vt non possit per laicos exerceri; & ideo quantum ad proximum attinet, hæc quæstio ferè iam locum non habeat, nisi quatenus est communis laicis, de quibus infra est dicendum. Tenent deinde hanc partem, Syluester, ex Abbate *Interdictum* §. 5. vers. *Primum quod prohibetur*, & §. 6. versu, *Quarto quaritur*, & §. 7. in princip. & Filliucius tract. 18. cap. 3. §. 9. num. 83. in fine. Citatque Auila pro ipsa, Sotum *distinct.* 22. quæst. 3. artic. 1. post conclus. 5. Sed malè, cum potius aliquo modo videatur oppositum indicare, vt bene Alterius loco citato.

QVÆSTIO III.

An, si Clericus, seu Religiosus, publicè canat cum alijs in Choro Vesperas, aut Completorium, tempore Interdicti, mortaliter peccet?

Respondeo tanquam certum, ex dictis: Mortaliter peccare, si talis Clericus, seu Religiosus, vt persona Ecclesiastica, ad tale munus deputata, illud munus exerceat; prout esse intelligitur, quando vt pars, & membrum Cleri, seu Communitatis Ecclesiasticæ, illud Officium celebrat. Ratio est, quia in materia notabili, & graui violat Interdictum. Secus esset dicendum, si solum caneret vnum, aut alterum versum, imò etiam vnum Psalmum, nam tunc, secluso scandalo, ob materiæ paruitatem non peccaret mortaliter. Sic Suarez *disput.* 34. *sect.* 4. num. 10. Alterius *disputat.* 8. cap. 2. *dub.* 2. Egidius *disputat.* 17. *dub.* 3. (non 43. vt leges apud Bauny) num. 65. Bauny tract. 9. quæst. 11. Reginaldus *lib.* 32. cap. 30. num. 46.

QVÆSTIO IV.

An etiam peccaret mortal. Sacerdos, qui tempore Interdicti, publicè caneret in Officio Orationem, præmissa, Dominus vobiscum?

Negandum videtur, ob materiæ leuitatem. Minor namque hæc materia est, quam vnus Psalmus, &c. ergo.

Sed longè multò probabilius respondeo: peccare etiam mortaliter. Quia longè probabilius est, talem materiam esse grauem. Nam licet, quantitate non sit magna, tamen qualitate, & æstimatione est talis, cum sit actus Ordinis sacri proprius. Et certè in hac materia, non ex sola illius longitudine, grauitas æstimanda est, sed etiam ex magnitudine auctoritatis, & solemnitatis cum qua profertur. Sic Suarez, Alterius, Reginaldus, & Bauny loco citato. Necnon Egidius, per hæc verba: In functionibus tamen sacro Ordini deputatis etiam paruis, quales sunt, Sacramentorum administratio, solemnis aquæ benedictio, vel aspersio solemnibus Euangelij, Epistolæ, vel etiam Orationis, præmissa Dominus Vobiscum, tempore diuini Officij, decantatio, Doctores communiter, propter actionum earum, etsi breuium, dignitatem, materiam grauem constituunt.

Sic ille. Cui in omnibus consentit Bauny, addens ex Reginaldo, idem esse iudicandum de Benedictione solemnibus, quam Episcopus fidelibus impertire solet.

\* \* \*

QVÆSTIO V.

An celebrare in Ecclesia interdicta, præmissa vna tantum circumstantia ex requisitis in cap. Alma mater, vt v.g. celebrare diuina Officia, ianuis apertis, vel non voce submissa, sit mort. peccatum?

Negare videtur Luysius *lib.* 6. de Censur. *disput.* 49. *dubio* 5. quatenus docet, nullo modo colligi ex iure, omissionem circumstantiæ vnus, vel alterius præcisè, absque scandalo, & contemptu, neque ex intentione tribuendi aliis occasionem audiendi diuina Officia tempore Interdicti, fore mortalem. Luysius sequitur Diana *parte* 5. tract. 10. *resolut.* 65.

Sed probabilius longè respondeo: esse mortale. Quia quælibet illarum conditionum per se est prohibita in cap. Alma, §. Adycimus, & olim in cap. Permittimus, de sentent. excommunic. & cap. Quod in te, de Pœnitent. & remiss. Et fauet Clement. 1. de sentent. excommun. vbi interdicti transgressio, vt valde grauis exaggeratur, eo quod ianuis non omnino apertis, sed perforatis, seu fenestris in eis factis, diuina Officia celebrantur. Sic Syluester *Interdictum* §. quæst. 5. in princip. Tabiena num. 2. Armilla num. 43. qui citant Hostiensem, Ioann. Andream, Calderinum, & alios. Couarruias in cap. Alma, part. 2. §. 4. num. 6. vers. Decimo quarto. Suarez *disputat.* 34. *sect.* 4. num. 12. Alterius *disputatione* 8. cap. 2. quæst. 4. Hurtadus *difficultate* 10. num. 32. Filliuc. tract. 18. cap. 3. quæst. 9. num. 84. Qui omnes notant, quod ad incurrendam culpam mortalem ob huiusmodi transgressionem, requiratur, vt circumstantiæ omisæ sit coniunctum Officium diuinum. Vnde si apertis ianuis, vel pulsatis campanis conuocaretur populus ad Missam, aut Officium diuinum, si postea non celebraretur, illa non esset grauis transgressio exterior ex vi interdicti. Deinde, quod debeat Officium, seu Missa in notabili parte celebrari, sine tali circumstantia; vnde si quis Ecclesiam ingrediens, relinqueret ianuam apertam per modicum tempus, etiam si interim celebraretur Missa, non peccaret mortaliter ob paruitatem materiæ.

QVÆSTIO VI.

An laici mortaliter peccent, violando Interdictum personale, circa Officia diuina?

Negat Caietan. in sum. verb. Interdicti violatio. Inquit namque primò, Interdictum obligare solos Clericos; & hoc non in omnibus, sed ne exerceant actum aliquem Ordinis. Quod vltimum aperte falsum est, quia aliàs Religiosi non Ordinati, & Moniales non violarent interdictum publicè canendo Officium diuinum; quod falsum esse constat ex dictis. Secundo inquit, quod laicus specialiter interdictus, peccat si ingerat se diuinis: non verò si est generaliter interdictus, quia est vnus de populo interdicto. Sed certè hæc dicta nec satis sibi coherent, nec habent fundamentum vllum, vt bene vidit Egidius. Citat etiam pro hac parte, Castro Palao, Nauarrum cap. 27. n. 187. Sed omnino malè, cum expressè contra Caietan. scribat ibi. Vnde

Tanquam certum respondeo: dicendum, quod laici mortaliter ex suo genere peccent, violando circa Officia diuina, personale interdictum, non solum speciale, sed etiam generale. Ratio est, quia Interdictum personale est Censura directè imposita ipsi personæ: ergo quod illa persona sit Clericus, vel laicus, non impedit quominus talis Censura inducat obligationem, quam Ecclesia iuxta materiæ qualitatem imponere



imponere voluit: at hæc materia est grauis, cum ad communicationem rerum diuinarum spectet: ergo. Sic communiter omnes. Legantur Nauar. c. 27. n. 187. Sot. dist. 22. q. 3. art. 1. concl. 6. Suar. disp. 34. sect. 5. num. 1. Alter. disp. 8. cap. 3. col. 3. Filliuc. tract. 18. cap. 3. q. 9. n. 85. Ægid. disp. 17. dub. 3. n. 64. & 67. Henriq. lib. 13. cap. 46. n. 3. Auila p. 5. disp. ut 5. dub. 2. conclus. 1. Bonac. punct. 7. de Interd. n. 1. vers. Dixi, violantes Interdictum locale. Palao disputat. 5. punct. 5. num. 6. Laymann lib. 1. tractatu 5. part. 4. cap. 3. num. 3. & alij.

#### QVÆSTIO VII.

*An etiam sit certum, quod laicus peccet mortaliter, violando Interdictum locale generale, vel speciale?*

**R**espondeo esse certum ex communi sententia, peccare mort. in sequentibus casibus. *Primò*, si adfit scandalum. *Secundò*, si per vim ingrediatur ad audienda Officia diuina, vel si postquam est ingressus non obtemperat Ministris Ecclesiæ volentibus eum excludere. *Tertiò*, quando est causa, quod Officia diuina celebrentur in loco interdicto, ipso laico præsentem, vel rogando, vel præcipiendo. *Quartò*, quando exercet ea Officia diuina in loco interdicto, quæ si Clericus exerceret, violaret Interdictum, vt si in choro publicè dicat Horas, & Officia diuina. Quo in casu adhuc posset laicus puniri per Iudicem Ecclesiasticum, eo quod delictum est Ecclesiasticum. Sic tenent, & supponunt communiter omnes. Nauar. cap. 27. num. 187. Henriq. lib. 13. cap. 46. num. 3. Sot. dist. 22. q. 3. art. 1. concl. 6. Auila p. 5. disp. 5. dub. 2. concl. 2. vers. Supponendum est. Alterius disp. 8. cap. 3. col. 3. vers. Secundo dicimus. Palao loc. cit. num. 5. & alij penes ipsos.

#### QVÆSTIO VIII.

*An etiam peccet mort. laicus, qui mentiendo se habere Bullam, aut Ordinem, decipit Sacerdotes, vt illum ad diuina admittant?*

**N**egat Henriq. cap. 46. cit. n. 3. iuncta Glossa lit. H. per hæc verba: Tertiò dum ab Ostiario interrogatus, quidam aiunt peccare mortaliter, si mentiatur se esse Clericum, aut habere Bullam, & sic præsumat interesse diuinis. At sanè (addit in Glossa) non est mortale, nisi resikat vir: nec Ianitor imponit nouum præceptum, sed est executor legis. Ita Henriq. qui & citat pro se Syluestrum, Armillam, Alcocer, & Caietanum. Imò & Suar. *ubi infra*, citat pro hac parte Nauarrum cap. 27. n. 187. Sed non ita benè, vt mox videbimus.

Ego probabiliùs respondeo: peccare etiam mortaliter. Quia tale mendacium est contra vigorem interdicti, & contra intentionem Ecclesiæ, quæ maximè intendit grauari populum, hac Censura, eum expellendo à diuinis: quod frustra fieret, si per huiusmodi fraudes, possent laici vitare effectum interdicti, sine culpa mortali. Sic Suarez disp. 34. sect. 5. n. 5. vers. Dices, *reueri*. Auila p. 5. dub. 5. dub. 2. concl. 2. vers. Supponendum est. Alterius etiam loc. cit. citans vterque, cum Henriq. pro hac parte Nauarrum n. 187. cit. vers. Decimo octauo dico, in fine. Et benè: ait namque contra Caietanum, sic: Quartò peccat, (subintellige, ex antecedentibus, mortaliter,) cum mentiendo, asserens esse Clericum minorum, aut priuilegium, intraret ad audienda diuina Officia verita, vbi dicebantur ianuis clausis. Hæc Nauar. Sic etiam Palao disp. 5. punct. 5. n. 5. & penes ipsum, Ægid. disp. 17. dub. 2. n. 68. Laymann cap. 3. cit. num. 2. & Sayrus lib. 5. cap. 14. n. 2. idem docentes de illo laico, qui persuaderet Clericum, vt in loco interdicto celebraret publicè, fingens non esse interdictum.

#### QVÆSTIO IX.

*An deinde, laicus non interdictus peccet etiam mortaliter, audiens diuina Officia, præcipuè Missam, in loco interdicto?*

**N**egant absolutè aliqui Doctores, existimantes, laicum prædicto modo assistentem diuinis Officiis, nullum peccatum, adhuc veniale, committere: eo quod nullum sit præceptum in iure, quod dirigatur ad laicos, sed tantum ad Clericos, ne admittant laicos non priuilegiatos ad diuina Officia in loco interdicto, vt patet cap. Responsum, de sent. excom. cap. Non est vobis, de sponsal. & cap. licet, de priuileg. in 6. & vbi nullum est præceptum, nullum est peccatum. Ita tenent Caiet. in sum. verb. Interdicti violatio, aded, vt consulat dictis laicis, vt audiant Missam in loco interdicto, maximè in festis. Nauar. cap. 27. n. 187. vers. Decimo octauo. Vbi ita ait: laicus non dicitur violare interdictum vllum, quamuis sit validum, & denunciatum, audiendo Missam, vel alia diuina Officia in loco interdicto. Ita ille. Pro quorum sententia esse videtur Machado lib. 1. p. 3. tract. 13. docum. 11. n. 2. citatque pro ea Auilam; sed certè omnino malè: quia hic Author, solum ait, hanc sententiam esse valde probabilem, quod idem firmat Alterius *ubi infra*.

Negant rursus alij Authores, docentes, laicum in tali casu, solum peccare venialiter. Quia (inquit Auila) licet præceptum iuris non dirigatur ad laicos, tamen ipsi faciunt contra intentionem virtuales Clericorum. Ita ille, p. 5. disput. 5. dub. 2. vers. Quamuis hac sententia, & penes ipsum, Syluester Interdictum 6. num. 7. Angel. Interdictum 7. n. 9. Sot. in 4. dist. 22. quest. 3. art. 1. concl. 6. & Henriq. lib. 13. cap. 46. n. 3. Quibus addi possunt apud Dianam, Laymann lib. 1. tr. 5. p. 4. cap. 3. n. 2. Valent. tom. 4. disput. 7. q. 18. punct. 2. ad finem, & Regin. lib. 32. tr. 3. cap. 30. n. 42. quos ipse Diana sequitur p. 5. tract. 10. resol. 68. Ita adhuc tenent Alterius disput. 8. de Interd. cap. 3. col. 5. vers. Tertia est sententia media probabilior. Citat etiam Bonacina pro hac parte Caietanum, & Nauarrum, sed vt iam vidisti, malè valde.

Sed ego probabiliùs respondeo: dicendum, quod laicus non interdictus audiens Missam, aut alia Officia diuina in loco interdicto, omnino peccet mortaliter. Quia probabilius est, quod per Interdictum locale, siue speciale, siue generale, saltem indirectè prohibeatur laicus, ne in loco interdicto, diuinis intersit: nam sanè non ob aliam rationem laicus non interdictus eiiciendus est à loco interdicto, ne ibi diuinis intersit, nisi quia prohibitus est eis assistere, ergo. Sic Innocent. & Hostiens. apud Syluestrum loc. cit. Suarez disp. 34. sect. 5. à n. 4. Ægid. disput. 17. dub. 3. num. 68. & 69. Filliuc. tr. 18. cap. 2. n. 54. & præcipuè cap. 3. q. 9. num. 85. Præposit. in 3. p. 9. 4. de Interd. dub. 5. n. 54. Bonacina de Interd. punct. 7. n. 1. Hurt. de Interd. diff. 10. n. 33. Viuald. de Interd. n. mibi 281. Bassæus Interdictum 3. n. 1. qui tamen malè citat Caietanum, & Nauarrum pro secunda sententia. Villalob. tract. 19. diff. 9. num. 5. Sayrus lib. 5. cap. 14. num. 5. Luyfius lib. 6. disputat. 49. dub. 6. qui tamen non rectè citat Syluestrum pro se.

#### QVÆSTIO X.

*An violare Interdictum quodcumque, tam personale, quàm locale, in materia Sacramentorum, sit culpa mortalis?*

**R**espondeo tanquam certum: esse mortalem culpam, ex genere suo. Quia materia Sacramentorum est grauißima, & prohibitio Ecclesiæ absoluta, habens vim præcepti pertinentis ad virtutem Religionis. Vnde hæc responsio certissima est, loquendo primò

primò de Interdicto personali, tam speciali, quam generali: secundò etiam est verum loquendo de interdicto locali. Principaliter namque obligat Ministros Ecclesiæ, ne dent Sacramenta in tali loco, secundariò autem ipsos laicos, ne recipiant illa. Nec valet distinctio quam Caiet. Nauar. & alij nonnulli assignant in hac re inter Clericos & laicos, vt suprà vidimus: quia materia Sacramentorum respectu vtrorumque grauis est, si ad vtroque suo modo accommodetur, hoc est, administratio Sacramentorum, ad Clericos; receptio verò ad laicos. Sic communiter DD. Suarez disp. 33. sect. 2. Alter. disp. 8. cap. 1. Filliuc. tract. 18. cap. 2. quest. 9. num. 54. Hurtad. de Interd. diffic. 10. num. 33.

QVÆSTIO XI.

An etiam sit mortale, violare Interdictum, quodcumque, in materia Ecclesiastica sepulturae?

Respondeo tanquam certum: etiam esse mortale. Quia est transgressio rei grauis, contra absolutam Ecclesiæ prohibitionem. Quod clarè colligitur ex grauitate pœnæ impositæ ipso iure, excommunicationis maioris, aduersus eos, qui in loco interdicto, vel nominatim interdictos scienter sepelire præsumunt. Verba Clement. 1. de sepult. hæc sunt: *Eos, qui, & c. in Cœmeterijs, Interdicti tempore, in casibus non concessis à iure, vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, scienter sepelire præsumunt, decernimus, ipso facto excommunicationis sententia subiaccere*, &c. (Qui autem cenferi debeant sepelire, & quæ actio sufficiat ad incurrendam hanc excommunicationem, diximus sup. cum de quinto effectu excommunicationis maioris, qui est priuatio sepulturae Ecclesiasticæ.) Sic communiter Doctores Suarez disp. 35. sect. 1. num. 19. Filliuc. tract. 18. cap. 4. quest. 7. num. 106. Alterius disput. 8. cap. 4. Hurtad. diffic. 10. num. 32.

QVÆSTIO XII.

An in humanis actibus, teneatur quis vitare interdictos, saltem denunciatos nominatim?

Respondeo tanquam certum: nullum, siue Clericum, siue laicum, teneri vitare tales interdictos. Quia Interdictum solùm prohibet res Ecclesiasticas, & spirituales, nempe, Officia diuina, Sacramenta, & sepulturam, vt nuper vidimus: ergo in aliis rebus humanis, aut ciuilibus, non est vetita communicatio. Sic Henriq. lib. 13. cap. 5. n. 5. & cap. 43. n. 7. Auila p. 5. disp. 5. dub. 1. concl. 1. Alter. disp. 8. cap. 5. in princip. Bonacina de Interd. num. 20. Hurtadus difficultate 11. Sayrus lib. 5. cap. 12. num. 23. & 24. Bassæus Interdictum 3. num. 7. Suarez disputat. 37. sect. 1. num. 6.

QVÆSTIO XIII.

An laici teneantur vitare interdictos nominatim denunciatos, si non in humanis, in diuinis saltem?

Affirmat Sayrus lib. 5. cap. 12. num. 23. Sed tanquam certum respondeo: non teneri eos vitare, ex vi præcepti Ecclesiastici, præterquam in Ecclesiastica sepultura. Ratio est, quia nullibi in iure reperitur præceptum obligans laicos ad vitandum interdictos etiam nominatim denunciatos, nisi ad non tribuendum illis sepulturam in Clem. 1. de sepult. nuper citata: ergo. Notanter dixi: *ex vi præcepti Ecclesiastici*, nam aliunde potest contingere, vt laici teneantur vitare Interdictum denunciatum, puta si ex eo, quod non illum non euitant, cooperantur peccato

illius, vel actui iurisdictionis inualido, vt si absolutio Sacramentalis impendatur ab Interdicto denunciato, quæ est nulla, &c. Sic communis. Syluest. D. Anton. Caiet. Armill. & Henriq. quos affert, & sequitur Auila p. 5. disp. 5. dub. 1. concl. 2. Alter. disp. 8. cap. 5. col. 1. Hurt. difficult. 11. num. 34. Bonacina loc. cit. num. 19.

QVÆSTIO XIV.

An Clerici saltem, teneantur sub mortali, euitare interdictos nominatim in ijs rebus, à quibus sunt interdicti?

Respondeo tanquam certum: teneri sub mortali euitare tales nominatim Interdictos, in dictis rebus. Vnde mortaliter peccant, celebrando coram illis, vel illos ad diuina Officia, seu Ecclesiæ Sacramenta, aut Ecclesiasticam sepulturam admittendo. Sic Sotus in 4. dist. 22. quest. 3. art. 1. concl. 6. vers. *Ad argumentum*. Henriq. lib. 13. cap. 33. n. 3. Auila loc. cit. concl. 3. Alter. & Bonac. loc. cit. Filliuc. n. 147. vers. *Notandum secundò*. Suar. n. 6. cit. & Hurtad. loc. cit. vers. *Conueniunt secundò*, & alij. Qui omnes notant, primò hanc responsionem non esse intelligendam de omnibus Clericis, sed solùm de illis, qui celebrant diuina Officia, vel permittunt celebrare in Ecclesia, cuius regimen est illis commissum. Et hoc probant, ex cap. *Non est vobis*, de sponsal. vbi dicitur: *Nec celebretis, nec aliquem celebrare permittatis*. Vnde Clerici qui non celebrant, aut celebrare non permittunt, eo quod non sit illis commissum regimen Ecclesiæ, sed solùm audiunt diuina, non peccant, quia tunc se habent sicut laici. Secundò notant, quod vt dicti Clerici sint rei culpæ mortalis, non euitando Interdictos, requiratur quod hi sint nominatim interdicti, & denunciati iuxta Extrauagant. *Ad euitanda*. Legatur Nauarrus cap. 27. num. 187.

QVÆSTIO XV.

An laici violantes Interdictum, aliquas pœnas incurrant?

Respondeo tanquam certum: Nullas pœnas ipso iure incurrere, præterquam in iis quinque casibus, in quibus incurrunt excommunicationem maiorem. Primus est, quando Dominus temporalis compellit Clericum publicè, & solemniter celebrare diuina in loco interdicto. Secundus, quando aliquis præsumit vocare pulsatione campanarum, vel publico præconio ad audienda Officia diuina in loco interdicto. Tertius, quando aliquis præsumit impedire, ne excommunicati, vel interdicti exeant, quando nominatim sunt admoniti à Clero. Quartus, quando ipsimet excommunicati, vel Interdicti moniti à Clero nolunt exire, & Quintus, quando aliquis præsumit sepelire interdictos, in Cœmeterio etiam non interdicto. Sic Auila part. 5. disput. 5. dub. 2. in fine, & dub. 4. conclus. 1. Henriquez lib. 13. cap. 43. num. 3. Hurtadus de Interd. difficult. 12. in fine. Agidius disputatione 17. dub. 4. in fine. Alterius disput. 9. cap. 4.

QVÆSTIO XVI.

An Clerici violantes Interdictum priuentur electione actiua, & passiua ad dignitates Ecclesiasticas?

Respondeo tanquam certum: priuari omnes qui scienter violant illud. Itaque omnis Clericus siue secularis, siue Regularis, qui simpliciter violat Interdictum, circa quamcunque materiam, nec potest eligi, nec eligere, imò & fit impostulabilis ad dignitates



sine scriptis, vel in scriptis quidem, sed sine monitione, aut non exprimendo causam, tunc Interdictus manet ab ingressu Ecclesiæ, non plenè, sed per mensem. *cap. 1. de sent. excomm. in 6. & cap. Sacro. 48. eod. tit. extra.* De quo Nauarr. *cap. 27. n. 156. §. 5.* & Henriquez *lib. 13. cap. 43. n. 5.* Qui excipiunt Prælatos Regulares, qui possunt absque scriptis proferre Censuram contra suos. Suarez *disp. 37. sect. 1.* & alij.

*Secundò.* Episcopi, aut alij Superiores, vsurpantes sibi bona Ecclesiarum, aut beneficiorum vacantium, vel fructus eorum, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, quousque restitutionem fecerint de prædictis. *cap. Præsenti. de Offic. Ordinarij in 6.*

*Tertiò.* Laici conferentes Episcopatum, aut Abbatiam, & recipientes ab illis, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, donec tales dignitates deferant. *cap. Si quis deinceps. 16. q. 7.*

*Quartò.* Interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ donec satisfaciant, omnes etiam exempti, qui violant Interdictum locale à iure, vel ab homine. *cap. Episcoporum. de priuileg. in 6.* de quo egimus nuper *disput. 8. q. 18. & sequent.*

*Quintò.* Episcopi, & alij Prælati Superiores, qui ratione visitationis aliquid accipiunt, vltra id quod iis est concessum per *cap. Romana. de censibus in 6.* interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, si intra mensem duplum eius, quod receperint, non restituerint. *cap. Exigit. de censib. eod. lib. & in Extrau. unica de censib.* Vbi hoc Interdictum extenditur ad omnes de familia Visitatoris, qui per se, vel alios, aliquid recipiunt ab his qui visitandi sunt, præter id, quod illis est iure concessum.

*Sextò.* Manent Interdicti Iudices Ecclesiastici, qui Officiales Romanæ Curia, aut alios qui ad eam profectos pro suis negotiis, priuant suis beneficiis Ecclesiasticis, & ea aliis conferunt. *Extrauag. 3. de priuileg.* De quo videantur Suarez *loc. cit.* & Bonac. *de Interd. puncto 8. num. 19.*

*Septimò.* Prælati edentes Commentaria in Tridentinū remanent interdicti ab ingressu Ecclesiæ. Pius V. in Bulla confirmat. Concilij Trident. De his, & aliis nonnullis Interdictis legantur Suarez *disp. 37. sect. 1.* Filliuc. *tract. 18. cap. 7. q. 8.* Ægidius *disp. 17. dubio 5.* Bonac. *puncto 8. à num. 13.* Bassæus *Interdictum 6. à numero 14.* Hurtadus *de Interd. diff. 17.* Luylius *lib. 6. disputatione 55. dubio 1.* & alij.

## QVÆSTIO II.

*In quibus casibus, incurritur, ipso iure, Interdictum generale personale?*

**R**espondeo: Quod in his octo in quibus iure lata sunt. *Primò,* namque interdicuntur Vniuersitates, aut Collegia concedentia vsurariis alienigenis locum habitationis. *cap. 1. de vsuris in 6.*

*Secundò.* Interdicuntur ipso facto Vniuersitates concedentes contra personas Ecclesiasticas, aut eorum bona, repressalia, seu pignorationes, quibus vnus pro alio grauatur, nisi intra mensem ea reuocauerint. *cap. unico. de iniurijs in 6.*

*Tertiò.* Interdicuntur Vniuersitates, aut Capitula, seu Collegia quæ ab Ordinationibus, sententiis, seu mandatis Sum. Pontificis ad futurum Concilium generale appellant. *Bulla Cœna. n. 2.* de quo egimus supra in exposit. eiusdem Bullæ.

*Quartò.* Interdicuntur Collegia, seu Communitates exigentes tributa, absque licentia Pontificis, ab Ecclesiasticis personis. *cap. Quamquam, de censib. in 6.*


*Quintò.* Interdicuntur Vniuersitates, quæ ex certa scientia præsumperint resistere statutis habitis in *Extrauag. Saluar. de Prob.* circa diuisionem Episcopatus Tolofani.

*Sextò.* Interdicuntur Vniuersitates, vel Collegia, quæ non obseruant constitutionem Ioannis XXII. circa fructus beneficiorum vacantium. *Extrauag. vni. Ne Sede vacante aliquid inuen.*

*Septimò.* Interdicuntur Capitula, quæ Sede vacante intra annum concedunt Dimissorias ad Ordines ei, qui non coarctatur ad id ratione beneficij. *Trident. sess. 7. cap. 10. de reformat.*

*Octauò.* Interdicuntur Vniuersitates imponentes, vel exigentes decimas, talleas, ab Ecclesiasticis, vel bona Ecclesiarum occupantes. *cap. Clericis. de immunit. Eccles. in 6.* De his agunt Suarez *sect. 1. cit. à n. 13.* Filliuc. *cap. 6. à num. 143.* Ægidius *dubio 5. cit. Bonac. à n. 7.* Luylius, Bassæus, & Hurt. *locis cit.*

Feruntur etiam in iure alia Interdicta localia, de quibus videri possunt Suarez, Filliuc. Bonac. & Bassæus. Ea autem nos non adducimus, quia illa post Concilium Constantiense non obligant ante denunciationem à Iudice factam: adduximus verò personalia quia obligant statim personam interdictam; licet non alios, adhuc Clericos, ita vt teneantur vitare dictos Interdictos, ante denunciationem, sicut in simili de excommunicatione explicatum est. Legantur Doctores citati.



## DISPVATIO X.

### De Relaxatione, vel Absolutione Interdicti.

#### QVÆSTIO PRIMA.

*An Interdictum latum ad tempus, vel sub conditione tacita, vel expressa, donec satisfaciat, vel restituat; eo tempore elapso, vel adimpleta conditione, ipso facto, sine noua absolutione cesset?*

**A**FFIRMANT plures Doctores, eo quod Censura non operatur plusquam verba significant. Ita Sayrus *lib. 5. cap. 15. n. 2.* Auila *parte 5. disp. 6. dub. 1. concl. 1.* Ægidius *disp. 17. dub. 6. n. 76.* Sà *verb. Interdictum. n. 2.* vbi ita ait: *Interdictum* positum, donec aliquid fiat, eo facto cessat, sicut & suspensio: ita si est ad certum tempus positum, postea cessat. Ita ille. Bonacina hic *punct. ult. n. 1.* & alij citati *disp. 5. de susp. q. 1.*

Sed probabilius respondeo: Non cessare, saltem ex vi iuris, sine noua absolutione. *Primò,* quia idem diximus de excommunicatione *disp. 11. q. 5. & de suspens. disp. 5. q. 1.* quibus in iure *cap. Is, cui. de sent. excomm.* æquiparatur Interdictum. *Secundò.* Quia ratio quæ affertur de excomm. in *cap. Cum desideres. de sent. excommunic.* nempe, vt dignoscatur etiam satisfecisse Ecclesiæ, quam offendit, valet etiam in Interdicto. Sic loquendo de Interdicto, quod latum est, vt Censura, vt nos loquimur, docent Suarez *disp. 38. num. 4. & 5.* Filliuc. *tr. 18. c. 5. q. 2. n. 115.* Hurt. *diff. 16. in princ.* Alterius *hic, disp. 11. c. 1. col. 4. vers. Alia sententia.*

#### QVÆSTIO II.

*An Interdictum locale generale impositum in tota Ciuitate, tollatur per destructionem ipsiusmet Ciuitatis?*

**R**espondeo tanquam certum: Non tolli. Quia, vel non contingit moraliter loquendo, vt totus locus interdictus destruat: vel licet destruat Ciuitas;

uitas, vel Villa, semper manet solum illud, in quo sunt ruinae Ciuitatis, quod manere potest Interdictum. Sic communis. Suarez *disp.* 38. *sect.* 1. *num.* 10. Filliuc. *loc. cit.* q. 3. n. 117. Alterius *cap.* 2. *col.* 2.

## QVÆSTIO III.

*An Interdictum locale impositum, ob delictum eius Domini, tollatur alienatione sola, aut venditione talis loci?*

**A**ffirmandum probabiliter videtur. Quia iam non manet illa terra interdicta, v. g. sub eo respectu ad priorem Domini, ob cuius delictum interdicta fuit: ergo ipsa sola alienatione facta, talis terra non manet interdicta. Ita sentiunt Ægid. & Hurtad. citati *sup. disp.* 1. q. 19.

Sed probabilius respondeo: Non tolli. Quia tale Interdictum est onus quoddam loci interdicti: at sic est, quod res quæ alienatur transit cum suo onere: *argum. cap. Ex literis. de pignorib. & cap. Pastoralis. de Decimis*: ergo. Nec valet argumentum pro parte opposita factum. Nam responderetur ex dictis sapè, quod Interdictum semel latum, semper durat, donec à Superiori relaxetur, quamobrem licet illa terra non fuerit interdicta, nisi quia erat talis Domini, tamen postquam semel latum est Interdictum in eam, semper manet, nisi à Superiori relaxetur. Sic Sylu. Calder. & Gemin, quos citat, & sequitur Suarez *sect.* 1. *cit.* n. 11. Francus, & Anchar. quos affert, & amplectitur Alterius *loc. cit. col.* 2. *vers. Opposita tamen sententia.* Filliucius *loc. cit.* Cornejo *disp.* 4. *de Interd.* q. 1.

## QVÆSTIO IV.

*An Interdictum locale speciale, vt alicuius Ecclesie; tollatur sola destructione ipsiusmet Ecclesie?*

**A**ffirmare quis, & probabiliter posset. Quia destructo subiecto, necessariò debet destrui quidquid in illo subiectatur: ergo destructa Ecclesia, Interdictum quod illi inhæret quasi, necessariò destruitur.

Sed probabilius respondeo: Non tolli per destructionem solam Ecclesie. Quia quamuis destruantur parietes, & tectum, remanet solum, quod est interdictum etiam, in quo contra illud, possent sepeliri corpora Christianorum, erigi Altaria, ibique Sacra celebrari: ergo. Sic Suarez *disp.* 38. *sect.* 1. n. 13. Filliuc. *loc. cit.* n. 118. Alterius *loc. cit. col.* 3. *dicto* 2. Reginald. *lib.* 3. *tract.* 3. n. 59. Bonac. *de Interd. puncto ultimo*, n. 2. Luysius *lib.* 6. *disp.* 54. *dub.* 2.

## QVÆSTIO V.

*An Interdictum deambulatorium, quo interdictur locus incertus, & indefinitus, v. g. Terra, seu Prouincia, vbi maneat talis persona. v. c. Petrus tollatur, eo ipso, quod Petrus mutet Terram, seu Prouinciam, absque alia relaxatione Superioris?*

**R**espondeo: Tolli, eo ipso quod talis persona mutet locum: sine vlla alia relaxatione Superioris. Quia tale Interdictum potius dici potest personale, quam locale, eo quod potius feratur in odium personæ in tali loco pro tempore, in quo detinetur in illo; quam in odium loci ipsius, & idè translata persona, definit talis locus esse interdictus. sine vlla alia relaxatione: sicut è contra, ille alius locus in quem se transfert, incipit esse interdictus, absque eo

quod feratur noua sententia, & sic successiue. Sic Suarez *loc. cit.* n. 14. Filliucius n. 118. *cit.* Alterius *cap.* 2. *cit. in fine.* Cornejo *disp.* 4. *dubio unico, quæst.* 2. Luysius *dub.* 2. *cit. vers. Item dubium.*

## QVÆSTIO VI.

*An Interdictum generale personale, quo Ciuitas, Communitas; seu Collegium, est interdictum; tollatur dissoluta Ciuitate, Communitate, vel Collegio, sine alia absolute Superioris?*

**R**espondeo tanquam certum: Tolli sine alia absolute. Quia Interdictum latum erat in Collegium, vel Ciuitatem, &c. quatenus corpus quoddam morale est; ergo solum potest durare, superstitè Collegio, vel Ciuitate, quæ est subiectum Interdicti; nam destructo omnino subiecto, destruantur eo ipso, omnia accidentia, quæ sunt in ipso. Nec satis est, quod maneant personæ ex quibus erat compositum Collegium vt Interdictum, si non constituunt amplius illud Collegium; nam illæ non erant per se interdictæ vt priuatæ personæ, sed vt membra, & partes illius Collegij, & sub hac ratione non manent interdictæ destructo Collegio, &c. Sic Suarez *disp.* 38. *sectione* 1. n. 15. Alterius *disp.* 11. *cap.* 3. *in princ.* Filliuc. *tract.* 18. *cap.* 5. q. 4. n. 119. Ægidius *disp.* 17. *dubio* 6. *in fine.* Cornejo *loc. cit.* q. 3. Bonac. *puncto ult. num.* 3. Couarr. *lib.* 2. *variæ. cap.* 8. n. 10. Luysius *dub.* 2. *cit.* & alij. Qui omnes hanc responsionem intelligunt respectu Innocentium, qui non ligantur Interdicto diutius quam sint pars Collegij, &c. non verò respectu eorum, qui causam culpabilem Interdicto dederunt, quia isti semper remanent Interdicti, quia censentur particulatim Interdicti, & nomine suo, & non solum nomine Communitatis.

## QVÆSTIO VII.

*An qui ligatus Interdicto personali particulari, verè pœnitens moritur, ipso facto liberetur Interdicto?*

**A**ffirmant Couarr. Auila, Cornejo, Diana, & alij citati *sup. disp.* 7. q. 8.

Sed probabilius respondeo: Non liberari ipso facto, sed necessariam esse absolutionem Interdicti. Quia Censura non tollitur per pœnitentiam, sed per absolutionem. Sic Alterius, Suarez, Bonacina, Bassæus, Filliuc. & Luysius citati *sup.* q. 8. *citata.* Legatur Alterius *speciatim loc. cit. ibi. & disp.* 11. c. 3.

## QVÆSTIO VIII.

*An Interdictum omne possit auferri, vel suspendi ab illo, qui illud tulit?*

**R**espondeo tanquam certum: Possè auferri, aut suspendi in totum, aut etiam quoad aliquos effectus. Hæc responsio, quæ est omnium, manifestè constat ex dictis de Censuris aliis. Legatur Auila *parte* 5. *disputatione* 6.

## QVÆSTIO IX.

*An Episcopus possit absoluere ab omni Interdicto locali, lato à iure absolute, & sine termino?*

**N**egat Henriquez *lib.* 13. c. 51. n. 3. his verbis: At locale Interdictum à Papa impositum, præsertim ad tempus, nullo modo potest Episcopus tollere, aut

aut suspendere. Ita ille, citans pro se, *lit. C. Couarr. in cap. Alma. parte 2. §. 2. n. 4.* cum Ioan. Andr. Anton. Card. Franc. Decio, & Syluestro.

Sed probabilius respondeo: Posse. Quia, ut constat *ex cap. Nuper. de sent. excommunic.* Episcopus potest absolueri, relaxare, aut dispensare, in his, quæ non sunt reseruatæ Papæ: at sic est quod huc vsque nullum Interdictum est reseruatum Papæ, in iure, ut ex Soto docet Auila, statim citandus: ergo. Sic Auila *parte 5. disp. 6. dubio 1. concl. 4. 6. & 8. & dub. 4. concl. 3.* Suarez *disp. 38. sect. 2. n. 5. & 6.* Filliuc. *tract. 18. cap. 5. §. 7. n. 124.* Egidius *disp. 17. dubio 6. n. 76.* Alterius *disputatione 11. de Interd. cap. 4. col. 3. vers. Quod si Interdictum.* Bonac. *de Interd. puncto vlt. num. 5.* Qui pro hac parte citat Henriquez *lib. 13. disp. 48. n. 3.* Sed omnino malè, ut vidimus. Luyfius *lib. 6. disp. 54. dubio 4.* Hurtad. *de Interd. diff. 16. n. 48.*

## QVÆSTIO X.

*An Episcopus, non solum tollere, sed etiam suspendere ad tempus, possit dictum locale Interdictum?*

**N**Egant, apud Dianam, Couarr. *in capite Alma. parte 1. §. 11. n. 6. vers. Secundò.* Auila *disp. 6. cit. dub. 4. concl. 4.* & Glossa *in cap. Ad hac. de appellat.* Et quamuis hi Doctores id doceant, sed aut non omnino loquendo de nostro casu; aut non ita firmiter quod contrarium probabiliter non sequantur, *ut infra.* Possunt tamen citari pro hac parte Henriquez nuper citatus, & alij penes ipsum.

Sed probabilius respondeo: Etiam posse Episcopum tale Interdictum suspendere. *Primò.* Quia potest illud simpliciter tollere in totum, vel ad tempus: ergo & suspendere. *Secundò.* Quia consuetudo, quæ clarè supponitur *in cap. Ad hac. de appellat. el ultimo*, hanc facultatem tribuit Episcopis per tacitum consensum Papæ: ergo. Hanc sententiam esse communem apud Doctores, & securam in praxi, expressè docet Auila *loc. cit. concl. 3. in fine.* Eamque posse defendi, ob secundam rationem à nobis ex illo allatam, clarè ait, *concl. 4. vers. Dico præterea.* Tenent autem illam, Nauarr. *cap. 27. n. 183.* Glossa *in cap. Presenti. de sententia excommunic. in 6.* Suarez *disp. 38. sect. 3. n. 6.* Rodriguez *tomo 2. Regul. q. 111. art. 1.* Diana *parte 5. tract. 10. resolutione 69.* Bonac. *loc. cit.* Alterius *disp. 11. capite 5. col. 4. vers. Hæc igitur opinio.*

## QVÆSTIO XI.

*An etiam possit Episcopus absolueri ab Interdicto locali, non solum à iure posito, sed etiam lato à Papa tanquam ab homine?*

**R**espondeo tanquam certum: Non posse. Quia ab Interdicto lato ab homine, per particularem sententiam, solus is soluere potest, qui illud tulit, vel eius successor, vel superior eius, vel alius ex delegatione: at sic est, quod Papa est superior, & Episcopus inferior: ergo. Sic communiter omnes. Legantur Suarez *disp. 38. sect. 2.* Auila *loc. cit. concl. 5.* Bonac. *cit. vers. Dixi posito à iure.* Alterius *disp. 11. c. 4. col. 5.*

## QVÆSTIO XII.

*An Episcopus possit absolueri ab Interdicto personali lato à iure?*

**R**espondeo tanquam certum: Posse, non tantum ab Interdicto generali personali, à iure lato, sed ab speciali lato ab eodem iure. *Prima pars probatur.*

Quia etiam respectu Vniuersitatis, seu Communitatis, Iudex in Ecclesiastico foro externo, est Episcopus. *Secunda pars* etiam probatur ex dictis. Quia si Episcopus potest relaxare Interdictum generale personale, quod est maius; multò magis poterit speciale aut particulare, quod est minus. Sic Suarez *sect. 2. cit. n. 6.* Henriquez *lib. 13. cap. 35. n. 2.* Auila *parte 5. disputatione 6. dubio 1. concl. 3.* Alterius *cap. 4. cit. col. 3. & 4.* Filliuc. *tract. 18. cap. 5. §. 8. n. 125. & 126.* Bonac. tandem, licet in principio contrà dicat, *loc. cit. n. 5. vers. Dixi ab Interdicto locali.*

## QVÆSTIO XIII.

*An Parochus, seu alius Confessor Ordinarius, possit absolueri, iure ordinario, ab Interdicto generali locali & personali?*

**R**espondeo tanquam certum: A neutro posse. Non ab Interdicto generali locali: quia non habet iurisdictionem fori contentiosi, quæ est necessaria, ut Interdictum locale tollatur, sicut etiam ut imponatur. (quæ ratio etiam conuincit non posse absolueri adhuc ab Interdicto locali speciali) ergo.

Rursus nec potest ab Interdicto generali personali absolueri. Quia dictus Confessor non habet iurisdictionem ordinariam in foro exteriori in Communitate. Nec sufficit iurisdictione, quam habet in foro interno, ut ratione illius dicamus esse ei concessam iurisdictionem fori exterioris, quia Communitas non est capax absolutionis Sacramentalis. Ex quo inferri potest, non posse singulas personas Communitatis interdictæ eximi à tali Interdicto à Parocho, vel Confessore iure ordinario. Quia respectu talis Interdicti parochus nullam habet iurisdictionem, quia non fertur per se in singulares personas, sed in Communitatem. Et aliàs absolutio ab Interdicto non est necessaria ad absolutionem à peccatis, cum ex priuilegio *cap. Alma mater.* Interdictum non priuet sacramento Pœnitentiæ, *ut supra habitum est.* Sic omnes: Suarez *disp. 38. sect. 2. n. 6.* Alterius *disp. 11. c. 4. col. 3. & 4.* Henriquez *lib. 13. c. 53. n. 3. & cap. 35. numero 2.* Filliuc. *§. 8. cit. n. 125. & 126.* Bonac. *puncto vlt. n. 6.* Reginald. *n. 56.* Auila *parte 5. disp. 6. dub. 1. conclus. 2.* Cornejo *disp. 4. de Interd. dub. unico, §. 5. & alij.*

## QVÆSTIO XIV.

*An saltem possit dictus Parochus, aut alius quilibet Confessor ordinarius, absolueri ab Interdicto personali speciale, seu particulari, lato sine reseruatione?*

**N**egat Henriquez *lib. 13. c. 35. n. 2. & c. 51. num. 3.* ubi ita dicit: Parocho non conceditur absolueri ab Interdicto, aut suspensione, quia huius absolutio non est necessaria ante absolutionem à peccatis: cum tamen Parochus absoluat, ex tacita commissione, ab excommunicatione iuris, aut generali hominis, si non reseruetur; quæ præmitti debet ante receptionem Sacramenti. Ita ille. & penes ipsum, Sylu. & Sotus. Ita etiam Auila *loc. cit.*

Sed probabilius respondeo: Posse absolueri à tali Interdicto, modò non sit reseruatum, & detur satisfactio, aut cautio satisfaciendi. *Primò.* Quia sic clarè colligitur *ex cap. Nuper. de sent. excommun.* *Secundò.* Quia potest ab aliis Censuris: ergo etiam ab Interdicto. Sic Suarez *disp. 38. sect. 2. n. 9.* Filliuc. *n. 126. cit.* Egidius *disp. 17. dub. 6. n. 77. (non disp. 7. dub. 6. n. 7. ut leges apud Dianam)* Reginald. *n. 56.* Bonac. *puncto vlt. de Interd. n. 6. Præposit. in 3. p. 9. 4. de Interd. dubio 6. n. 61.* Laymann *lib. 1. tract. 5. parte 4. cap. 5. n. 3.* Cornejo

Cornejo *disp.* 4. de *Interd. dubio unico*, *quæst.* 5. *dicto* 4. Hurtad. de *Interd. diff.* 16. n. 48. Mercerus in 3. p. 9. 24. de *Interd. dub.* 8. Diana *parte* 5. *tract.* 10. *resol.* 71. Alterius *disp.* 11. de *Interd. cap.* 4. *col.* 4. *vers.* Et *puto* *respondendum*. Luyfius *lib.* 6. de *Censuris*, *disp.* 54. *dub.* 4.

## QVÆSTIO XV.

An Interdictum generale locale, possit relaxari ad cautelam?

Affirmant olim nonnulli, eo quod excommunicatio, & Interdictum paribus passibus ambulare videantur, ut colligitur *ex cap. Ad hac quoniam. cap. Cum medicinalis. de appellat. in 6.* at sic est, quod excommunicatio potest tolli ad cautelam, ut habetur *in cap. Solet. & cap. Venerabilibus. de sent. excommunic. in 6.* & à nobis est dictum *sup.* ergo etiam Interdictum generale locale potest tolli ad cautelam.

Sed, ut certum, respondeo: Non posse relaxari ad cautelam. Quia sic decreuit Gregor. X. in Concilio generali Lugdun. & refertur *in cap. Presenti. de sent. excommunic. in 6.* per hæc verba: *Presenti generali declaramus edicto, beneficium relaxationis ad cautelam, quoad Interdicti sententias, in Civitates, Castra, vel quolibet alia loca, siue terras aliquas, generaliter promulgatas, locum aliquatenus non habere.* Hæc Pontifex. Ex cuius verbis constat, quod si detur talis relaxatio, omnino sit nulla, ut notat Glossa *ibidem. verb. Non habere.* Sic omnes. Glossa *in d. cap. Presenti.* Qui rationem affert, quare Pontifex voluit, quod relaxatio Interdicti generalis localis non habeat locum, sicut relaxatio excommunicationis, dicendo, quod hoc statuit Gregorius propter communionis periculum in excommunicatione, unde ad aliorum cautelam fit hæc absolutio: at in participatione Interdictorum non est tantum periculum, & idem relaxatio ad cautelam non habet locum in Interdicto, sicut habet in excommunicatione, sed differtur relaxatio Interdicti usque ad finem causæ. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 51. n. 4. Qui tamen falsò putat quod relaxare ad cautelam, sit relaxare sub conditione, *Si satisfeceris, relaxo Interdictum*, ut constat ex à nobis dictis *sup.* Nam relaxatio ad cautelam, est absolvere ab excommunicatione, vel Interdicto, quando prætenditur sententia nulla, verbi gratia, Afferit quis fuisse post appellationem excommunicatum, vel positum Interdictum, & petit ad cautelam absolui ab excommunicatione, vel Interdictum relaxari, antequam de nullitate constet. Notat Glossa *in cap. Presenti. in princ. & vers. Ad cautelam.* Sic Nauarr. *cap. Cum contingat. remed.* 6. *num.* 7. Couarr. *in cap. Alma. p.* 2. §. 2. n. 5. Auila *parte* 5. *disputatione* 6. *dubio* 5. *concl.* 1. ubi *in* 2. *concl.* ait, quod huiusmodi Interdictum debeat tolli simpliciter, vel remitti præstita cautione de parendo Iudici, antequam de nullitate, vel iustitia constet.

## QVÆSTIO XVI.

An saltem Interdictum speciale locale possit relaxari ad cautelam?

Negat Archidiaz apud Syluestrum *Interdictum* 3. *q.* 9. n. 14. & videtur negare etiam Glossa *in cap. cit. in fine.*

Sed, longè multò probabilius, respondeo: Possè. Quia textus *in d. cap. Presenti.* expressè loquitur *de sententijs Interdicti generaliter promulgatis*, ut vidimus: ergo dicta prohibitio solum de iis est intelligenda. Sic Syluester, Henriquez, & Couarr. qui dicit esse communem, & obseruari in Romana Curia. Auila *loc. cit. concl.* 3. Alterius *disputatione* 11. *capite* 6. *col.* 4.

*dicto* 3. Tabiena, & Felin. apud ipsum, Suarez *disputatione* 38. *sección* 3. *numero* 3.

## QVÆSTIO XVII.

An etiam Interdictum personale particulare possit relaxari ad cautelam?

Respondeo tanquam certum: Possè. Quia homini specialiter, aut particulariter Interdicto omnia Sacramenta denegantur ante absolutionem: ergo idem dicendum est, ac de excommunicato. Sic communiter omnes. Glossa *in d. cap. Presenti. verb. generaliter.* Syluester, Henriquez, & alij, quos sequitur Auila *loco citato conclusionem* 4. Quod amplius constabit ex mox dicendis.

## QVÆSTIO XVIII.

An deinde, Interdictum personale generale, putà latum in Vniuersitatem, aut Collegium, possit adhuc relaxari ad cautelam?

Respondeo: Possè adhuc. Quia seclusa præfata prohibitione iuris, quodlibet Interdictum possit relaxari ad cautelam, sicut excommunicatio: at ius tantum vetat in Interdicto generali locali, ut nuper vidimus: ergo reliqua interdicta possunt ad cautelam relaxari. Sic Ioan. Andr. Francus, Calderinus, & Henriquez, quos sequitur Alterius *c.* 6. *cit. dicto* 4. Glossa *margin. in d. capite Presenti. verb. Generaliter.* Auila *disp.* 6. *cit. dub.* 5. *concl.* 4. Suarez *sect.* 3. *cit.* Filiucius *tractatu* 18. *capite* 5. *quæst.* 9. Bonac. *punct.* ult. *num.* 9. & alij communiter.

## QVÆSTIO XIX.

An Interdictum censeatur sublatum, quando non seruatur ab eo, in cuius fauorem latum est?

Respondeo tanquam certum: Censeri sublatum. Quia sic decreuit Innocent. III. *in cap. Petistis. de Priuilegijs. ibi: Sed si præfati Hospitalarij, vel Templarij, priuilegijs suorum fines exceperint, violando temere Interdictum, quod pro eis fuerat promulgatum; ne videantur de aliorum fletu ridere, vos in poenam presumptionis eorum, quandiu ipsi violauerint Interdictum, de nostra licentia celebretis.* Hæc Pontifex. Et meritò, quia (ut bene Glossa *ibi*) non debet quis facere, à quo impetrauit alios prohibere: nec debet alij legem imponere quam ipse negligit obseruare. Sic Glossa. & omnes. Legatur Alterius *disp.* 11. *c.* 7. *col.* 1. & 2.

## QVÆSTIO XX.

An etiam censeatur sublatum Interdictum, quando non seruatur ab eo, propter cuius delictum positum est?

Affirmat Alterius *cap.* 7. *cit. col.* 2. *vers. Secundo dico. ibi: Ad rationem initio adductam ex cap. Petistis. de priuilegijs.* Respondeo Summum Pontificem *ibi* loqui tantum in duobus casibus non seruandi Interdictum, nempe cum is non seruat propter cuius delictum latum est, vel ad cuius fauorem est positum: quare non est ad alium casum extendendum; cum sit concessum ad modum priuilegij, licet sit in corpore iuris clausum, ut *ibi* notat Innoc. & Hostiens. Hucusque Alterius dicit. Sed obdormitans *facè.* Vnde

Tanquam certum respondeo: Non censeri sublatum

tum interdictum, ex eo quod is propter cuius delictum positum est, non seruet illud. Quia id decreuit idem Innoc. III. in prima parte cap. Petistis, cit. iis verbis: *Petistis per Sedem Apostolicam edoceri, utrum cum propter Hospitalarios, vel Templarios, ciuitas vestra, generali supponitur Interdicto, eisdem non seruanti- bus, vos illud teneamini obseruare? Ad quod duximus respondendum, quod illorum excessus vobis non prebet licentiam excedendi.* Sic Innocent. Et sic titulus huius capituli, ita se habens: *Si is propter cuius delictum positum est interdictum, illud non seruat, alij nihilominus seruare tenentur: secus si ille non seruat, in cuius fauorem latum fuit.* Sic titulus. Quid clarius docere potuit sententiam nostram habitam in hac, & precedenti questione?

## QVÆSTIO XXI.

*An, censeatur Interdictum sublatum, quando non seruatur ab eo, qui tulit interdictum?*

**R**espondeo tanquam certum: Non censi ex eo sublatum (quidquid nonnulli dixerint) nisi alias antea id verbis significaret. Quia sicut Interdictum verbis fertur; ita & verbis tolli debet. Sic Henriquez lib. 13. cap. 50. n. 4. Calder. Syluest. Tabiena, & D. Anton quos citat, & sequitur. Alterius disp. 11. c. 7. col. 1. & 2. Bonac. punct. vlt. n. 8.

## QVÆSTIO XXII.

*An Papa possit tollere Interdictum, solo actu interiori?*

**R**espondeo posse. Quia cum Pontifex non sit subiectus regulis iuris, quibus decretum est, ut Prælati imponens, vel tollens Interdictum, verbis exprimat suam voluntatem, quando ille non vult ut interdictum vim habeat utique cessabit, quamuis id dicat solo actu interno. Vnde qui in tali casu faceret contra Interdictum, peccaret quidem, quia non constaret ei de interiori voluntate Papæ, sed non incurreret poenam impositam contra violatores Interdicti. Sic omnes, Henriquez, Calder. Syluest. & Alterius loc. cit. Bonac. num. 10. Auila disp. 6. dub. 6. concl. 2. & alij. Qui omnes secus dicunt loquendo de Episcopis aut alijs Prælati inferioribus Papa, quia hi sunt subiecti iuri communi.

## QVÆSTIO XXIII.

*Que forma est obseruanda in relaxando Interdicto?*

**R**espondeo dicendum, quod licet nulla sit determinata, necessario tamen est adhibenda aliqua verbalis, per quam significetur Interdictum relaxari. Regulariter autem in relaxando Interdicto personali, Iudex solet uti verbo, *absoluo*, (aut *renoco*, vel *remoueo*,) ut *Absoluo te ab interdicto, in quod, ob hanc, aut illam causam incurristi. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Si verò Interdictum est locale, vsurpatur verbum, *remoueo*, aut *renoco*: Ut *Interdictum tali loco, propter talem causam impositum, remoueo, aut renoco, In nomine Patris, &c.* Sic Henriquez lib. 13. cap. 50. n. 4. Alterius disp. 11. cap. 7. col. 3. Filliuc. tr. 18. cap. 5. quest. 9. n. 127. Bauny de Interd. qu. 18. col. 3. ex Caiet. & Angelo.

R.P. Leand. de Censuris.



## DISPUTATIO XI. De Privilegio Bulla Cruciata circa Interdicti Censuram.

## QVÆSTIO I.

*An laici habentes Bullam Cruciatam possint tempore Interdicti generalis, interesse Missæ, & alijs officijs diuinis?*

**R**espondeo tanquam certum: Possent etiam Interdictum latum sit à Pontifice. Quia id concedit Bulla, per hæc verba: *Conueniende asaber; que püedan en tiempo de Entredicho Apostolico ò Ordinario, oir Missa en las Iglesias, Monasterios, ò Oratorio particular senalado ò visitado por el Ordinario; decir Missa y otros officios diuinis, por sus personas si fueren Presbyteros, ò hacer celebrar à otros, en su presencia y de sus familiares y parientes, y receuir el SS. Sacramento de la Eucharistia y los demas Sacramentos, salvo en el dia de la Pasqua: con que ellos no ayandado causa al tal entredicho, ni aya que dado por ellos, que sequite; y conque las veres que quisieren usar del dicho Oratorio, para lo que dicho es, recen y hagan oracion, conforme a la deuocion de cada vno, por la conseruacion de la union entre los Principes Christianos, y vitorias contra Infieles.* Sic Bulla Clausula 3. Circa quam legendi sunt Henriquez in Summa lib. 7. cap. 43. num. 3. Trullench, Ludou. à Cruce, Rodriguez, Villalob. Anton. Gomez, Bardus, Machado, & alij de Bulla tractantes.

## QVÆSTIO II.

*An etiam possit quis vigore Bullæ, interesse Missæ, & alijs officijs diuinis, in Ecclesia specialiter interdicta?*

**R**espondeo tanquam certum: Non posse. Quia concessio Bullæ audiendi diuina officia tempore interdicti, solum intelligi potest de interdicto generali locali, non verò de interdicto speciali huius, vel illius Ecclesiæ: ergo. Antecedens probatur ex verbis Bullæ Latinæ, quæ sic dicit: *In Ecclesijs, in quibus, alijs diuina officia, interdicto durante, quomodolibet celebrari permissum fuerit: at sic est, quod de iure, solum licet celebrare diuina officia tempore generalis interdicti loci, cap. Alma, ut sup. est habitum: ergo dato, quod illicite alius celebraret in Ecclesia specialiter interdicta, non posset adesse vigore Bullæ.* Sic Henriquez lib. 7. cap. 43. num. 3. & penes illum, in Glossa lit. E. Manuel Rodrig. §. 5. numer. 4. Couarru. in cap. Alma. 2. p. §. 4. n. 1. D. Anton. 3. p. tit. 26. cap. 1. §. 2. & Syluest. Interdictum §. 5. 1. His addi possunt, Auila par. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 7. vers. *Notandum est primo, post 3. concl.* Trullench in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 2. num. 8. Villalob. 1. p. sum. tract. 27. clausula 4. n. 14. Ludou. à Cruce, disp. 1. cap. 5. dub. 2. n. 5. Machado lib. 1. sum. par. 3. tract. 13. docum. 8. in fine.

## QVÆSTIO III.

*An vi Bullæ, possit quis tempore Interdicti, audire, aut celebrare Missam in quacunque Ecclesia & Oratorio?*

**R**espondeo tanquam certum: Posse; quia id constat ex contextu Bullæ. Sic Trullench, ita dicens:

N n Nota



Nota 3. nomine Ecclesiarum, de quibus loquitur Bulla Latina, in quibus est permillum celebrari, durante interdicto, intelligi etiam Monasteria Virorum, & Mulierum, & Hospitalia, Episcopi autoritate erecta, tum etiam Eremitæ, quia hæc omnia comprehenduntur, nomine *Ecclesie*, absolute sumptæ, &c. Et quamvis nomine Ecclesie sic sumptæ comprehendatur Oratorium, secundum probabiliorem opinionem; tamen Pontifex ad maiorem declarationem, & tollendos scrupulos, mentionem specialem fecit de Oratoriis. Sic ille *lib. 1. in Bull. §. 2. dub. 2. num. 9.* & omnes DD. *nuper citati.*

## Q V Æ S T I O I V.

*An Bullæ Cruciatæ Vigore, possit quis habere Oratorium priuatum in sua domo, & in illo Missam audire, vel celebrare, etiam tempore Interdicti.*

**A**ffirmant quidem existimantes, duo concedere Pontificem habenti Bullam, & quod possit habere in domo sua priuatum Oratorium; & quod in eo possit Missas celebrare, vel celebrari facere etiam interdicti tempore; dummodo tale Oratorium sit diuino tantum cultui deputatum, & ab Ordinario approbatum. Ita sentit Caltrus Palas *tom. 4. tractat. 2 §. disp. unica punct. 6. num. 1.* qui & citat pro se Henriquez, & alios Neotericos. Ita etiam apud Ægydium Trullench, Rodriguez §. 5. n. 4. & in *Addit. ad §. 5. sup. num. 4. num. 1* & apud, Dianam, Sotus in 4. *dist. 13. q. 1. art. 3. §. iam verò.* Quorum sententiam probabilem esse putat, & testatur docere plures Patres Societ. Iesu, Garcias in Sum. Theol. moral. *tr. 3. diff. 8. dub. 2. punct. 3. n. 25.* Quibus consentire videtur Ludouic. à Cruce in *exposit. Bullæ disp. 1. cap. 5. dub. 1. n. 5.* quatenus affirmat, habentem Bullam posse compellere Ordinarium, vt approbet Oratorium, & dato, quod nolit approbare, & dare licentiam celebrandi, licentiam petitam, & negatam haberi pro concessa, & posse tunc vt præcluso Oratorio, & in eo celebrare, per se, vel per alium.

Sed ego vt certum respondeo: nullo modo posse quem Bullæ Cruc. vigore, exigere, & habere Oratorium priuatum in sua domo, & consequenter, nec in eo celebrare, aut audire Missam, non solum tempore Interdicti; verum extra. Quia id & non aliud, est quod practicatur in Hispania, in qua omnes etiam habentes Bullam, recurrunt ad Pontificem, vel ad Nuntium ad obtinendam habendi Oratorium facultatem. Sic tenet Garcias. *loc. cit. n. 26. ibi:* Por la Bula no se da tal poder, ni se concede tal priuilegio, y que no pueden en virtud della vsar en orden à erigir el Oratorio: sino que la Bula, quando dice que en el pueden celebrar, y oír Missa, supone que esta erigido con deuida autoridad y con licencia del que puede darla, aora sea Papa, Nuncio, ò Obispo, que en esso no se pone la Bula. La raçon potissima es, porque no es verisimil, que apretando tanto los Sumos Pontifices, y atando las manos a los Obispos y Nuncio de España, quiera abrir las para qualquier secular que se le antejare hacer Oratorio en su casa. Sic ille, quod id bene profequitur, & adhuc probat. Sic etiam Ægydium Trullench in *Bull. lib. 1. §. 3. dub. 4. num. 7.* Garcias *loc. cit.* Quos citat & sequitur Diana *part. 9. tractat. 1. resolut. 23.*

## Q V Æ S T I O V.

*An omnes habentes Bullam possint secum, tempore Interdicti, ducere famulos, aut familiares in Ecclesiam, & Missæ, & aliis officiis adesse?*

**N**egaret Glossa eo quod in *cap. licet vobis, §. Cum conceditur, de Priuileg. in 6.* id limitat, vt soli Barones, & Matronæ illustres possint, non alij.

Sed vt certum respondeo omnes habentes Bullam posse. *Primò.* Quia omnes ex priuilegio Bullæ censentur nobilitari. *Secundò.* Quia Bulla nullum statum hominum excludit: ergo. Sic Henriquez *lib. 7. c. 13. n. 3.* Trullench in *Bulla lib. 1. §. 3. dub. 3. n. 4.*

## Q V Æ S T I O V I.

*An etiam omnes habentes Bullam, possint secum deducere ad Ecclesiam omnes Domesticos, familiares, ac consanguineos, & ibi tempore Interdicti, Missæ interesse?*

**N**egant nonnulli Moderni, existimantes non posse secum deferre suos consanguineos ad Ecclesiam, vt secum Missam audiant, sed solum familiares, qui talem habentem Bullam comitari solent; nam (inquiunt) hoc sufficit ad hoc, vt hæc Bullæ concessio non reddatur inutilis: cum præterea concedat facultatem quod possit in Oratorio celebrare, vel facere celebrare in præsentia sua, & suorum familiarium, Domesticorum, & Cognatorum. Ita etiam Emman. Rodrig. in *Bulla §. 5. n. 5.* apud Auilam, *infra.*

Sed, vt certum respondeo: posse absolute, etiam consanguineos non habentes Bullam, secum ad Ecclesiam deferre, vt secum Missam audiant. Quia non est cur restringamus Bullam esse intelligendam de præsentia Consanguineorum quando celebratur in Oratorio, non verò quando in Ecclesia, nam Bulla absolute loquitur dicens, posse celebrari in præsentia familiarium, Domesticorum, ac Consanguineorum habentis Bullam, nec restringit quando celebratur in Oratorio, & non in Ecclesia. Sic Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 3.* Auila *part. 5. disput. 4. sect. 2. dub. 7. post 3. concl. vers. Secundo notandum est.* Trullench in *Bull. lib. 1. §. 3. dub. 3. n. 1.* Qui & citat pro hac parte Rodriguez *eod. loco*, quo citatur pro opposito ab Auila.

## Q V Æ S T I O V I I.

*An, nomine Consanguineorum, qui, etiam tempore Interdicti, possunt cum habente Bullam, in Ecclesia, aut Oratorio, audire Missam; veniant Consanguinei vsque ad quartum gradum?*

**N**egat Henriquez *lib. 7. cap. 13. n. 3.* Quia existimat, concessionem Bullæ non extendi ultra primum consanguinitatis gradum. Dicit enim hæc verba: Addit Bulla, vt hic eo tempore secum possit deferre in Ecclesiam Consanguineos suos. Quæ verba sonant extendi vsque ad quartum gradum; sed ex intentione Pontificis, videtur limirandum ad uxorem, quæ gaudere solet nobilitate, & priuilegio viri; & ad cognatos in primo gradu. Hæc Henriquez. Citans pro se Rodriguez in *Bulla §. 5. n. 5.*

Sed, vt ferè certum, respondeo dicendum, quod nomine Consanguineorum in concessione Bullæ, comprehendantur

prehendantur omnes consanguinei, & cognati, tam ascendentes, quam descendentes, & collaterales, usque ad quartum gradum. Quia Bulla loquitur indifferenter, & generaliter de consanguineis: at sic est, quod generali nomine consanguineorum, veniunt non solum, qui sunt in primo gradu, sed etiam qui sunt in quarto, usque hunc enim consanguinitas matrimonium dirimit: ergo. Sic Trullench lib. 1. Bull. §. 3. dub. 3. num. 5. citans pro hac parte Auilam par. 6. disp. 4. sect. 2. dub. 7. §. 5. & Rodriquez §. 5. num. 5. Sed ex his Auila solum refert sententiam Henrici, & transit; Rodrig. verò benè: nam licet citatus ab Henrico pro se; re vera pro hac parte. His addi possunt Ludou. à Cruce hic dub. 3. num. 5. Villalob. in Bulla clausula 4. num. 16. Machado (ni fallor) lib. 1. sum. par. 3. tract. 13. docum. 8. num. 5. Palao tom. 4. tr. 25. disp. unica punct. 6. n. 8. Bardi in Bulla par. 2. tract. 2. cap. 3. sect. 3. n. 22. Diana par. 5. tr. 10. resol. 76. & par. 9. tract. 1. resol. 28.

## QVÆSTIO VIII.

An, sub nomine Consanguineorum, comprehendantur coniuges, hoc est, uxor comparatione mariti & maritus comparatione uxoris?

**N**egat Castrus Palaus tom. 4. tr. 25. disp. unica pun. 6. n. 8. his verbis: Vxorem verò comparatione mariti, & maritum comparatione uxoris, & omnes alios affines existimarem non comprehendi: quia verè consanguinei non sunt: atque ita placuit Ioanni de Salas in explicat. Bull. q. 19. Hæc Palaus. Quem citat, & sequitur Diana par. 9. tr. 1. resol. 28.

Sed probabilius longè, Respondeo: comprehendi coniuges. Quia (inquit Bardi) si agnatis conceditur participatio huius privilegij ob connexionem quam habent cum privilegiato principali, multo magis concedi debet uxori, quæ est vna caro cum viro, inter quos potius est veluti quædam identitas, quam cognatio. Sic ille, in Bulla par. 2. tr. 2. cap. 3. sect. 3. n. 22. Et antea Henric. lib. 7. cap. 13. n. 3. Cuius verba habes quest. anteced. Auila, Trullench, Lud. à Cruce. Rodrig. Villalob. & Machado loc. nuper citatis.

## QVÆSTIO IX.

An etiam, nomine Consanguineorum, in dicto Bulla privilegio, comprehendantur quoque affines?

**A**ffirmandum videtur, eo quod in Bulla Hispana, habeatur: *En presencia de sus familiares i parientes*: at sic est, quod nomine de *Parientes*, veniunt affines; usque ad quartum gradum: ergo. Propter hanc rationem id esse probabile innuit Trull. mox citandus.

Sed, vt mihi certum, Resp. Non comprehendi affines. Quia Bulla Latina expressè loquitur de Consanguineis, ibi: *In sua, ac familiarium, & Domesticorum, ac Consanguineorum suorum presentia*: at sic est, quod affines, non sunt consanguinei: ergo affines non comprehenduntur in dicto Bulla privilegio. Igitur habens Bullam, potest, etiam tempore interdicti generalis localis, conuocare suos familiares, ac Domesticos, qui ipsum comitari solent: nec non uxorem, Patrem, aut matrem & alios suos consanguineos usque ad quartum gradum, & etiam non habentes Bullam, vt secum in Ecclesia, aut in Oratorio Missæ, & aliis diuinis officiis intersit; minimè verò affines, cum hi non comprehendantur nomine consanguineorum. Sic Trullench, lib. 1. in Bull. §. 3. dub. 3. n. 6. & penes ipsum, Lopez c. 6. de clauib. Henr. Pal. Dia. & alij q. 8. cit. Et communis. R. P. Leand. de Censuris.

## QVÆSTIO X.

An, vt quis dicatur Domesticus Privilegiati, & possit cum illo audire, tempore interdicti, Missam; sit necessum, & quod in eadem domo cum Domino habitet, & eius expensis alatur?

**A**ffirmat Bardi in Bull. Cruc. pa. 2. tr. 2. cap. 3. sect. 1. num. 5. existimans vtrumque esse necessum.

Sed probabiliter æque, Resp. Non esse vtrumque necessum. Quia æque probabiliter existimo, quod, etiamsi aliquis habitet extra domum Domini privilegiati, si eius expensis alatur, aut subdit, vel ratione patriæ, vel Dominicæ potestatis, vel sit subiectus mercenarius, possit dici *domesticus*, & gaudere privilegio Bullæ circa auditionem Missæ, interdicti tempore: Nam re vera ad ipsam Domini domum pertinet. Sic Castrus Palaus tom. 4. tr. 25. disp. vn. pun. 6. n. 6. Diana par. 9. tr. 1. resol. 27. Barbofa tr. de Apell. verb. Appell. 78. verb. *Domestici*. & penes ipsum, Bald. Felin. Aretin. & Mascard. legatur dicta à nobis disp. 4. q. 18.

## QVÆSTIO XI.

An Prædicti familiares, Domesticus, & Consanguinei, possint diuinis interesse, absente domino, qui Bullam Cruc. habet?

**N**egant plures DD. eo quod in gratiam habentis Bullam, hoc illis privilegium conceditur. Sic Henriquez lib. 7. c. 7. num. 4. his verbis: Secundò concedit (Bulla) vt interdicti tempore, in eo Oratorio celebrare liceat in sua, & familiarium, & domesticorum, ac consanguineorum præsentia: vt ait Bulla Latina. Porro dominus, qui Bullam habet, huic Missæ adesse debet, vt prædicti familiares, & cognati, tempore interdicti, possint ei interesse. Ita ille. Qui lit. M. citat Rodrig. §. 7. num. 5. Quibus addi possunt Villalob. 1. p. tract. 27. claus. 4. num. 16. Auila par. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 7. vers. circa eandem concessionem. post 3. concl. Trullench lib. 1. in Bull. §. 3. dub. 5. num. 4. Machado lib. 1. par. 3. tract. 13. docum. 8. num. 8. & Bardi in Bull. par. 2. tract. 2. cap. 3. sect. 8. num. 89.

Sed æquè probabiliter Resp. Possè. Quia nullum est fundamentum in Bulla, ex quo colligatur debere dominum adesse: Nam estò in gratiam ipsius familiaribus, & consanguineis hoc privilegium concedatur, non tamen restringitur ad hoc, vt in præsentia Domini, & non in illius absentia frui illo debeant. Quinimo oppositum non leuiter infertur, inquit enim Bulla Latina: *Poterit tempore interdicti, etiam in Oratorio celebrare vel celebrari facere, in sua, & familiarium, & domesticorum, ac consanguineorum presentia*: Ergo sicut potest facere celebrari in sola sua præsentia, non obstante illa particula copulatiua, & ita & in sola præsentia familiarium, Domesticorum, &c. Sic Ludou. à Cruce in Bull. Cruc. disp. 1. cap. 5. dub. 3. num. 5. quem citat, & sequitur Diana par. 5. tract. 10. resol. 76. & par. 9. tract. 1. resol. 21. & 28. Quintadueñas in Theol. morali tom. 1. tract. 7. singul. 32. num. 7. Pellizarius in Man. Regul. tom. 2. tractat. 8. cap. 2. sect. 2. num. 149. Auerfa de Sacram. Euchar. quest. 11. sect. 14. §. 7. Castrus Palaus par. 4. tract. 25. disp. unica punct. 6. num. 9. & penes illum, Ioan. de Salas in Bull. Cruc. quest. 19. post princip. & dicit esse probabile, Machado loc. cit.

## QVÆSTIO XII.

*An, Dominus, audito vno Sacro, possit alteri interesse in gratiam familiarium, Domesticorum, aut Consanguineorum, qui aberant, ut hi Sacro assistant?*

**N**egant Glossa in cap. *Licet, de privileg. in 6.* & ex illa Auila *part. 5. disp. 4. sect. 2. dub. 7. vers. Quinto notandum est.* Licet oppositum esse satis probabile ingenue fateatur.

Sed probabilius, & consequenter, iuxta nuper dicta, Respondeo posse. Quia Bulla non limitat, nec astringit Dominum, ut vnicò Sacro assistat: ergo pluribus adesse potest, ut aperte sentit Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 4. in principio*: ergo, &c. Sic Trullench *in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 5. n. 4.* Diana *part. 5. tract. 10. resol. 76. & part. 9. tract. 1. Resol. 27.* Palao *tom. 4. tract. 25. disp. unica punct. 6. num. 7.* & à fortiori id debent tenere Ludou. à Cruce & Salas quæst. antecedenti pro nostra sententia adducti.

## QVÆSTIO XIII.

*An, ut quis, virtute Bullæ, possit in Oratorio celebrare, aut audire Missam, teneatur necessario, fundere aliquas preces Deo, pro vniõne Principum Christianorum, & Victoriã contra Infideles?*

**R**espondeo teneri, non ex necessitate, aut conditione, sine qua non possit celebrare, aut audire Missam, &c. Sed solum ex præcepto obligante dumtaxat ad veniale, eo quod materia leuis censetur. Sic Henriquez *lib. 13. cap. 48. num. 4. in fine.* Rodrig. *§. 5. num. 4. & in addit. ad idem §. & num.* Trullench *num. 4. citat.* Villalob. *tract. 27. claus. 4. num. 13.* Bardi *in Bull. part. 2. tract. 2. cap. 3. sect. 5. §. 1. num. 40.* Palao *punct. 6. cit. n. 17.* Auila *part. 5. disput. 4. sect. 2. dub. 7. concl. 3. vers. Quartò notandum.* Diana *part. 9. tract. 1. resol. 29.* Machado *lib. 1. part. 3. tract. 13. docum. 8.* vbi sic ait: La tercera condicion es, que el que vbiere de hacer celebrar en Oratorio en tiempo de Entredicho, ruegue à Dios por los Principes Christianos y Vitoria contra infieles. Que este sea precepto, y no condicion necessaria, sine qua non, afirman comunmente los Doctores, y que por configuiente su transgresion no excede de pecado venial por ser cosa tan leue como reçar vna ò dos Ave Marias: demas que ni aun venial seria, si se dexase decumplir por oluido, inaduertencia ò ignorancia, que son causas generales, que escusan de qualquiera pecado. Sic Machado, & Ludou. à Cruce penes ipsum.

An autem qui tempore Interdicti possunt ratione Bullæ audire Missam, illam audire teneantur, decidimus supra *disp. 4. qu. 40.*

## QVÆSTIO XIV.

*An, virtute Bullæ possit quis, siue in Ecclesia, siue in Oratorio, tempore Interdicti, præterquam in Pascha, Eucharistiam sumere; itémque Ordinem, & Extremam Vnctionem?*

**R**espondeo vt certum: Etiam hæc Sacramenta posse recipere. Quia id expresse concedit Bulla habenti illam; vt constat ex verbis ipsius, quæ retulimus *sup. quæst. 1.* Sic Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 4.* ita scribens: Tertio concedit (Bulla) eodem tempore Interdicti, vt in eo Oratorio liceat Communionem recipere: quod verò quidam negant expedire, limitandum est, vt tempore Paschæ com-

munio, qua impletur præceptum Ecclesiæ conferenda non sit in Oratorio 4. potiori ratione, concedit, Bulla, tempore interdicti, vt possit in Ecclesia extra Oratorium Communionem recipere. Quia ita (*addit. in marg. lit. P.*) explicuit Commissarius Episcopus Lucensis. Et id satis colligi ex Bulla Latina, aduertunt consulti Theologi, & Iurisperiti, Gallo Bañes, Sancius, Ludou. de Leon, Alphons. Deza, nam plus est, quod Bulla exprimit concedi, vt in Oratorio communicet. Huc vltique Henriquez. Et Lopez *cap. 6. de Bulla.* Ludou. à Cruce *disput. 1. in Bull. cap. 5. dub. 5. n. 1. & 2.* Trullench *lib. 1. Bull. §. 3. dub. 7. num. 3.* Palao *tom. 4. tract. 25. punct. 6. n. 13.* & omnes.

## QVÆSTIO XV.

*An, qui tempore Paschatis, ad satisfaciendum præcepto; Eucharistiam in Parochia sumpsit, possit etiam in Oratorio priuato, ipso die Paschæ communionem accipere, virtute Bullæ Cruciatæ?*

**N**egat Ægydius Trullench *dub. 7. citato, n. 8. & 9.* ex doctrina Nauarri *c. 21. §. 2.* & Azorij *tom. 1. lib. 7. cap. 30. q. 7.* Quia hoc priuilegium est contra ius commune; ergo strictè est interpretandum. Ita etiam tenuit Auila *part. 5. disp. 4. sect. 1.* in fine, citatque pro se, sed malè, Henriquez.

Sed probabilius respondeo posse etiam. Quia probabilius est, quod Pontifex per illa verba Bullæ, *Excepto die Paschatis*, solum excipit Communionem Paschalem formaliter, id est illam, quæ fit ad implendum præceptum: ergo qui iam præceptum adimpleuit, aut implere vult post Pascha, optimè potest, in ipso etiam die Paschæ, in priuato Oratorio ex deuotione communicare, siue tempore Interdicti, siue extra. Sic, vt nuper vidimus Henriquez & Suarez *in 3. part. q. 82. artic. 3. disp. 72.* Diana *part. 4. tract. 4. resol. 81. & part. 9. tract. 1. resol. 25.* Bardi *in Bull. part. 2. tract. 1. c. 4. sect. 2. num. 12.* Palao *tom. 4. tract. 25. disp. unica punct. 6. n. 13.* Ludou. à Cruce *loc. cit. dub. 6. n. 1. & communis.*

## QVÆSTIO XVI.

*An, vi Bullæ, possit quis recipere Eucharistiam à quolibet simplici Sacerdote, tam tempore Interdicti, quàm extra, absque licentia Parochi?*

**A**firmatiuam sententiam tenuisse Vasqu. *tom. 3. in 3. part. disp. 219. cap. 5. & Dianam 1. par. tr. 11. resol. 20.* diximus *part. 2. tract. 7. disp. 4. resol. 6.* Quibus nunc addo Castrum Palao *tom. 4. tract. 25. punct. 6. n. 15.* citantem malè Suarium pro se; & Ludou. à Cruce *in Bull. disp. 1. c. 5. dub. 6.* & alios.

Sed ego probabilius iterum respondeo non posse, ex vi Bullæ; Quia probabilius est, id Bullam non concedere; sic Auila *part. 5. disputat. 4. sect. 1. dub. 8. in fine.* Henriquez *lib. 7. cap. 13. n. 4.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disput. 72. sect. 2.* Rodriguez *in add. ad §. 5. sup. num. 9.* Quos omnes sic citatos sequitur Trullench *lib. 1. in Bull. §. 3. dub. 8. à num. 4.* Quibus addi possunt Villalob. *claus. 4. cit. in fine.* Nuñus *in 3. part. tom. 1. quæst. 82. art. 3.* Lugo *de Eucharist. disp. 18. sect. 2.* Bardi *in Bull. Cruc. part. 2. tract. 2. cap. 6. sect. 3. num. 3.* Quorum sententiam esse probabiliorẽ & consulendam ait Diana *p. 9. tr. 1. resol. 9.* cum antea *1. part. tr. 11. resol. 20.* oppositam vt probabilissimam secutus fuerat, vt diximus. Notanter dixi: *Non posse, ex vi Bullæ.* Quia in praxi, rectè & licitè poterit quis etiam absque Bulla, recipere Eucharistiam à quolibet Sacerdote; quia semper adest

ad id, interpretatiuus ac præsumptus consensus Paro-  
chi, quod sufficit, vt diximus 2. part. disp. 4. cit. q. 3.

## QVÆSTIO XVII.

An, tempore Interdicti, licitum sit, Benedi-  
ctiones nuptiales dare, & accipere à Pa-  
rocho; tam in Ecclesia, quam  
in Oratorio?

Respondeo vt certum; Esse licitum: dummodo  
non fiant tempore aliàs prohibito. Quia Benedi-  
ctiones huiusmodi inter officia diuina computan-  
tur: at sic est, quod ratione Bullæ est licitum etiam  
laicis assistere diuinis officiis, etiam dum in Orato-  
rio celebrantur: ergo. Sic Henriquez lib. 2. de Ma-  
trim. cap. 2. num. 1. lit. F. Rodrig. in addit. ad §. 5. Bull.  
num. 22. Trullench in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 9. Suarez  
& Auila, quos citat, & sequitur Palao tom. 4. tract. 25.  
punct. 6. num. 12. Bardi part. 2. tractat. 2. cap. 4. sect. 3.  
legantur dicta à nobis sup. disputat. 4. quæst. 37. & di-  
sp. 5. quæst. 33. & 34.

## QVÆSTIO XVIII.

An laici Bullam habentes possint, tempore in-  
terdicti localis generalis, sepeliri in  
loco sacro?

Respondeo: Posse. Quia id expressè concedit  
Bulla Latina, iis verbis: *Item mortuorum corpo-  
ra, nisi fortè vinculo excommunicationis innodati deces-  
serint, cum moderatâ pompa sepelire.* Hispana verò,  
his: *Item concede su Santidad, que en tiempo de entre-  
dicho puedan ser sepultados los cuerpos de los muertos en  
sepultura Ecclesiastica, con moderada pompa funeral.*  
Sic Bulla. Concedit ergo per illam Pontifex, vt  
laici eam habentes possint tempore interdicti localis,  
sepeliri in loco sacro interdicto cum pompa funerali  
moderato, (quod aliàs eis erat prohibitum per ius  
commune, cap. *Quod in te. de penitent. & remiss.* vt  
sup. est habitum.) quo priuilegio etiam gaudent  
Clerici Bullam habentes: quia etiam si iure habeant  
priuilegium, vt possint tempore interdicti sepeliri in  
loco sacro, vt loc. cit. q. ... est habitum; non tamen  
cum pompa funerali, quamuis sit moderata. Sic  
omnes.

## QVÆSTIO XIX.

An, non solum in Ecclesiis generaliter interdi-  
ctis, sed etiam in Ecclesia interdicta spe-  
cialiter, possit quis sepeliri, vi-  
gore Bullæ Cruciatæ?

Negare videtur Rodriguez §. 5. addit. num. 32. &  
expressè negat Bardi in Bull. part. 2. tract. 2. c. 5.  
sect. 5. in fine, & alij penes ipsum.

Sed probabilius respondeo posse. Quia Bulla ab-  
solutè concedit, vt interdicto durante, possint mor-  
tuorum corpora sepeliri cum pompa moderata, &  
non limitat ad Ecclesias, vel Ecclesiam, in quibus  
aliàs de iure permissum est, sicut limitauit in priuile-  
gio celebrandi diuina: ergo hoc priuilegium sepul-  
turæ censetur extensum etiam ad Ecclesias specialiter  
interdictas. Sic Trullench in Bull. lib. 1. §. 3. dub. 10.  
num. 5. dicens sic sentire recentiores. Machado tom. 1.  
lib. 1. part. 3. tract. 13. docum. 11. num. 4. & debent etiam  
omnes DD. quos supra in simili pro nobis citauimus,  
disput. 6. quæst. 9.

R. P. Leand. de Censuris,

## QVÆSTIO XX.

An pueri, amentes, & alij vsurpationis caren-  
tes, possint, tempore Interdicti, sepeliri  
in loco sacro, vi Bullæ pro  
eis susceptæ?

Respondeo tanquam certum: Posse, saltem si in  
vita ipsorum fuerit Bulla pro eis suscepta. Quia  
Bulla generaliter loquitur sine distinctione ætatis; &  
pueri, & amentes censentur interpretatiuè petere, &  
acceptare quæ sibi vtilia sunt. Sic Henriquez lib. 7.  
cap. 20. num. 8. & ex illo Villalob. tract. 27. claus. 5. n. 2.  
Trullench lib. 1. Bull. §. 3. dub. 10. num. 1. Palao tom. 4.  
tractat. 25. punct. 6. num. 18. Machado loc. citat. num. 3.  
& omnes.

## QVÆSTIO XXI.

An, vt quis virtute Bullæ possit, tempore in-  
terdicti, sepeliri in loco sacro, sit omninò ne-  
cessarium, quod in vita ipsius, non post mor-  
tem, fuerit Bulla suscepta?

Negat Villalob. his verbis: *Acerca desta clausula  
se aduertete, que es necessario para aprobecharse  
desta concession, que el difunto aya tenido la Bula de  
vivos quando se murio: y no basta que le tomen la  
Bula de difuntos despues de muerto, porque essa no  
concede mas que la Indulgencia.* Ita ille loc. cit. n. 1.  
Et antea Rodriguez in addit. ad Bull. §. 5. num. 32. &  
postea Bardus in Bull. part. 2. tract. 2. cap. 2. sect. 2. Qui  
tamen non citat bene pro se Ægidium Trullench.

Sed, si non probabilius, mitius tamen respondeo:  
sufficere, quod post mortem ipsius accipiatur Bulla  
viuorum (non defunctorum, vt in hoc bene Villalo-  
bos ait.) Quia id non obscurè colligitur ex verbis  
Bullæ Hispanæ; *Item concede su Santidad que en tiem-  
po de entredicho puedan ser sepultados los cuerpos de los  
difuntos en sepultura sagrada con moderada pompa fune-  
ral.* Hæc enim verba apertè indicant, posse habentem  
Bullam sepeliri in loco sacro, tempore interdicti, si-  
ue eam viuens, siue eo mortuo, alius pro illo eam ac-  
cipiat. Sic expressè Henriquez lib. 7. cap. 20. n. 8. in  
Glossa lit. Y. & Z. ibi: *Vt si quis pro defuncto excom-  
municato, aut tempore Interdicti capiat Bullam, pos-  
set defunctus absolui ab excommunicatione reserua-  
ta, & sepeliri in loco sacro.* Sic ille. Et ex illo Trul-  
lench lib. 1. in Bull. §. 3. dub. 10. num. 1. Et ex utroque  
Machado, ita scribens: *Con todo esto es muy proba-  
ble y como tal lo defiende expressamente. Henriq.  
que se puede tomar la Bula por el que estubiere y a  
difunto, para efecto de que goçe de sepultura Ecle-  
siastica; luzgando que el Pontifice no pide mas con-  
dicion para esto, sino que el difunto se halle con Bu-  
la, ò sea tomada por el quando pudo, ò por otro  
quando no pudo.* Sic Machado lib. 1. part. 3. tract. 3.  
docum. 11. num. 3.

## QVÆSTIO XXII.

An, tempore Interdicti generalis, possit quis vir-  
tute Bullæ sepeliri in loco sacro, cum clamori-  
bus campanarum, & cum officio sepulture, &  
Missa?

Negant ex parte Rodriguez in Cruc. §. 5. num. 13.  
Cui adhærent Palao tom. 4. tr. 25. punct. 6. n. 19.  
& Villalobos, *vbi inquirenti quid per pompam mode-  
ratam, Bulla intelligat, ita respondet: Pompa mo-  
derata es quando se dan tres toque de campanas por  
los varones, y dos por las mugeres: y los Sacerdotes*

N n 3 enterrando

enterrando el cuerpo del difunto, cantanloque se suele en los entierros, à puertas abiertas, excepto que no se dice Missa de Requiem: y assi se declaro en vna Bula contra Africa, que dio Leon X. el año de 1516. la qual refiere el P. Cordoua i dice, que en España comunmente se practica; aunque en esto se ha de estar ala costumbre de los Obispados, y ala declaracion de Obispo, como dicen Henriquez *lib. 7. cap. 20. n. 4.* Fr. Luys Lopez *2. part. instruct. vbi de Bulla cap. 6.* y el P. Fr. Manuel in Bulla §. 5. *num. 12.* y en ausencia lo podra declarar el Cura. Ita Villalobos & Bardi *part. 2. in Bull. tract. 2. cap. 5. sect. 4.* Qui item citat malè Ægydium Trullench pro hac parte.

Sed probabilius absolutè omninò respondeo posse sepeliri in loco sacro cum officio sepulturæ, & Missa de Requiem, cum moderationibus *cap. Alma mater.* Ratio est. Quia tempore Interdicti post *d. cap. Alma.* potest Missam, & alia diuina celebrare, cum moderationibus ibi assignatis, & pro Clericis qui sunt priuilegiati, vt habitum est *suprà disputat. 6. quest. 10.* ergo idem licebit omnibus etiam laicis habentibus Bullæ priuilegium. Sic Auila *part. 5. disput. 4. sect. 3. dub. 2. versu tercio notandum est.* & *dub. 4. vers. Sed maior difficultas.* & penes illum, Angel. Syluest. Armilla, Tabiena, Henriquez, & Sotus. Trullench *lib. 1. in Bull. §. 3. dub. 10. num. 6.*

### QVÆSTIO XXIII.

*An Prædictum priuilegium pro tempore interdicti concessum, etiam habeat locum, & extendatur ad cessationem à diuinis?*

**R**espondeo: non extendi. Quia Bulla solùm facit mentionem de Interdicto, non de cessatione à diuinis: ergo cum à diuersis non fiat illatio ad alia diuersa, & Interdictum, & cessatio sint diuersa, nec vnum aliud contineat, planè sequitur, quod priuilegium Bullæ circa tempus Interdicti, non habeat vigorem pro tempore cessationis à diuinis. Sic Bardi *in Bull. part. 2. tr. 2. c. 3. sect. 8. n. 73.* & penes ipsum, Co-uarruu. *in cap. Alma 2. part. §. 4. num. 7. §. Nec tamen erit.* Medina *lib. 1. cap. 11.* Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 4.* Rodrig. *in Bullam §. 5. num. 8. dub. 3.* Nauarr. *cap. 27. num. 188.* Suarez, Ægydius, Auila, Layman, Trullench, Bonac. & Filliuc. Quibus addi possunt Ioann. de Salas *in explicat. Cruc. quest. 19.* Palaus *tractat. 25. disputat. unica punct. 6. num. 20.* & alij penes ipsum.



INDEX



# INDEX

## RERVM NOTABILIVM, Quæ in hac quarta parte continentur.

*Prior numerus Paginam notat : Posterior  
Questionem.*

### A

*Abbas.*



**BBATES**, & alij Prælati habentes iurisdictionem, quasi Episcopalem, & diœcesim propriam, vt sunt Abbas Metinen. & Aſcalæ Regiæ; abſoluere poſſunt ſuos ſubditos à prædictis Cenſuris reſeruatis. pag. 215 quæſt. 44

*Absens.*

**Absens** poteſt validè, & licitè à Cenſuris abſolui: ſed non abſque cauſa rationabili. 246.101

**Absens** poteſt abſolui à Cenſuris; ſi abſolutio ei conferatur, vigore Bullæ Cruciatæ, aut alterius ſimilis priuilegij. ibid. 102

*Absoluere, Abſolutio.*

**Excommunicationis** Cenſura lata ab homine, ſub hac conditione; *Donec ſatisfeceris*; etiam non tollitur abſque Abſolutione; adhuc ſatisfactione ſequuta. 78. 5

**Ita eſt** neceſſaria Abſolutio ad tollendam Cenſuram iam contractam, vt nullo modo aliter tolli poſſit, niſi de potentia abſoluta Pontificis. ibid. 6

**Quadruplex** eſt Cenſurarum abſolutio. ibid. 7

**Quid ſit** Abſolutio à iure, & quid ab homine? ibid. 8

**Quid** Abſolutio abſoluta, & quid conditionata? ibidem. 9

**Abſolutio** Cenſurarum data ſub conditione de præſenti, vel præterito, eſt valida. ibid. 10

**Licitum** eſt dare aliquando Abſolutionem Cenſuræ, ſub conditione de præſenti, aut præterito. 79. 11

**Valida** eſt Abſolutio à cenſura, ſub conditione de futuro data; nempe, *Absoluo te, ſi infra menſem ſatisfeceris*. ibid. 12

**Regulariter** loquendo non eſt licita Abſolutio, lata ſub conditione de futuro. ibid. 13

**Quid ſit** Abſolutio ſimplex; quidque, ad cautelam? ibid. 14

**Quid ſit** Abſolutio ſimpliciter; & quid, ad reincidentiam. ibid. 15

**Quotuplex ſit** Abſolutio ad reincidentiam? ibid. 16

**Qui** abſolutus eſt ad reincidentiam, hoc ſecundo modo, (v.g. *ad tres dies, ita vt ſi intra eos non ſoluat, reincidentat in excommunicationem*) & impleto tempore non poteſt ſatisfacere, reincident in excommunicationem, in foro exteriori, non autem in foro interiori. 80. 17

**Abſolutio** à Cenſura non habet in iure formam præſcriptam, & determinatam. 81. 22

**Abſolutio** data à peccatis, & non ab excommunicatione, eſt per ſe, & directè, ac ex natura rei, valida. 99. 12

**Quando** excommunicatione in foro interiori eſt nulla, poteſt excommunicatus, priùs à peccatis, quàm ab Excommunicatione, abſolui. 100. 13

**Si** Excommunicatus, ita ſit proximus morti, vt non poſſit priùs ab excommunicatione, quàm à peccatis abſolui; nequit tunc licitè priùs à peccatis abſolui. 101. 17

**Qui** ſunt Iudices, qui poteſtate delegata, abſoluere à Cenſuris poſſunt? 204. 2

**Omnibus** perſonis poteſt delegari poteſtas abſoluen- di à Cenſuris, quibus eſt poteſtas ferendi. ibidem. 3

**Non ſolum** Sacerdos, ſed etiam Clericus primæ Tonſuræ, qui habet iurisdictionem Eccleſiaſticam in foro exteriori, ac proinde, in eodem foro poteſt excommunicare; poteſt etiam, non ſolum in foro exteriori Abſoluere à Cenſuris, verùm etiam in foro interiori. ibid. 4

**Omnes** Sacerdotes, nulla exceptione facta, poſſunt in articulo mortis Abſoluere ab omnibus peccatis & Cenſuris, etiam Papæ reſeruatis. 206. 8

**Illicitum** eſt, Abſolutionem Cenſurarum per errorem, aut dolum, à Iudice extorquere. ibid. 9

**Non ſolum** eſt illicita, verùm etiam inualida, Abſolutio Cenſurarum, per dolum, aut errorem extorta; limita, &c. ibid. 10

**Omnino** eſt inualida, Cenſurarum Abſolutio extorta per vim, vel metum iniurioſum cadentem in conſtantem virum. ibid. 11

**Non** eſt inualida Abſolutio Cenſurarum, extorta à Iudice, per vim, vel metum leuem. ibid. 12

**In** quinque caſibus non poteſt Abſoluere ab excommunicatione ipſe, qui excommunicauit. ibid. 13

**Ab** excommunicatione ab homine lata, poteſt Abſoluere ipſe, qui illam tulit. 207. 15

**Ab** excommunicatione ab homine lata, non tantum poteſt Abſoluere qui illam tulit, verùm etiam eius ſucceſſor. 208. 17

**Non ſolum** poteſt Abſoluere ab excommunicatione, qui per ſententiam illam tulit, aut eius ſucceſſor; verùm etiam, Superior eius. ibid. 18

**Qui** excommunicatus fuit à ſuo Epifcopo per ſententiam generalem, & poſtea domicilium in aliam diœceſim

## Index Rerum

- diœcesim transtulit; non solum potest Absolui ab Episcopo, qui illum excommunicauit, sed etiam ab illo, cuius iam subditus est. ibid. 20
- Prouincialis Ordinis Mendicantium, potest Absoluere illum, quem Inferior Prælatus, v. gr. Minister, seu, Prior Conuentualis, excommunicauit. 209. 21
- Excommunicatio lata per sententiam generalem, pro peccatis futuris, potest etiam relaxari, & Absolui, non solum à Prælato, qui illam tulit, & Superiore; sed etiam ab aliis, qui possunt absoluere ab excommunicatione lata ab ipso iure. ibid. 22
- Ex vi priuilegij specialis Religionis, possunt Prælati illius Absoluere excommunicatum, ab excommunicatione ab homine per sententiam particularem lata, & contracta ante ingressum Religionis, dummodo satisfacta sit pars. 211. 30
- Potest Absoluere ab Excommunicatione, & alia quouis censura iuris, reseruata, ipsemet legis Conditor, &c. 212. 36
- Obtinens facultatem à Papa ad Absoluendum ab omnibus Censuris; potest Absoluere à Censuris iuris reseruatis. 213. 37
- At obtinens facultatem Absoluendi à Censuris Papæ reseruatis; nequit Absoluere à casibus contentis in Bulla Cœnæ, quando non est facta mentio huius Bullæ. ibid. 38
- Qui à Papa obtinuit facultatem Absoluendi à Censuris, & casibus illi reseruatis; potest Absoluere à Censuris, & casibus, quos sibi Episcopi reseruauerunt, non stando in rigore iuris, sed stando consuetudini. 214. 40
- Quando priuilegium Absoluendi à censuris est concessum, non in gratiam pœnitentis, sed ipsius Confessorij; tunc saltem, potest hic, validè Absolvere inuitum. 247. 105
- Casu, quo validè Absoluitur à censuris inuitus; etiam Absoluitur licitè, si concurrant nonnullæ conditiones. ibid. 106
- Petenti Absolutionem ad cautelam, nocere ea petitio nequit, ita vt reputare eum oporteat pro excommunicato. 248. 107
- Ignarus, vel inscius, potest à censuris Absolui. ibidem. 108
- Non est de essentia Absolutionis censurarum, vt fiat per verba propriè dicta. ibid. 109
- Absolutio censurarum, per nutus, & signa, validè dari nequit, nisi à Summo Pontifice. ibid. 110
- Ad Absolutionem censuræ in foro conscientiæ, non requiritur determinata verborum forma. 249. 111
- Absolutio censurarum non valet, si dicatur: *Absoluo te*, non addendo, *ab excommunicatione, suspensione, vel interdicto*; nisi in casu, &c. ibidem. 113
- In Absolutione censurarum, explicari non debet necessariò causa, ob quam quis incurrit censuram; dicendo: *Egote Absoluo ab excommunicatione, quam ob furtum, v. gr. incurristi*. 250. 114
- Absolutio censurarum, dari validè potest, iisdem verbis, quibus datur Absolutio peccatorum, nempe; *Absoluo te*. ibid. 115
- Licitè nequit Sacerdos Absoluere simul à censuris, & à peccatis, præfatis verbis: *Absoluo te*: nisi in casu necessitatis ibid. 116
- Ante Absolutionem ab excommunicatione, sunt aliquæ solemnitates, & ceremoniæ præmittendæ. ibidem. 117
- Nec viri, nec fœmina, quæ Absoluendæ sunt, debent ab Absolvente verberari, scapulis nudis. 252. 121
- Hæc solemnitatum, & ceremoniarum forma, non est de substantia Absolutionis, saltem publicæ. ibidem. 122
- Actus, Agere.*
- Quando Actus exterior malus, prohibitus sub aliqua Censura, non procedit ab Actu interiori habente eam malitiam, quæ sub Censura est prohibita; homo illum Actum exteriorem exercens, non incidit in illam Censuram. 60. 6
- Actus externus, per quem quis ligatur Censura, debet esse in sua specie morali, completus, & consummatus. 61. 8
- Acta à Iudice Ecclesiastico excommunicato tolerata, & non vitando, sunt valida, ac rata. 158. 10
- Sententia, & alij Actus Iudicis excommunicati tolerati, non sunt validi, etiam casu quo partes illum excipiant, quod sit excommunicatus? 166. 17
- Excommunicatus maior, non potest esse in iudicio per se, Actor, seu agere in foro, Hispanè, *Poner de-manda, ò Acusar, en Inicio*. 161. 1
- An Excommunicatus Agens in iudicio publico, repelli debeat à iudice, quando exceptio excommunicationis non opponitur ab aduersario? Duplex responsio. 162. 5
- Non ita est prohibitum excommunicato vitando, in iudicio Agere; vt tamen si agat, & non repellatur à iudice, nec ei exceptio excommunicationis opponatur, gesta per ipsum non valida sint. ibid. 6
- Actor excommunicatus non peccat mort. ius suum in Iudicio petens; ante quàm à Iudice expellatur ab illo. 163. 7
- Administrator,*  
*Vide, Minister, Ministrare.*
- Licitum est Excommunicato non tolerato, Eucharistiam in articulo mortis Administrare. 106. 13
- Admonitio, vide, Monitio.*  
*Aduocatus.*
- Iuriconsultus excommunicatus vitandus, licitè non potest esse Aduocatus, seu Aduocare in Iudicio, pro Reo, vel Actore. 168. 26
- Iuriconsultus excommunicatus vitandus, peccat mortaliter, Aduocando pro alio in Iudicio. ibid. 27
- Valida sunt ea, quæ ab Aduocato excommunicato vitando fiunt. ibid. 28
- Aduocatus excommunicatus vitandus non tenetur restituere stipendium, quod pro Aduocatione accepit. ibid. 29
- Aments.*
- Amentes aut insani, qui ante vsum rationis in amentiam inciderunt, non possunt ligari Censuris. 20. 13
- Amentes & insani qui in amentiam post vsum rationis inciderunt, possunt ligari Censuris, propter contumaciam, & inobedientiam commissam contra Prælatum, tempore, quo in ipsis vsum rationis vige-bat, saltem quoad effectus quorum sunt capaces ibid. 14
- Amentes, & Insani possunt incurere Censuram à lege latam, propter culpam ante amentiam commissam ibid. 15
- Amplexari.*
- Prohibitum est fidelibus, osculari, aut Amplexari Excommunicatum vitandum. 174. 6
- Angeli.*
- Angeli non sunt capaces Censuræ. 18. 2
- Apostata.*
- Omnis Apostata, censuram Bullæ Cœnæ incurrit. ibid. 10
- Applare, Appellatio.*
- A Censura lata sub conditione nequit appellari, conditione etiam impleta. 34. 18
- Appellatio à Censura contra ignorantem lata, an impediatur iudicem ne reum denunciaret. 55. 13
- Denunciatio

*Index rerum.*

Denunciatio Censuræ à iure lata, vel alterius, quæ ipso facto contrahitur, potest, per appellationem à sententia declaratoria criminis, impediri. *ibid.* 14  
 Per appellationem, non suspenduntur effectus Censuræ absolute iam latae. 76.6  
 Post factam, & admissam appellationem, potest Prælatum, à quo appellatum est, absoluerè appellantem ab excommunicatione, quam contra ipsum tulerat. 210.27

*Aqua.*

Aquæ benedictæ vsus quomodo sit prohibitus omni excommunicato. 127.44

*Archidiaconus.*

Archidiaconi, & Archipresbyteri iurisdictionem ordinariam ferendi Censuras non habent. 9.16

*Archiepiscopus.*

Archiepiscopus potest validè, & licitè absoluerè ab excommunicatione, & alia quavis Censura lata per Metropolitanum Episcopum, in causa appellationis. 222.19

*Arms.*, vide, *Infidelis, Saracenus.*

B

*Baptismus, Baptizare.*

Baptizati omnes, etiam si careant vsu rationis, non sunt Censuræ capaces. 19.10

Quis sit capax ferendi censuras, debet esse baptizatus. 12.26

Sacerdos Excommunicatus vitandus, baptizans aliquem in extrema necessitate, cum solemnitate, & ceremoniis, peccat mortaliter. 104.8

Licitè possèt Sacerdos excommunicatus ministrare Baptismum, in dicto casu necessitatis, si adesset laicus non excommunicatus, qui baptizare posset. *ibid.* 9

Baptismus collatus ab Excommunicato vitando, saltem extra casum necessitatis est validus. 109.2

*Beneficium.*

Excommunicatio maior non priuat, ipso facto, hominem, beneficiis, ante ipsam, legitime obtentis. 134.1

Nequit priuari excommunicatus, beneficiis, quæ ante excommunicationem legitime obtinebat. 135.2

Collatio Beneficij facta excommunicato, est ipso iure inualida, & nulla. *ibid.* 3

Atque etiam facta excommunicato tolerato, & non vitando. *ibid.* 4

Collatio beneficij facta excommunicato inuincibiliter ignorantem se esse excommunicatione maiori ligatum, est inualida, ac nulla. 136.5

Valida est beneficij collatio, facta illi, qui tempore collationis, credebatur, sed falsò, esse excommunicatus. 137.6

Similiter est valida, ac rata electio, aut collatio beneficij facta ei, qui per sententiam fuit excommunicatus, sed reuera nulliter. *ibid.* 7

Non est valida, ac rata collatio beneficij, facta illi, qui per sententiam Iudicis, iniuste: validè tamen, fuit excommunicatus. *ibid.* 8

Valida est collatio beneficij, facta alicui, tempore, quo non est maiori excommunicatione ligatus, postea tamen dum est maiori excommunicatione adstrictus, collationem acceptat. *ibid.* 9

Acceptans Beneficium in excommunicatione, nec venialiter peccat. 138.10

Non est valida collatio Beneficij, facta Excommunicato maiori, casu quo talem collationem acceptet post absolutionem ab excommunicatione. *ibid.* 11

Qui obtinuit Beneficium, eo tempore, quo erat maiori excommunicatione ligatus, tenetur resignare illud. 140.13

Excommunicatus occultus tenetur manifestare suam excommunicationem, si aliter non possit se retrahere ab acceptatione Beneficij, ad quod eligitur. *ibid.* 14

Non solum collatio Beneficij, verum etiam electio, postulatio, præsentatio, aut alia quæcumque prouisio illius, facta excommunicato est nulla ac inualida. 142.18

Collatio Beneficij, aut alterius dignitatis Ecclesiasticæ, aut sæcularis, facta ei, quem Pontifex scit esse excommunicatum est valida & rata. 143.21

Impetratio literarum ab Excommunicato obtenta, ad Beneficia vacatura, est ipso iure nulla. *ibid.* 23

Commenda, seu commendatio Beneficij, parochialis, seu Ecclesiæ, facta Excommunicato, est etiam inualida. *ibid.* 24

Permutatio Beneficiorum facta per Excommunicatum est irrita ac nulla. 144.25

Excommunicatus est priuatus fructibus suorum beneficiorum, quorum collationem accepit tempore excommunicationis. *ibid.* 26

Excommunicatus quandiu in excommunicatione perseuerat, etiam est priuatus fructibus illorum beneficiorum, quæ legitime ante excommunicationem possidebat. *ibid.* 27

Excommunicatus tam toleratus, quàm non toleratus, est propter excommunicationem priuatus, ipso iure, & facto, fructibus beneficiorum, non expectata iudicis sententia. *ibid.* 28

Ex vi iuris, priuatur, ipso facto, fructibus sui beneficij, excommunicatus, quem pœnitet, & non stat per ipsum, vt absoluat. 145.29

Supposito quod excommunicatus, ipso iure, & ante omnem sententiam, est priuatus fructibus sui beneficij; tenetur in conscientia seipsum spoliare his fructibus, eosque restituere, etiam ante sententiam declaratoriam Iudicis. *ibid.* 30

Stando etiam in rigore Iuris, quando excommunicatus est pauper, non habens alias vnde viuar, non potest retinere ex fructibus sui beneficij, quidquid fuerit necessarium, ad sustentationem sui, & suorum, etsi sit negligens in procuranda absolutione. 146.31

Casu, quo excommunicatus non sit in mora petendi absolutionem à Censura, sed potius illam petit; potest ipsemet excommunicatus propria autoritate, ex fructibus beneficij suæ inopiæ occurrere, si aliunde non potest se alere. 147.32

Non tenetur Superior Excommunicatum contumacem, de fructibus beneficij eius sustentare, si excommunicatus inopia, & egestate laboret. *ibid.* 33

Fructibus beneficij, quibus Excommunicati priuantur, sunt expendendi in vtilitatem Ecclesiæ, ad quam beneficium spectat. 148.38

Iniuste excommunicatus potest (postquam excommunicatio declarata fuerit iniusta) repeterè fructus beneficij, quos amisit, tempore excommunicationis. *ibid.* 40

Excommunicatus priuatus est potestate conferendi Beneficia Ecclesiastica. 150.1

Collatio Beneficij facta à quolibet excommunicato, tam tolerato, quàm non tolerato non est inualida. *ibid.* 2

Excommunicatus toleratus, seu non vitandus peccat Beneficia conferendo sponte, non verò si ad petitionem alterius. *ibid.* 3

Non solum ipse excommunicatus, sed etiam qui eius vicem gerit, est priuatus iurisdictione ad conferenda Beneficia. *ibid.* 4

Ad quæcumque Beneficia Ecclesiastica conferenda, sit excommunicatus vitandus est priuatus iurisdictione. 151.5

Quando ius conferendi beneficium pertinet ad plures coniunctim



## Index Rerum

- coniunctim, collatio redditur nulla, si ex conferentibus aliquis sit excommunicatus vitandus. *ibid.* 6
- Admissio, seu sumptio possessionis beneficii, legitime sibi collati, facta ab excommunicato, non est valida, nec licita. 155.21
- Qui actus intromittendi aliquem in possessionem beneficii, ab excommunicato factus, sit validus. *ibid.* 22
- Resignatio beneficii simpliciter facta ab excommunicato quolibet, in manibus Prælati, à quo conferitur beneficium, est valida. 156.23
- Resignatio beneficii ab excommunicato vitando facta, in fauorem tertiæ personæ, hoc est, sub conditione, vt conferatur personæ à se assignatæ, non est valida. *ibid.* 24
- Non est inualida beneficii resignatio in fauorem tertiæ personæ, si fiat ab excommunicato occulto, & non vitando. *ibid.* 25
- Institutio, aut confirmatio beneficii, facta ab excommunicato vitando, est nulla. *ibid.* 26
- Si Pontifex, sub pœna excommunicationis præcipere; ne quis Sicariis, seu Bannitis subueniret, non posset aliquis in extrema necessitate illis existentibus, subuenire, absque incurfu Censuræ. 201.67
- Clericus persistens in excommunicatione per annum, priuari potest beneficiis quæ possidet. 203.9
- Bulla Cœna.*
- Contra vndecim genera personarum, Prima Bullæ Cœnæ Excommunicatio fulminatur. 252.1
- Secunda Excommunicatio Cœnæ, fertur contra appellantes à mandatis Papæ, ad futurum Concilium. 275.1
- Tertia, contra Pyratas, Cursarios, ac Latrones maritimos. 276.1
- Quarta, contra Rapientes bona Christianorum naufragantium. 279.1
- Quinta, contra imponentes iniusta, & iniqua Pedagia, seu Gabellas. 283.1
- Sexta, contra Falsarios literarum Apostolicarum. 286.1
- Septima, contra dantes auxilium Infidelibus, aut Hæreticis, aduersus Christianos. 290.1
- Octaua, contra impediētes victualia, & alia necessaria ad Curiam Romanam deferri. 306.1
- Nona, contra lædentes eos, qui ad Sedem Apostolicam veniunt, vel ab ea recedunt: tum etiam, contra eos, qui vexant, sine iurisdictione, in Curia commorantes. 310.1
- Decima, contra lædentes Romipetas, ac Peregrinos, qui Romam deuotionis causa petunt. 314.1
- Vndecima, contra offendentes S.R.E. Cardinales, & alios Prælatos. 318.1
- Duodecima, contra offendentes recurrentes ad Romanam Curiam, super eorum causis, & negotiis. 322.1
- Decimatertia, contra appellantes à grauamine, aut executione literarum Apostolicarum, ad laicam potestatem. 324.1
- Decimaquarta, contra eos, qui causas spirituales commissas à Papa, virtute Literarum Apostolicarum, ad se aduocant, vt illarum executionem impediāt. 325.1
- Decimaquinta, contra trahentes personas Ecclesiasticas ad Tribunal sæculare: & contra facientes statuta, quibus Ecclesiastica libertas læditur. 328.1
- Decimasexta, contra impediētes Prælatos, ne sua iurisdictione vtantur. 336.1
- Decimasextima, contra vsurpantes Sedis Apostolicæ, & aliorum Ecclesiasticorum iurisdictiones, aut fructus, aut denique contra illos, sine facultate superioris, sequestrantes. 338.1
- Decimaoctaua, contra imponentes Decimas, & alia onera Ecclesiasticis personis, Ecclesiis, Monasteriis, & eorum fructibus. 342.1
- Decimanona, contra Iudices sæculares, qui se, in causis criminalibus, interponunt contra personas Ecclesiasticas. 346.1
- Vigesima, contra occupantes bona, aut Terras Ecclesiæ Romanæ, & eius iurisdictionem in illis vsurpantes. 348.1
- Bulla Cruciatæ.*
- Virtute Bullæ Cruciatæ, potest quis absolui ab omnibus casibus, & excommunicationibus Episcopis reseruatis; totiesque, & quoties indigerit. 233.80
- Virtute Bullæ Cruciatæ, potest quis absolui bis, nempe semel in vita, & iterum in articulo mortis, ab excommunicatione reseruata Papæ, etiam in Bulla Cœnæ. *ibid.* 81
- Vigore Bullæ, potest pœnitens absolui ab vnoquoque casu, Pontifici reseruato, quousque absoluitur ab omnibus, ab vnoquoque tamen semel, intra publicationis annum. 234.82
- Virtute Bullarum præteritarum, nequit etiam quis absolui semel, à casibus Papalibus; si Bullis illis, in ordine ad hunc effectum, non sit vsus; quamquam oppositum sit probabile. 235.83
- Confessarius potest absoluere pœnitentem habentem Bullam Cruciatam, à casibus Pontifici reseruatis, non solum semel, sed toties, quoties, dummodo sint occulti. *ibid.* 84
- An virtute Bullæ Cruciatæ, in qua conceditur facultas absoluendi à contentis in Bulla Cœnæ, excepta hæresi, possit adhuc Confessarius, hæreticum occultum, pœnitentem, & emendatum absoluere? multa resoluuntur. 236.85
- In Regnis, in quibus sanctum Inquisitionis Tribunal reperitur, nequit Confessarius absoluere pœnitentem habentem Bullam Cruciatam, à crimine hæresis externæ occultæ. 237.86
- Virtute Bullæ Cruciatæ, possunt absolui semel in vita, & semel in morte, qui lapsi sunt publicè in crimina contenta in primo Canone Bullæ Cœnæ, excepta hæresi; dummodo verè hæretici non sint. 239.87
- Confessarius nequit vi Bullæ Cruciatæ, absoluere eum, qui culpabiliter omisit denunciare delicta, quæ sunt in Ediçto Inquisitorum, antequam de facto denunciet. *ibid.* 89
- Vi Bullæ Cruciatæ, non potest quis absolui à Censuris à iure, vel ab homine impositis, antequam satisfactio præstetur parti læsæ, in casibus, in quibus pars fuit offensa. 240.90
- Qui de facto fuit absolutus, vi Bullæ, sine satisfactione partis, non est nulliter absolutus. *ibid.* 91
- Confessarius potest licitè, & validè vi Bullæ absoluere pœnitentem, qui non potest parti læsæ satisfacere. *ibid.* 92
- Nomine, *partis læsæ*, in clausula Bullæ, vel in alio simili priuilegio, intelligitur solum persona, cui iniuria facta est. 241.93
- Vi Bullæ Cruciatæ, potest absolui pœnitens, qui solum satisfecit Clerico, vel Monacho læso, & offenso; item Ecclesiæ, vel Monasterio. *ibid.* 94
- Vi Bullæ Cruciatæ, validè potest Confessarius absoluere nominatim excommunicatos; aut publicos percussores Clericorum; aut alios, quorum excommunicatio deducta est ad forum contentiosum; & lis non est finita; atque id saltem in foro interiori. 242.95
- Vi Bullæ non solum validè, sed etiam licitè, potest Confessarius absoluere prædictos excommunicatos, quorum excommunicatio est deducta ad forum contentiosum, & lis non est finita; sed priùs satisfacta parte. 243.96
- Absolutio

*Index rerum.*

**Absolutio** ab excommunicatione publica, iam delata ad forum contentiosum externum, facta virtute Bullæ Cruciatæ, prodest etiam pro foro externo, si collata sit, parte satisfacta. *ibid.* 97

**Absolutio** à præfata excommunicatione, virtute Cruciatæ lata, non valet pro foro externo, casu etiam, quo pars læsa, non sit realiter, & cum effectu, satisfacta, aut cum ea concordatum; ob impotentiam pœnitentis; sed tantum valet pro interno. 245.98

**Supposito**, quod, iuxta nostram sententiam, valida sit, etiam pro foro externo, absolutio data, vi Cruciatæ, ab excommunicatione reseruata, & delata ad forum contentiosum; potest, sed non tenetur Iudex eam acceptare, & approbare, & liberum reputare reum excommunicatum à pœna fori exterioris. *ibid.* 99

**Absolutio Censurarum**, vi Cruciatæ; non est necessariò impertienda in actu Confessionis Sacramentalis. *ibid.* 100

**Absolutio** à censuris, præscindendo à priuilegio Bullæ, & ab alio simili, potest validè inuito conferri. 247.103

**Vi Bullæ Cruciatæ**, aut alterius similis priuilegij concessi in fauorem pœnitentis, hic, etiam inuitus, à Censuris absolui. *ibid.* 104

**In absolute** censurarum, quæ datur virtute Bullæ Cruciatæ; necessariò non requiritur vti forma, quæ in ipsa Bulla præscribitur. 249.112

**Laici** habentes Bullam Cruciatæ possunt, tempore Interdicti generalis, interesse Missæ, & aliis officiis diuinis. 421.1

**Non potest** quis vigore Bullæ, interesse Missæ, & aliis officiis diuinis, in Ecclesia specialiter, interdicta. *ibid.* 2

**Vi Bullæ** potest tempore Interdicti, audire, aut celebrare Missam in quacunque Ecclesia & Oratorio. *ibid.* 3

**Bullæ Cruciatæ** vigore non potest quis habere oratorium priuatum in sua domo, & in eo Missam audire, aut celebrare, tempore Interdicti. 412.4

**Omnes** habentes Bullam possunt secum, tempore Interdicti, ducere famulos, aut familiares in Ecclesiam, & Missæ, & aliis officiis adesse. *ibid.* 5

**Possunt** & secum ducere ad Ecclesiam omnes Domesticos familiares, ac consanguineos, & ibi tempore Interdicti, Missæ interesse. *ibid.* 6

**Nomine** horum Consanguineorum veniunt Consanguinei vsque ad quartum gradum. *ibid.* 7

**Sub** his etiam comprehenduntur Coniuges hoc est vxor comparatione mariti, & maritus comparatione vxoris. 423.8

**Sub** Consanguineis verò in dicto Bullæ priuilegio non comprehenduntur affines. *ibid.* 9

**Vt** quis dicatur Domesticus priuilegiati, & possit cum illo vi Bullæ audire Missam tempore Interdicti, non est necessum simul & quod in eadem domo cum Domino habitet, & quod eius expensis alatur. *ibid.* 10

**Omnes** hi prædicti, Domestici, Consang. &c. possunt diuinis interesse, absente Domino, qui Bullam Cruciatæ habet. *ibid.* 11

**Dominus** vi Bullæ audito vno Sacro, potest alteri interesse in gratiam familiarium Domesticorum, aut Consanguineorum, qui aberant, vt hi Sacro assistant. 424.12

**Vt** quis, virtute Bullæ, possit in Oratorio celebrare, aut audire Missam, teneatur non ex necessitate, sed ex præcepto fundere aliquas preces Deo, pro vnione Principum Christianorum, & Victoriâ contra Infideles. *ibid.* 13

**Virtute** Bullæ potest quis, siue in Ecclesia, siue in Oratorio, tempore Interdicti, præterquam in Pas-

cha, Eucharistiam sumere; itémque Ordinem, & Extremam Vnctionem. *ibid.* 14

**Qui** tempore Paschatis, ad satisfaciendum præcepto, Eucharistiam in Parochia sumpsit, potest etiam in Oratorio priuato, ipso die Paschæ communionem accipere, virtute Bullæ Cruciatæ. *ibid.* 15

**Vi** Bullæ, non potest quis recipere Eucharistiam à quolibet simplici Sacerdote, tam tempore Interdicti, quàm extra, absque licentia Parochi. *ibid.* 16

**Vi** Bullæ tempore Interdicti, licitum est, Benedictiones nuptiales dare, & accipere à Parocho; tam in Ecclesia, quàm in Oratorio. 425.17

**Laici** Bullam habentes possunt, tempore interdicti localis generalis, sepeliri in loco sacro. *ibid.* 18

**Non solum** in Ecclesiis generaliter interdictis, sed etiam in Ecclesia interdicta specialiter, potest quis sepeliri, vigore Bullæ Cruciatæ. *ibid.* 19

**Pueri**, amentes, & alij vsu rationis carentes, possunt, tempore Interdicti, sepeliri in loco sacro, vi Bullæ pro eis susceptæ. *ibid.* 20

**Vt** quis virtute Bullæ possit, tempore interdicti, sepeliri in loco sacro, non est omninò necessarium, quod in vita ipsius, sed sufficit quod post mortem, fuerit Bulla suscepta. *ibid.* 21

**Tempore** Interdicti generalis, potest quis virtute Bullæ sepeliri in loco sacro, cum clamoribus campanarum, & cum officio sepulturæ, & Missa. *ibid.* 22

**Prædictum** priuilegium pro tempore Interdicti concessum, non extenditur ad cessationem à Diuinis. 426.23

C

*Capitulum.*

**Capitulum**, Sede Episcopali vacante, potest, virtute Decreti Tridentini, absoluere à censuris reseruatis Papæ, ex delicto occulto ortis. 215.43

*Cardinalis.*

**Absoluere** possunt Cardinales in Ecclesiis, quæ eis assignatæ sunt pro titulo. 203.1

**Si** quis impetum faciat ad domum Cardinalis, vel Patriarchæ, &c. & obsideat illum, & claudat in domo, non ad carcerandum, sed solum, vt verecundiam inferat; excommunicationem Bullæ incurrit. 319.3

**Qui** Cardinalem, vel Patriarcham, &c. insequens, telum, vel saxum proiicit ad illum interficiendum, hac excommunicatione obstringitur. *ibid.* 4

**Non** admittens Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Legatos, & Nuntios, ad possessionem suarum Ecclesiarum, aut ad Prouincias, ad quas mittuntur, Censura huius Canonis non feritur. *ibid.* 5

**Eiiciens** aliquem Prælatum ex dictis, à domo Regis, seu Principis, non comprehenditur hac Censura. *ibid.* 6

**Eiiciens** Legatum, vel Nuntium, Episcopum, vel Archiepiscopum, à locis in quibus iurisdictionem exercere possunt, afficitur hac Censura. *ibid.* 7

**Eiiciens** Episcopum, aut Archiepiscopum, aut alium ex præfatis Prælati, ex locis in quibus nati sunt, vel domicilium habent, vel ex suis Castris, aut oppidis, quæ bona sunt patrimonialia, hanc Censuram incurrit. 320.8

**Vt** incurrat hæc excommunicatio ob eiectionem præfatorum Prælatorum lata, non opus est, vt eiectio fiat factò, sed sufficit verbis. *ibid.* 9

**Hac** excommunicatione feritur, occidens, aut mutilans, &c. Cardinales, qui ad Cardinalitiam dignitatem electi à Pontifice sunt, & consensum electioni præstiterunt; galarum tamen rubeum non obtinuerunt. *ibid.* 10

## Index Rerum

- Qui occideret, mutilaretve, &c. Cardinales Ecclesiæ S. Iacobi, non afficeretur excommunicatione huius Canonis. ibid. 11
- Interficiens, aut capiens, &c. Episcopum electum, & confirmatum, sed non consecratum, vinculo excommunicationis huius non ligatur. 321.12
- Interficiens, aut mutilans, &c. Episcopum excommunicatum, suspensum, interdictum, irregularem, aut degradatum verbaliter, incidit in censuram huius Canonis. ibid. 13
- In excommunicationem huius Canonis non incidit, qui clericum, vel Religiosum de familia Cardinalis, Nunciij, vel Episcopi, &c. occidit, mutilat, vel vulnerat, &c. ibid. 14
- Offendentes non solum Clericos, vel Religiosos familiares Papæ, vel Cardinalium, sed etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporumve, neutri incidunt in excommunicationem latam in cap. *Fœlicis, de pœnis*. ibid. 15
- Cardinalis, Episcopus, vel Nuncius occidens, mutilans, capiensve, &c. alium Cardinalem, Episcopum, vel Nuntium, excommunicatione huius Canonis afficitur. 322.16
- Cardinalis, seu Episcopus, &c. se ipsum vulnerans, aut percutiens, excommunicationi huius Canonis subiicitur. ibid. 17
- Occidens, aut percutiens Cardinalem, seu Episcopum, turpiter inuentum cum propria matre, vxore, vel filia, hanc excommunicationem non incurrit ibid. 18
- Mandans, ratum habens, consulens, fauens, & auxilians præfata delicta, in excommunicationem incidunt. ibid. 19
- Catechumeni.*
- Catechumeni non sunt Censuræ ecclesiasticæ capaces?
- Christiani, vide sub verb. Infidelos, Saraceni, Turca. Circumstantia.*
- Incurrit plures excommunicationes, qui vnica actione, vel actu, violat legem habentem plures circumstantias, pro quibus singulis lata est excommunicatione. Sed sub distinctione. 28.46
- Censura.*
- Censuræ nomine quid veniat? 1.1
- Censuræ Ecclesiasticæ quid. 2.2
- Censura propriè, & strictè sumpta, in tres tantum species diuiditur. ibid. 3
- Censura rectè diuiditur in censuram, quæ est à iure, & in censuram, quæ est ab homine. 4.11
- Censura benè subdividitur in eam, quæ est *latæ sententiæ*; & in eam, quæ est, *ferendæ sententiæ*. ibid. 12
- Ex quibus verbis, cognosci possit, quando Censura est ferendæ? ibid. 14
- Censura lata sub his verbis: *Excommunicationem, aut suspensionem te noueris incursum*, dicitur Censura latæ sententiæ. 5.15
- Censura lata sub his verbis, *Qui hoc fecerit, Anathema sit, aut excommunicatus sit*, est item Censura latæ sententiæ. ibid. 16
- Istæ particulæ: *Ex tunc, mox, omnino, prorsus, incontinenti, illicò, continuo, confestim, statim, protinus*, quando declarent Censuram ipso iure esse latam? ibid. 17
- In quo differant Censuræ à iure, ab his, quæ sunt ab homine. 6.19
- Obligatio non operandi contra censuram impositam, est de iure humano. 7.5
- Vt quis sit capax ferendi Censuras, iure ordinario, requiritur quod sit Ordinis Clericalis, seu primæ Tonsturæ. ibid. 6
- Vt quis sit capax Censuras ferendi, iure ordinario, non necessum est quod sit presbiter, aut aliquo sacro ordine initiatus. ibid. 19
- Vt quis possit ferre Censuras, debet esse homo viator. 11.22
- Vt quis sit capax ferendi Censuras, debet esse compositionis, & vsus illius habere. ibid. 24
- Non potest committi puero carenti vsu rationis potestas ferendi Censuras, vt illam exerceat postea factus adultus. ibid. 25
- Non potest quis in Superiorem, aut saltem, in æqualem Censuras ferre. 16.44
- Qui potestatem habet Censuras ferendi, debet necessariò, ad validè illas ferendas, aditerere, & intendere eas infligere. ibid. 45
- Necessarium est ad validè Censuras ferendas, quod Iudex libera voluntate illas ferat. 17.46
- Censura lata à Iudice, vi, & metu cadente in virum constantem, valida est. ibid. 47
- Qui Censura aliqua ligatus moritur, non permanet post mortem illa ligatus. 19.5
- Necesse est, vt Superiorem habeat in terris, qui Censuris ligari potest. 21.16
- Censura lata in vnâ personam indeterminatam ex pluribus, quæ patrarunt delictum, non est valida. 24.31
- Qui semel Censura aliqua ligatus est, potest & aliis diuersæ rationis Censuris ligari. ibid. 32
- Potest ligari denuò Censura eiusdem speciei, & rationis, qui iam semel ligatus est: v.g. excommunicari denuò, qui iam excommunicatus est. ibid. 35
- Vt quis Censuras validè imponat, non sufficit eas ferre per actum interiorem dumtaxat; dicendo, v.g. intra se, volo, & mando, quod qui tale peccatum patrauerit, maneat excommunicatus. 29.1
- Vt valida sit Censura, necessariò non est in scriptis proferenda. ibid. 2
- Vt valida sit Censura, necessariò non est verbis ferenda; sed sufficit nutibus illam proferre. 30.3
- Ad inferendam Censuram, non sunt præscripta aliqua certa, & determinata verba. ibid. 4
- Vt valida sit Censura, debet ferri per verba definita quoad speciem Censuræ, vt, *excommunico, suspendo, interdico*. ibid. 5
- Valida est Censura, data sub hac forma: *Excommunico te*. ibid. 6
- Censura lata sub disunctione inter duas Censuræ species, vt, si Iudex dicat; *Clericus, qui nutrierit comam, sit aut excommunicatus, aut suspensus ab officio*, est valida, & consequenter ligat. 31.8
- Vt valida sit Censura decet disertè exprimi persona in quam fertur. 32.10
- Vt Censura ipso facto liget, debet eius forma determinari quoad præsens tempus. ibid. 11
- Forma ferendi Censuram potest esse, sub conditione pertinente ad causam Censuræ, vt si Iudex dicat: *Nisi solueris intramensem, excommunico te*. ibid. 12
- Validè potest ferri Censura, sub conditione impertinente ad causam Censuræ: vt si feratur hac forma: *Excommunico te, si nauis ex India venit, aut venerit, modo talis conditio extet*. ibid. 13
- Censura lata ab homine, sub conditione peccati in futurum committendi; vt, *si quis commiserit tale peccatum, excommunicatus sit*, non est à iure prohibita, & inualida. 33.14
- Censura sub conditione lata, non incurritur, donec conditio in Censura appositâ, impleatur. ibid. 15
- Censura lata sub conditione, suspenditur per legitimam appellationem illius, in quem lata est. ibid. 16
- Censura lata sub conditione, suspenditur per appellationem factam quocumque tempore, antequam conditio impleatur. ibid. 17
- Censura

## Index Rerum.

- Censura sub conditione lata, suspenditur per consensum partis, in cuius fauorem lata est, adhuc si in id consentiat, absque consensu Iudicis. 34.19
- Per mutationem fori non effugit quis Censuram latam sub conditione, si illa pendente, forum mutet. 35.22
- An per mortem Iudicis effugiat quis Censuram sub conditione latam. ibid. 23
- An Censura impedita, tempore quo impletur conditio, per Iudicis suspensionem, aut excommunicationem; reuiuiscat, si tollatur Iudicis impedimentum, duplex responsio. ibid. 24
- De valore, & essentia Censuræ ferendæ ob peccatum commissum, est aliqua monitio præuia. 37.8
- Dantur aliqui casus, in quibus, Censura, v. gr. excommunicatio, sit inualida, canonica monitione omiſſa. 39. 10
- Vt Censuræ licitè ac iustè ferantur, præmittenda est trina canonica monitio. ibid. 11
- Vt Censuræ licitè, & iustè ferantur, sufficit, vt vnica canonica pro trina, monitio præmittatur. ibid. 12
- Censura est à Iudice in scriptis ferenda. 46.1
- Solum Censura lata ab homine per sententiam; est in scriptis ferenda. ibid. 2
- Multas ob causas statuit ius, sententiam Censuræ proferre debere scripto. ibid. 3
- Scriptura, in qua conscripta est Censura, non debet necessariò esse authentica, idest, confecta manu publici Notarij, aut etiam testibus munita. ibid. 4
- Scriptura Censuræ non est de eius substantia; sed de eius forma accidentali. 47.6
- Necessum est, quòd in scriptura, in qua Censura fertur, expressè apponatur causa propter quam fertur. ibid. 7
- Expressio causæ, propter quam fertur Censura, conscribi in omni Censura non debet. ibid. 8
- Expressio causæ Censuræ non est de eius valore, ita ut si non exprimatur, sit inualida Censura. ibid. 9
- Exemplum scripturæ dictæ Censuræ, quod reo tradendum est, debet esse integrum. ibid. 11
- Censura debet inter diem ferri, sed si in tenebris feratur, factum tamen tenet. 52.29
- Censura solùm potest ferri validè, propter peccatum, seu culpam. 57.1
- An ad incurrendum Censuram sufficiat aliena culpa? Duplex placitum. ibid. 2
- Censura imponi nequit pro peccato omninò interiori, & per se occulto, quod quidem, solo corde committitur, & intus retinetur. 58.3
- Potest imponi Censura pro peccato per accidens occulto; hoc est, pro peccato, quod non solùm corde committitur, sed voce, aut opere manifestatur, testem tamen non habet. 59.4
- Vt quis incurrat Censuram impositam ab Ecclesia, est necessarium, vt actus externus, sit signum externum malitiæ, ob quam ab Ecclesia imponitur Censura. ibid. 5
- An etiam, quando aliquis seruat præcepta Ecclesiæ, ficto animo, aut sine actu interiori, excusetur à Censura, si quæ sit imposita, contra non obseruantes talia præcepta? Bifariam respondetur. 61.7
- Censura maior, solùm pro mortali culpa legitimè infligi potest. 62.9
- Censura minor inferri pro culpa veniali potest. ibidem. 10
- Vt Censura valida, & iusta sit, debet esse proportionata culpæ, cuius causa fertur. ibid. 12
- Censura imposita aduersus committentem aliquod delictum, non comprehendit mandantem, seu consulentem. ibid. 14
- Nonnullæ causæ excusantes ab incurrendis Censuris. 75. 32
- Quot, & qui sint effectus Censuræ in communi. 75.1
- Censura semel contracta, non tollitur per solam emendationem rei, Censura dicta ligati. ibidem. 2
- Censura semel contracta, per mortem ferentis illam, non extinguitur. ibid. 3
- Censura semel contracta, per solam absolutionem tollitur. ibid. 4
- Cessatio à Diuinis.*
- Cessatio à diuinis non est vera, & propria Censuræ, sed reductiuè. 3
- Clericus.*
- Clericus coniugatus, iure communi, non est capax ferendi Censuras. 11.20
- Si quis, vnico impetu, pluries percutiat Clericum; vnica excommunicationem incurrit. 25.37
- Verberans Clericum successiuè per aliquod tempus, non tot censuras incurrit, quot sunt verbera quibus illum percutit. ibid. 38
- Qui vno actu, vel ictu, v. g. eadem proiectione sagittæ, plures Clericos percutit, aut interficit, plures excommunicationes non incurrit. 26.42
- Plures excommunicationes non incurrit, qui plures Clericos successiuè, eadem tamen continuata actione, percutit, aut interficit. ibid. 43
- Si plures homines percutiant simul eundem Clericum, omnes excommunicationem incutunt. 28.45
- Percutiens Clericum, qui simul sit Subdiaconus, Diaconus, & Sacerdos plures excommunicationes non incurrit. ibid. 47
- Duas excommunicationes incurrit, qui violenter percutit Clericum, qui simul est Monachus ibidem. 48
- Clerici exhibentes Excommunicato vitando honorem, seu pompam funeris ecclesiasticam, non fiunt irregulares. 130.9
- Non est licitum Clericis, communicare cum suo Episcopo excommunicato vitando. 196.42
- Quilibet Clericus, etiam si solum habeat primam tonsuram, nequit absque speciali commissione, absolvere ab excommunicatione, & ab aliis Censuris, existentem in articulo mortis. 205.6
- Collatio, vide, Beneficium.*
- Collegium.*
- Collegio constanti ex Clericis, & laicis potest non solum Papa, sed etiam Episcopus committere facultatem Censuras ferendi. 13.30
- Vniuersitas, Communitas, seu Collegium, potest interdici, & suspendi. 22.23
- Sicut Interdici, & suspendi potest Communitas, seu Collegium, nequit sic immediatè excommunicari dicendo: *Excommunico talem Communitatem, vel Collegium.* ibid. 24
- Si de facto excommunicetur Communitas, seu Collegium ab aliquo Prælato inferiori Papa; non tenet, & est inualida excommunicatio. ibidem. 25
- Si totum Collegium, aut Communitas peccet, excommunicari nequit à Prælato inferiori Papa. 23.26
- Possunt excommunicari omnes, & singuli Collegij, aut Vniuersitatis; quemlibet eorum sigillatim excommunicando; casu, quo omnes peccauerint. ibid. 27
- Si non inferior Prælatus, saltem Rom. Pontifex potest excommunicare omnes, & vniuersos Collegij, aut Vniuersitatis, collectiuè sumptos; si sciret omnes esse nocentes, omnèsque deliquisse. ibid. 29

## Index Rerum.

- Quomodo possit Pontifex validè excommunicare Vniuersitatis, aut Collegij omnes, & singulos collectiue, adhuc casu, quo ei non constet, omnes deliquisse. ibid. 30
- Comedere.*
- Non est licitum, Comedere cum excommunicato in vna, & eadem mensa formaliter, etiamsi id fiat, absque mutua societate. 180. 28
- Non licet alicui, Comedere cum excommunicato, in conuiuio alicuius tertij, à quo vterque est inuitatus. ibid. 30
- Communicare.*
- Omni Excommunicato maiori per se loquendo, prohibitum est Communicare, seu conuersare, cum aliis fidelibus. 173. 1
- Non est prohibitum Excommunicatis, ex vi Censuræ, cum infidelibus Communicare, & conuersari. ibidem. 2
- Prohibitum est, & illicitum excommunicato, cum altero excommunicato Communicare. ibid. 3
- Prohibitum est fidelibus, Communicare cum Excommunicatis. 174. 4
- Quibus in rebus, seu actionibus prohibitus sit fidelis Communicare cum Excommunicatis v tandis, hoc est, nominatim denunciatis, & publicis Clericorum perculsoribus. ibid. 5
- Quid intelligatur per particulam, *Communio*, quæ est quarta vox illius versiculi, &c. 178. 21
- Fidelis Communicans in rebus ciuilibus, & actionibus humanis, cum excommunicato vitando, probabilius peccat venialiter, exceptis quibusdam casibus. 181. 1
- Non peccat mortaliter quis, casu quo frequenter cum excommunicato vitando, in dictis actionibus humanis Communicet. 182. 2
- Peccat mortaliter, qui in huiusmodi humanis actionibus Communicat cum excommunicato vitando, ex contemptu formali excommunicationis, & Clauium Ecclesiæ. ibid. 3
- Qui communicat cum excommunicato vitando, contra præceptum Superioris interdicens, sub pœna excommunicationis, huiusmodi communicationem, peccat mortaliter. ibid. 4
- Peccat mortaliter, qui Communicat cum excommunicato vitando, in crimine criminoso. ibid. 5
- Quisnam possit absolvere ab excommunicatione incurta, ob communicationem cum excommunicato in crimine criminoso? 184. 9
- Peccat mortaliter, qui Communicat in officiis diuinis solemniter celebratis, cum excommunicato vitando. ibid. 11
- Ex paruitate materiæ, potest quis excusari à mortali, Communicans excommunicato vitando in officiis diuinis solemniter celebratis. ibid. 12
- Licitum est, Communicare cum Excommunicato non vitando, seu tolerato, ac si non esset excommunicatus. ibid. 14
- Ob propriam vtilitatem spiritualem, potest quis cum excommunicato communicare. 188. 11
- Ob vtilitatem temporalem, cui libet licet cum excommunicato vitando communicare. Cum distinctione. ibid. 12
- Ipsismet excommunicatis, ob suam vtilitatem spiritualem, aut temporalem est licitum, cum aliis Communicare; sicuti est licitum aliis, cum ipsis. ibid. 13
- Etiam, casu, quo mulier scienter contraheret matrimonium cum excommunicato, posset, eodem modo, quo est dictum, cum illo Communicare. 189. 18
- Nurus, & Gener, possunt Communicare cum Socero, & Socro excommunicatis; & Priuignus, & Priuigna cum Nouerca & Vitrico, etiamsi quasi emancipati ab illis viuant. 193. 32
- Quando excommunicatus præsumi absolutus debeat, sic quis cum eo licitè Communicare valeat? 200. 58
- Licitum est Communicare cum excommunicato vitando, ratione euitandi aliquod graue damnum. ibid. 63
- Communitas, vide, Collegium.*
- Concilium.*
- Concilium Prouinciale Archiepiscopi; & Diocesenum Episcopi; & Capitulum Ecclesiarum, Sede vacante, habent iure ordinario potestatem ferendi censuras. 9. 13
- Potestas absoluendi residet penes Concil. generale quoad omn. s fideles, & similiter penes Prouinciale, Diocesenum, erga subditos; & capitulum Cathedralis Ecclesiæ post obitum sui Pastoris. 203. 1
- Concio, Concionari.*
- Excommunicato non est vetitum, sacræ Concioni interesse. 120. 18
- Non est vetitum ipsis Excommunicatis Concionem audientibus, dicere in principio, & in fine concionis, *Aue Maria*, cum aliis simul. ibid. 19
- Excommunicati, saltem tolerati, non possunt absque mortali, aliis Concionari. ibid. 20
- Concubina.*
- Excommunicatus vitandus validè, & licitè potest, coram Parocho non excommunicato, contrahere Matrimonium, cum sua Concubina, in mortis articulo. 108. 19
- Confessarius, Confessio.*
- Confessarius excommunicatus non toleratus, absolvere validè à venialibus non potest. 111. 10
- Confessio peccatorum mortalium, facta cum excommunicato vitando, est inualida, & necessariò iteranda, etiamsi pœnitens inuincibiliter ignoret Confessorem esse excommunicatum. Secus si ignorantia procedat ex publico errore. ibid. 11
- Episcopus excommunicatus non toleratus, validè nequit approbare aliquem ad Confessiones audiendas. 158. 6
- Confessarius non tenetur nec potest vitare illum, quem per Confessionem scit esse excommunicatum non toleratum: bene tamen potest vitare in secreto, licet non teneatur. 197. 48
- Confirmatio.*
- Licet Episcopo excommunicato non tolerato, administrare Sacramentum Confirmationis alicui homini, in aliqua extrema necessitate constituto, quæ refertur. 108. 20
- Coniux.*
- Etiamsi vterque Coniux sit excommunicatus, est illis licita Communicatio in debito, mensa, colloquio, & aliis communibus. 191. 23
- Coniux excommunicatus potest licitè debitum petere ab vxore non excommunicata. ibid. 25
- Consensus.*
- Consensus partis prorogantis terminum solutionis à Iudice datum, suspendit ad tempus incurtionem Censuræ, si pars prorogationem faciat, in consulto Iudice. 34. 20
- Contractus.*
- Non est licitum Excommunicatis, inire cum aliis Contractus. 173. 48
- Contractus iniri cum Excommunicatis vitandis, sunt validi, si alium defectum non habeant, præter excommunicationem. ibid. 49
- Contumacia.*
- Contumacia quid, & quotuplex sit, ad quam in subditis reprimendam, præmittitur ante Censuras Monitio. 37. 6
- Ex sola transgressione præcepti simplicis, absque cõminatione Censuræ, nõ cõsetur homo Contumax, ita vt cõtra illū possit ferri Censura, absque monitione. ib. 7
- Creatura.*

## Index Rerum.

### Creatura.

Creaturae irrationales, vt Locustae, Bruchi, & alia animalia, quae semina depascuntur, non sunt capaces Censurae. ibid. 1

### Creditor.

Excommunicatus ad instantiam Creditoris, donec debitum soluat; satis est, ad hoc vt non reincidat in excommunicationem, quod Creditor solutionem debiti differat, sine interuentione Iudicis. 80. 18

### Crimen.

Crimen nullum datur, cui iure diuino sit annexa aliqua censura. 7. 4

Qui conuenitur super aliquo Crimine, & ob contumaciam in ea causa excommunicatur; si in ea excommunicatione per annum perseueret, censetur conuictus de crimine, de quo fuit accusatus. 20. 3. 8

### Curator.

Gesta à Tutore, vel Curatore excommunicato vitando, sunt valida, & rata. 172. 44

## D

### Dæmon.

**D**æmones non possunt Censuris ligari. 18. 3

### Damnum.

Excusat à Censura, graue Damnum, seu detrimentum famae, vitae, & aliorum bonorum superioris Ordinis, seu illorum utilitas, aliave causa rationabilis. 74. 30

### Debitor.

Debitor si non soluat in secundo termino à Creditore prorogato, incurrit Censuram latam, absque nouo consensu Iudicis. 35. 2. 1

Licitum est excommunicato, etiam vitando, petere à suo Debitorum suum creditum priuatim. 168. 14

### Defensor.

Qui dicantur Defensores Hæreticorum; & quam ratione à Fautoribus distent. 260. 33

Qui extra causam hæresis, Defendunt hæreticum; eorum Defensores non dicuntur, & excommunicationem non incurrunt. ibid. 34

Defensor hæreticorum dicitur, qui seipsum, vel alium hominem supponit, pro aliquo hæretico, qui capiendus erat. ibid. 35

### Degradatio.

Degradatio non est verè & propriè Censura, sed reductiue. 3. 6

### Delegatus.

Delegatus Prælati delegantis publicè & nominatim excommunicati, &c. potest validè ferre Censuras, iuxta exigentiam alicuius negotij inchoati, si res non sit integra, secus si res integra sit. 14. 35

### Denunciatio.

Denunciatio, aut publicatio nominis illius, qui Censuram contraxit, quam ob causam fuerit instituta. 53. 2

Post omnem Censuram latam non debet fieri Denunciatio. ibid. 3

Denunciatio semper est facienda à legitimo Superiore, seu de eius auctoritate. ibid. 4

Quando Censura incurta fuit lata ab homine, primò & per se debet fieri Denunciatio ab eo, qui Censuram intulit. ibid. 5

Quando Censura incurta, lata fuit à iure communi, est facienda Denunciatio ab Ordinario illius loci vbi patratum est crimen, ob quod Censura incurta est. ibid. 6

Ante Denunciationem Censuræ incurtae, debet semper præcedere sententia declaratoria criminis commissi, ob quod Censura fuit lata. ibid. 7

Ante denunciationem Censuræ incurtae, seu quod

R. P. Leand. de Censuris.

idem est, ante declarationem, quod aliquis incidit in eam, debet necessariò præcedere citatio Rei. 54. 8

Denunciatio Censuræ facta sine citatione partis non solum est iniusta, sed inualida. ibid. 9

Si quando reus citatus ad videndam fieri Denunciationem, statim compareat, & delictum suum fateatur, & satisfactionem offerat; non potest tunc Iudex iustè illum denunciare. ibid. 10

Casu, quo inflicta sit à iure Censura contra committentes aliquod crimen, & sit notorium, illud fuisse ab aliquo patratum, potest tunc Iudex, nulla præmissa citatione, deuenire ad Denunciationem, & declarare delinquentem censuratum. ibid. 11

Quando executori certò constat, sententiam Censuræ esse nullam, nequit illam licite denunciare. 56. 17

Quando sententia Censuræ est iusta, secundum allegata, & probata; tamen executori per scientiam, aut notitiam priuatam, constat in re esse iniustam; debet executor ipse, si Superior ei præcipiat, dictam sententiam denunciare. ibid. 18

Idem dicendum in casu, quo executor habeat scientiam priuatam de iniustitia Censuræ; ignorat autem, vel dubitat, an sit iusta secundum allegata, & probata. ibid. 19

At non idem, casu, quo mero executori constet, sententiam esse iniustam, secundum allegata, & probata; an videlicet, tunc etiam debeat talem Censuræ sententiam exequi. ibid. 20

Quonam loco, & quomodo sit facienda Denunciatio Censuræ. 57. 22

Denunciatio debet fieri in die non feriato. ibid. 23

### Depositio.

Depositio non est propriè, & verè Censura, sed reductiue. 3. 5

### Dignitas.

Si non per electionem, aut collationem, sed ex testamento, aut ab intestato, aut titulo emptionis, acquirat excommunicatus Dignitatem aliquam laicalem, aut officium, cui adnexa est iurisdicctio, potest validè, & licite eam retinere. 143. 22

### Discipulus, vide, Doctor.

### Dispensatio.

Per Dispensationem Papæ, fieri potest, vt manente Censura, eius effectus suspendi, aut impediri possint. 76. 7

### Distributio.

Excommunicatus est priuatus Distributionibus quotidianis, hoc est, illis fructibus, seu prouentibus, qui conferri solent solum assistentibus Choro. 148. 37

Distributiones quotidianæ, quas excommunicatus amittit, debent expendi in utilitatem Ecclesiæ, aut pauperum; aut in utilitatem eorum qui Choro assistunt; In quo standum Ecclesiæ consuetudini. ibid. 39

Potest iniustè excommunicatus repetere Distributiones quotidianas, quas tempore excommunicationis amisit. ibid. 41

Iustè excommunicatus nequit recipere, ac recuperare, post absolutionem, Distributiones quotidianas, quæ dantur assistentibus Choro, etsi per ipsum non stet, ne absoluaatur, & ne intersit Choro. 149. 43

Iniustè excommunicatus debet repetere Distributiones, quas amisit, ab ipsis, quibus applicatae fuerunt. ibidem. 45

### Doctor.

Non est licitum Doctori, respondere Discipulo excommunicato interroganti circa lectionem. 122. 25

Doctor excommunicatus toleratus, potest lectionem publicam, ad quam ex officio tenetur, facere. ibidem. 26

E

*Ecclesia.*

**E**xcommunicatis ingredi Ecclesiam licet saltem eo tempore, quo diuina officia non celebrantur. 115.2  
 Imò, & quando celebrantur. ibid. 3  
 Licet Excommunicatis ingredi Ecclesiam, & ibi Deum orare, etiam casu, quo sint alij fideles ibi priuam orantes. 116.14  
 In Ecclesia est potestas ferendi Censuras. ibid. 1  
 Potestas, quam habet Ecclesia ferendi censuras, est de Iure diuino, ibid. 2

*Edictum.*

Qui noctu dilacerat Edictum Episcopi in loco publico affixum, Canonis Cœnæ excommunicatione feritur. 337.5

*Electio.*

Electio Excommunicati ad sæcularem dignitatem; veluti ad Imperialem, Regalem, vel Ducalem, est inualida, ac nulla. 142.19  
 Electio excommunicati ad dignitatem Summi Pontificatus est valida, ac rata 143.20  
 Si Excommunicatus vitandus, non eligat solus, sed cum aliis non excommunicatis; valida tunc non est Electio, casu, quo votum excommunicati necessarium fuerit ad effectum Electionis. 151.8  
 Non est inualida Electio, casu, quo votum excommunicati non fuerit necessarium ad effectum Electionis, eo quod ad illam legitime faciendam, sufficiens esset numerus suffragiorum. ibid. 9  
 Non est valida Electio, casu dato, quod votum excommunicati non sit necessarium ad effectum Electionis, si ipse excommunicatus vitandus scienter fuerit admittus ab aliis veris, & habilibus electoribus. 152.10  
 Nec casu, quo excommunicati admittantur ad Electionem ad aliis coelectoribus scienter, & non eligant vnā personam; sed non excommunicati vnā, aliam verò excommunicati, tunc Electio facta à non excommunicatis est valida. ibid. 11  
 Electio non est inualida, quando Electores coguntur admittere excommunicatos vitandos ad simul eligendum, nec eos possunt expellere. ibid. 12  
 Electio Summi Pontificis, facta ab excommunicatis electoribus, est valida. 153.13

*Eleemosyna.*

Non excommunicatus nequit petere Eleemosynam ab excommunicato vitando. ibid. 61  
 Prædicatores, & Confessores possunt licite petere Eleemosynam ab excommunicato vitando, etiam si alias possent aliunde sibi prouidere. ibid. 62  
 Non est licitum, erogari Eleemosynam excommunicato, vt tali iuuamine securius persistat in excommunicatione. 201.64  
 Cæteris paribus, prius est elargienda Eleemosyna, non excommunicato, quàm excommunicato. ibid. 65  
 In casibus, quibus permessa est communicatio cum excommunicatis vitandis, potest Superior præcipere, vt quacunq; necessitate occurrente, eorum communicatio euitetur. Limita. ibid. 66

*Episcopus.*

Episcopi ferentes Censuras solo verbo, peccant etiam mortaliter, & incurrunt suspensionem per mensem. 49.18  
 Episcopi non possunt dispensare in effectibus Censuræ, quam ipsi tulerunt. 77.8  
 Episcopus excommunicatus vitandus, potest in aliquo casu, licite Sacramentum Ordinis alicui ministrare. 107.16  
 Episcopus potest absoluere à Censuris latis ab Abba-

tibus quibusdam, Archidiaconis, & Archipresbyteris, sibi inferioribus, etiam casu, quo ad ipsum facta non sit à parte appellatio. 208.20  
 Qui à suo Episcopo fuit excommunicatus per sententiam particularem, nequit adhuc absolui ab alio Episcopo, in cuius diocesim domicilium transtulit. 210.24  
 An, qui manens in Territorio alterius Episcopi, incidit in excommunicationem latam ab illo, vel ratione delicti, vel ex alio capite; debeat absolui ab eodem; vel possit etiam absolui à suo Episcopo, rediens, postea ad suum Episcopatum. Duplex responsio. ibid. 25  
 Cap. Nuper, concedens Episcopis, & Parochis facultatem ad absoluendum à Censura iuris, per contrariam consuetudinem non est abrogatum. 212.35  
 Episcopus potest absoluere ab omni censura iuris, nemini reseruata. ibid. 36  
 Episcopus potest absoluere ab excommunicatione reseruata Papæ, ex delicto occulto contracta. 214.41  
 Nomine Episcopi cui, in dicto Tridentini decreto, conceditur facultas absoluendi à reseruatis Papæ, non venit quicumque Episcopus, etiam si sit consecratus. ibid. 42  
 Episcopi possunt, ex vi decreti Tridentini, absoluere etiam à casibus Bullæ Cœnæ, & ab excommunicationibus eis annexis (excepta saltem hæresi) occultis ex delictis occultis. 215.45  
 Possunt Episcopi absoluere sibi subditos ab hæresi externa occulta, vigore dicti decreti Trident. 216.46  
 Quid intelligatur per delictum, aut casum occultum reseruatum, à quo Episcopi possunt absoluere vigore dicti decreti Concilij Tridentini. 217.47  
 Absolutionem ab occultæ hæresis censura, committere potest Episcopus alicui. ibid. 48  
 Episcopi possunt absoluere ab hæresi, & ab aliis casibus occultis reseruatis Papæ, extra Sacramentum Confessionis. 218.49  
 Potest Episcopus absoluere in absentia à prædicta occultæ hæresis, aut alterius cuiusuis criminis, reseruata excommunicatione. ibid. 50  
 Non est necesse, tam Episcopum, quàm subditum esse intra diocesim; vt possit Episcopus illum ab hæresi, & ab aliis casibus reseruatis, in d. Tridentini decreto contentis, absoluere. ibid. 51  
 Nec est necesse, vt Episcopus sit intra suam diocesim, vt possit suum subditum, ab hæresi occulta, & ab aliis reseruatis absoluere. ibid. 52  
 Nec necesse est, vt subditus sit intra diocesim, quando Episcopus est extra, vt hic possit prædicta absoluendi facultate vti. ibid. 53  
 Non possunt Episcopi absoluere à delictis occultis Papæ reseruatis, etiam si hæc ad forum contentiosum sint deducta. 219.54  
 Si delictum fuit deductum ad forum contentiosum, Reus tamen non conuictus in eo, potest Episcopus absoluere à tali delicto reum. ibid. 55  
 Potest Episcopus absoluere suum subditum à delicto deducto ad forum contentiosum, casu, quo, finito iudicio, punitus fuit. ibid. 56  
 Episcopus potest absoluere eum, qui in vno loco commisit delictum publicum, & notorium, Papæ reseruatum; sed postea se transtulit ad alium locum, vbi est occultum, & ibi absolutionem à tali delicto petit. 220.57  
 Episcopus potest iure ordinario, absoluere ab excommunicatione publica, etiā reseruata Papæ, quādo excommunicatus est impeditus recurrere ad Papā. ib. 58  
 Plurima sunt impedimenta legitima, propter quæ nequit quis Papam adire; & consequenter potest Episcopus, illis interuenientibus, absoluere à censura publica Papæ reseruata. ibid. 59  
 Episcopus

## Index Rerum.

- Episcopus potest absoluerē Religiosos, (vel Religiosas) exemptos, ab omnibus casibus referuatis, qui conceduntur in Trident. *sess. 24. cap. 6.* Episcopis, erga subditos suos: modò Religiosi se subiiciant de licentia prælatorum suorum. 223.70
- In casu necessitatis possunt Episcopi, & Archiepiscopi legere libros hæreticorum, & dare facultatem aliis eos legendi. 271.79
- Equus.*
- In Bulla nomine *Equorum* prohibentur deferri ad infideles omnes equi cuiuscumque conditionis sint. 296.23
- Nomine *Equorum*, prohibentur sub hac Censura, omnia genera bestiarum pugnantium, v. g. Elephanti. 296.25
- Item, sub eodem nomine *Equorum*, & sub eadem Censura, prohibentur deferri ad Infideles, Cameli, Asini, Muli, & Boues, & omne aliud genus bestiarum feruentium, ad onera in bello ferenda. 296.26
- Equorum* nomine, prohibentur deferri ad Infideles omnia instrumenta, quibus aluntur, curantur, & ad bellum instruuntur equi. 296.27
- Eucharistia.*
- Prohibitum est excommunicatis, comitari sacram Eucharistiam, quando ad infirmos defertur. 120.16
- Excommunicatio.*
- Excommunicatio, Suspendio, & Interdictum, sunt distinctæ species formaliter. 3.9
- Ex his omnibus Censuris, & impedimentis, grauior pœna est Excommunicatio. 4.10
- Si certò constaret, Angelum bonum aliquem excommunicasse, censendum esset, illam Excommunicationem esse validam. 11.23
- Propter vnam, & eandemmet causam, potest quis à diuersis iudicibus sapius excommunicari. 24.34
- Non solum à diuersis Iudicibus, sed etiam ab eodem, potest quis, propter idem delictum, sapius Excommunicari. 25.35
- Qui tota die Excommunicato non tolerato communicat, vnam tantum excommunicationem incurrit. *ibid.* 39
- Qui per totam noctem, continuatis asportationibus, plura frumenti rubia ab Ecclesiæ horreo furaretur, vnam etiam solum excommunicationem incurreret, si tali sacrilegio ipso facto esset annexa Excommunicatio. *ibid.* 40
- Non censetur quis Excommunicatus, ex eo solum, quod Papa nolit communicare cum illo: vel absolutus, ex eo quodd cum illo communicet; sed cum distinctione. 32.9
- Quando Excommunicatus à iure, vel ab homine, ob iustum impedimentum absoluitur à casu Papali, per eum, qui aliàs absoluerē non posset, debet, ne reincidat, cessante impedimento, se præsentare Pontifici. 81.19
- Quid nomine Excommunicationis significetur? 82.1
- Quibus nominibus fuerit olim appellata Excommunicatio. *ibid.* 2
- Excommunicatio in communi, prout includit maiorem, & minorem, rectè sic definitur: *Est censura, qua homo baptizatus ab aliqua communione Ecclesiastica separatur.* 83.4
- Excommunicatio, prout abstrahit à maiori, & minori, non priuat fideles quacumque communione, seu communicatione. *ibid.* 5
- Excommunicatio maior, est Censura, qua priuat fidelem omni Ecclesiastica communione. *ibid.* 6
- Excommunicatio adæquatè diuiditur in Maiorem, & Minorem. *ibid.* 7
- Quando absolutè à iure, vel ab homine imponitur excommunicatio, & non additur, *Maior, vel Minor,* R. P. Leand. de Censuris.
- intelligendū est de excommunicatione maiori. 84.8
- Varia pœnæ, vel effectus, quos infert excommunicatio maior in Excommunicatum. 85.1
- Excommunicatio maior inducit suos effectus in Excommunicatum, iure humano. *ibid.* 2
- Excommunicatio inualida non inducit in Excommunicatum præfatos effectus. *ibid.* 3
- Excommunicatio iniusta, sed valida, habet suos effectus. *ibid.* 4
- Excommunicatio maior, in quas species, seu modos Excommunicationis, diuidatur. *ibid.* 9
- Excommunicati tolerati, seu non necessariò vitandi; non possunt licitè ex se incipere, & se ingerere ad communicandum cum aliis fidelibus. 89.14
- Peccat mortaliter Excommunicatus, quodlibet suscipiendo Sacramentum. 96.1
- Non solum Excommunicatus denunciatus, & publicus percussor Clerici; sed etiam quilibet alius excommunicatus publicus, seu occultus, peccat mort. quodlibet recipiendo Sacramentum. 97.2
- Non duo committit peccata, in Confessione explicanda, excommunicatus, qui scienter Sacramentum aliquod sumit. *ibid.* 3
- Excommunicatus recipiens aliquod Sacramentum; pœnam aliquam, aut Censuram, ipso iure non incurrit. *ibid.* 4
- Quibus in casibus Excommunicatus possit in aliquo casu recipere Sacramenta, sine peccato. *ibid.* 5
- Excommunicatus, qui matrimonium contraxit, non potest licitè solemnem in Ecclesia benedictionem recipere, ante Excommunicationis absolutionem. 98.7
- Excommunicatus suscipiens Sacramentum Ordinis manet suspensus ab vsu Ordinis suscepti. *ibid.* 8
- Excommunicati tolerati possunt non solum validè, sed & licitè conferre Sacramenta, quando fideles illa postulant ab eis. 112.14
- Quomodo Excommunicatus toleratus licitè potest conferre petentibus Sacramenta? 113.15
- Licitum non est Excommunicatis toleratis, se ingerere, & inuitare ad Sacramenta fidelibus ministranda. *ibid.* 16
- Excommunicatus, administrando Sacramenta illicitè, incurrit irregularitatem. 115.21
- Non est permissum Excommunicatis, ire cum aliis in publica processione, aut Litanis publicis, ad quas populus fidelis, cum Sacerdote cantante, concurrat. 119.15
- Prohibitum est Excommunicatis, Aquam, Oliuas, aut Candelas solemniter benedicere; Epistolam, aut Euangelium solemniter cantare; aut aliam functionem propriam alicuius Ordinis, solemniter, & ex officio exercere. 120.17
- Excommunicatus, solemniter, & quasi ex officio, prædicans; non fit irregularis. 121.21
- Licet Excommunicato interesse lectioni sacræ Theologiæ, vel Scripturæ. *ibid.* 22
- Excommunicatus admonitus à celebrante, vt ab Ecclesia exeat, si nolit exire, incurrit nouam Excommunicationem. 123.34
- Excommunicatus potest licitè benedicere mensam; munire se signo Crucis; adorare Eucharistiam; vti imaginibus, & aliis similibus rebus. 128.45
- Excommunicatus vitandus priuatur etiam ex vi Censuræ, omni honore Ecclesiastico, qui in tumulatione fidelium fieri solet. 130.8
- Excommunicatus vitandus, priuatus est iurisdictione eligendi. 151.7
- Excommunicatus non toleratus, omni iudiciaria potestate in foro Ecclesiastico est priuatus. 157.1
- Excommunicatus toleratus, nequit validè Excommunicare, Limita. 161.18
- Non est licitū rescribere Excommunicato vitando. 175.18



## Index Rerum.

- Licitum est nobis, elemosynam pauperi excommunicato erogare. 189.9
- Nobis licitum est, nostra ope, auxilio, aut defensione, excommunicato subuenire; ne aliquod graue damnum, in corpore, aut in fama, aut in aliis bonis temporalibus, patiat. ibid.10
- Potest quis excommunicato vitando equum gratis, vel pretio tradere; ut prosequatur iter inceptum. 200.60
- Excommunicatus, qui per annum in excommunicatione, obdurato animo, persistit; fit suspectus de hæresi, & ut talis puniri potest. 202.7
- Executor.*
- Quando sententia Censuræ in se, & secundum allegata & probata est iusta, iniusta verò quoad modum, tenetur merus executor illam exequi, si illi constet de tali iniustitia. 57.21
- Extrema-unctio.*
- Sacramentum Extremæ Vnctionis collatum moribundo à Parocho excommunicato vitando, est validum, si illud conferat, extra casum absolutæ necessitatis, quamquam grauius peccet. 110.7
- F
- Falsare.*
- F**alsans literas Nuntij Apostolici, aut Legati à latere, aut Summi Pœnitentiarum, aut Episcopi, non incurrit Canonis Cœnæ excommunicationem. 286.2
- Falsantes supplicationes à Papa signatas hac excommunicatione comprehenduntur. ibid.3
- Quis dicatur falsare literas Apostolicas, ad incurrendam excommunicationem huius Canonis. ibid.4
- Qui corrigeret vnam dumtaxat literam, vel punctum, in literis Apostolicis, ex quorum correctione immutaretur sensus à Pontifice intentus, censuram hanc contraheret. 287.5
- Non contraheret hanc excommunicationem, qui mutaret, aut corrigeret vnam literam, aut punctum; casu, quo ex tali mutatione, aut correctione, non mutaretur sensus, quem Pontifex in Bulla, aut Breui intendit. ibid.6
- Neque hanc excommunicationem incurreret, qui in Bullis Apostolicis plures literas mutaret, si non mutaret sensum. ibid.7
- Dictam excommunicationem incurrit, qui extendit tempus in literis Apostolicis expressum. ibid.8
- Qui corrigit literas Apostolicas, iuxta Pontificis mentem; hac censura non ligatur, v.g. Papa concessit dispensationem in tertio gradu consanguinitatis, & vitio scriptoris, positum est, affinitatis; si hunc errorem corrigat impetrans, hanc excommunicationem non incurrit. ibid.9
- Falsificans literas Pontificis, quæ iam euauerunt, ac expirarunt, non incurrit hanc excommunicationem, nisi, &c. 288.10
- Hanc excommunicationem incurrit, qui falsificat literas, quibus nemo vnquam vtetur. ibid.11
- Excommunicationem non incurrit, qui cœpit falsò fabricare literas Apostolicas: sed facti pœnitens, antequam illas perficeret, ab incepto opere destitit. 289.15
- Excommunicationem hanc non contrahunt, qui literas Apostolicas falsant, antequam omnino sint expeditæ, hoc est: antequam sint signatæ, ac munitæ sigillo cereo, seu plumbeo. ibid.16
- Illi, qui falsitatem narrando, aut veritatem silendo, impetrant à Pontifice literas surreptitias, non sunt excommunicati per hunc Canonem. ibid.17
- Nec sunt excommunicati, qui sub nomine alieno, quod sibi falsò imponunt, impetrant veras à Pontifice literas, aut iis vtuntur. ibid.18
- Hæc excommunicatio afficit illos, qui prædictas literas, inualidas ob subreptionem, aut ob aliam causam, falsificant. ibid.19
- In hanc excommunicationem non incidunt, qui literis Apostolicis, per alium falsificatis vtuntur. ibid.20
- Falsificantes literas, quas Summus Pontifex tanquam persona priuata scribit, hanc Censuram Canonis non contrahunt. 290.22
- Mandantes, aut consulentes falsificare literas Apostolicas, hanc excommunicationem non incurunt. ibid.23
- Fama.*
- Tenetur quis vitare eum, quem per famam publicam nouit esse excommunicatum denunciatum, aut publicum percussorem Clerici. 198.5
- Sola fama excommunicationis non sufficit ad hoc, ut infamatus repellatur à iudicio; aut ut puniatur, ut qui excommunicatum non vitauerit, &c. 198.51
- Si quis, non per famam publicam, sed à paucis, audiatur, aliquem esse excommunicatum videndum, tenetur eum vitare; sed distinguendum. ibid.52
- Fautor.*
- Qui vocentur, *Fautores Hæreticorum*, ad incurrendam Bullæ excommunicationem. 258.26
- Non censetur fautor hæreticorum, & proinde in excommunicationem non incidit, qui de hæresi suspectus fauet. ibid.27
- Priuatæ personæ, non dicuntur etiam fautores hæreticorum ex omissione: si hæreticos v.g. non capiant, aut non custodiant, &c. 259.28
- Personæ priuatæ non incurrunt, ex omissione, excommunicationem Bullæ Cœnæ, contra fautores hæreticorum latam, si dolosè omittant capere, aut indicare hæreticum. ibid.29
- Si priuata persona fuerit à Prælato, aut Magistratu, requisita, ad præstandum auxilium ad hæreticos capiendos; ipsa verò, sine causa, id omittat, ut faueat hæresi illorum, excommunicationem hanc incurrit. ibid.30
- Etiam in aliis casibus, ex sola omissione reputantur priuatæ personæ, hæreticorum fautores; ac proinde excommunicationem incurrunt. ibid.31
- Quando personæ, siue publicæ, siue priuatæ, dicantur, omissione fauere hæreticis; & consequenter, excommunicationem incurrere? 260.32
- Fautores, Defensores, & Receptatores schismaticorum, hanc Bullæ excommunicationem non contrahunt. 275.105
- Solum Fautores, Receptatores, & Defensores Pyratum, non vero consulentes excommunicantur in clausula Bullæ. 279.15
- Ferrum.*
- In Bulla, nomine *Ferri*, prohibetur ad Infideles deferri, tam ferrum factum, quàm infectum. 297.28
- Sub nomine *Ferri*, comprehenditur vena ferri; ita ut Bullæ Censura incuratur, si Infidelibus transferatur. ibid.29
- Nomine *Ferri* intelligitur solum ferrum, non vero quæcunque alia materia apta ad formanda arma, & instrumenta bellica. ibid.30
- Filum ferri*, quod prohibetur ad Saracenos deferri, comprehendit in se filios omnium aliorum metallorum. ibid.3
- Quid nomine *Stanni*, quod etiam prohibetur ad Infideles deferri, Pontifex significare voluerit? ibid.33
- Quid sit *Chalybs*, qui, post stannum, prohibetur sub Censura ad Saracenos deferri. 298.34
- Vltra ferrum, & filum ferri, stannum, & chalybem, etiam prohibet Pontifex omnia alia metallorum genera. ibid.35
- Festum*

## Index Rerum.

*Festum.*  
Censura lata in die festo est licita, & valida. 52.28  
Excommunicatus quilibet, non peccat de nouo non audiendo Missam in die Festo. 122.29

*Fideles.*  
Fideles non peccant communicando cum Excommunicatis toleratis, seu non vitandis. 89.15  
Filij legitimi, & sub cura parentum existentes, licet possunt communicare cum patribus excommunicatis vitandis. 192.27

*Filius.*  
Filij legitimi, emancipati tamen, possunt communicare cum suis parentibus excommunicatis vitandis. ibid.28

Filij illegitimi, possunt licet cum parentibus excommunicatis vitandis communicare. ibid.29

Filij adoptiui non possunt communicare, eodem modo, ac filij legitimi, cum parentibus excommunicatis, nisi sint sub cura parentum, & cum illis habitent. 193.30

Filij spirituales non possunt communicare cum patribus spiritualibus excommunicatis vitandis. 194.34

*Fœmina.*  
Fœmina ex commissione Summi Pontificis potest ferre Censuras. 13.31

*Fornicatio.*  
Fornicationes plures successiue, absque temporis interruptione, vnam post alteram committens, vnum solum mortale committit, & consequenter excommunicationem vnam, si fornicationi est annexa excommunicatio. 27.44

*Fructus, vide, Beneficium, Distributio.*  
Excommunicatus priuatus est omnibus fructibus, qui nomine Ecclesiasticorum prouentuum, comprehenduntur. 147.35

Iuste excommunicatus non potest post absolutionem à Censura, recuperare fructus, quos perdidit, tempore excommunicationis. 149.42

Iniuste excommunicatus potest ab Ecclesia repetere fructus beneficiorum, quos tempore excommunicationis amisit iniuste. ibid.44

*Funus.*  
Omnes, qui funus comitantur ad sepulchrum, in Censura *Clement.* non comprehenduntur. 132.19

*Furari.*  
Furans eadem actione duo (v.g.) vasa pretiosa diuersorum dominorum, vnicam excommunicationem incurrit, quando furtum sub excommunicatione est prohibitum. 29.51

## G

*Gabella, vide, Onus, Tributum.*

**G**abellarum, seu Pedagogiorum nomine quid prohibere velit Summus Pontifex in Canone Bullæ Cœnæ? 283.2

Quæ genera personarum habeant, iure ordinario, potestatem imponendi Pedagia, & Gabellas. ibid.3.

Principes, qui iure ordinario habent potestatem imponendi gabellas, incurrunt hanc censuram, quando iniusta tributa imponunt. ibid.4

Non solum imponentes Gabellas, seu tributa, hac lege prohibita; sed etiam exigentes illa sunt hoc Canone excommunicati. 284.7

Per hunc Canonem Bullæ, simpliciter excommunicantur omnes exigentes Gabellas, quomodocumque iniuste impositas, & auctas, extra casus sibi à iure permisso: siue habeant potestatem imponendi, siue non. 284.8

Qui plures gabellas exigunt, quàm ab imponente sunt impositæ, incidunt in hanc censuram. 285.9

Accipientes gabellas suprâ damnatas, ab sponte dantibus, hanc excommunicationem incurrunt. 285.10

Non solum Principes supremi; verum etiam ciuitates, aut communitates imponentes noua pedagia in casibus sibi à iure non permisso, excommunicantur per hunc Canonem. 285.11

In excommunicationem Bullæ Cœnæ incidit Princeps, qui imponit gabellas, & alia tributa Clericis in minoribus ordinibus constitutis. 342.2

Princeps non potest, absque incurfione huius excommunicationis, imponere gabellas, aut alia tributa, super bona Nouitiorum. 343.5

Exigentes, aut extorquentes ab Ecclesiasticis gabellas, aut alia tributa; casu etiam quo hæc tantummodo laicis sint imposita; excommunicatione huius Canonis non afficiuntur. 344.7

Exigentes pretium à Clerico pro translatione, & transitu fluminis, in hanc non incidunt Censuram. 344.8

Imponens onera, siue personalia, siue realia, Famulis Clericorum; Censura huius Canonis non ligatur. 345.11

Ciuitas, aut communitas, quæ recognoscit superiorem temporalem, potest absque incurfione huius censuræ, imponere collectam pro necessitatibus occurrentibus eiusdem ciuitatis, aut communitatis. 285.12

## Gesta.

Vide, *Acta; Curator; Instrumentum; Tabellio.*

## H

### *Habitare.*

**H**abitare an licitum sit fideli non excommunicato, cum excommunicato vitando, in eadem domo? duplex responsio. 178.22

Non solum in eadem domo, sed etiam in eodem cubiculo, vel camera, licitum est non excommunicato habitare cum excommunicato vitando. ibid.23

### *Hæres.*

Excommunicatus institui potest hæres; ita vt, institutio in eum facta, teneat. 172.47

### *Hæreticus.*

Eo ipso, quod quis obtineat facultatem absoluendi ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, potest absolueri ab excommunicatione ob hæresim contracta, modo hæresis occulta sit. Quidquid alij negent. 213.39

Hæretici, vel Apostata, possunt Censuræ Ecclesiasticæ vinculo obstringi. 252.1

Quis dicatur Hæreticus, & quid requiratur, vt quis tanquam hæreticus, sit excommunicatione Bullæ Cœnæ adstrictus. ibid.2

Vt quis sit hæreticus, & incurrat hanc Bullæ excommunicationem, debet esse pertinax in negando aliquo articulo fidei. ibid.4

An si quis ductus hinc, & inde rationibus, dubius maneat de veritate alicuius articuli fidei, sit verè hæreticus, & incurrat hanc excommunicationem Bullæ? respondetur tripliciter. 253.2

Vt quis dicatur hæreticus pertinax, non est necessaria temporis diurnitas, qua, authoritati Ecclesiæ contradicens, perseueret. 254.5

Vt aliquis sit hæreticus, & incurrat hanc Bullæ excommunicationem, est necesse, vt errorem, quem habet in mente contra fidem, exprimat aliquo exteriori signo. ibid.6.

Vt quis Bullæ excommunicationem incurrat, sufficere esse hæreticum externum, licet per accidens occultissimum. ibid.7.

*Index Rerum.*

Qui solo verbo profert hæresim, ita vt in animo, nullum assensum talis propositionis hæreticæ habeat, non incurrit huius Bullæ excommunicationem. ibid. 8

Omnes credentes hæreticorum erroribus, sunt excommunicati in primo Bullæ Canone. 255.12

Illi, qui solum credunt, hæreticos esse viros bonos, & ideo non malè tractandos non sunt per hanc primam Bullæ clausulam excommunicati. ibid. 13

Qui frequenter hæreticorum concionibus, aut congregationibus interfunt, censentur *credentes hæreticorum*, ac proinde incurrit excommunicationem contentam in hac clausula. ibid. 14

Quomodo censeantur credentes hæreticorum, qui non frequenter, sed semel solum concionibus hæreticorum, aut Congregationibus eorum interfunt? duplex responsio. 256.15

*Horæ Canonica.*

Prohibitum est excommunicatis omnibus, Horas canonicas cum aliis publicè, seu nomine Ecclesiæ, recitare; & etiam eisdem horis, quas alij recitant, interesse. 116.5

Non licet excommunicato, vt persona priuata, cum aliquo socio Horas Canonicas recitare. ibid. 6

Excommunicatus Religiosus professus, aut Clericus insignitus Ordine sacro, non solum potest, verum etiam tenetur priuatim horas Canonicas soluere. 118.10

Qui non ratione Ordinis sacri, aut Professionis, sed tantum ratione beneficij, tenetur ad horas Canonicas, si est excommunicatus, tenetur ad illas recitandas. ibid. 11

Huiusmodi excommunicati, priuatim horas dicentes, non tenentur ita occultè illas dicere, vt ab alijs audiri non possint. ibid. 12

I

*Ignorantia.*

**I**gnorantia quid, & quotuplex, de qua in dubium verti possit, an excuset à Censura? 63.1

Ignorantia inuincibilis aut inculpabilis præcepti Episcopi, aut Ordinarij, cui annexa est Censura, ab illa excusat. 64.2

Ignorantia inuincibilis præcepti lati sub Censura, iure peculiari Pontificis, vt Episcopi Romani, excusat etiam ab incurfione Censuræ. ibid. 3

Ignorantia inuincibilis alicuius Canonis, seu præcepti Pontificis, vt Pontificis est, prohibentis aliquod delictum sub Censura, excusat à Censura. ibid. 4

Ignorantia inuincibilis præcepti lati sub censura iure communi, de aliquo actu de se non malo, sed tantum malo, quia prohibito, excusat à Censura. ibid. 5

Ignorantia inuincibilis Ecclesiastici præcepti lati sub Censura, etiam iure Pontificio excusat à Censura, casu quo actus sit contra ius diuinum, & naturale, & homo contra illum peccet. 65.6

Ignorantia inuincibilis solius censuræ, adhuc excusat, ne censura incuratur. 66.7

Ignorantia inuincibilis facti excusat ignorantem à censura illi facto per legem statuta, casu quo ignorans det operam rei licitæ. ibid. 8

Ignorantia inuincibilis facti excusat à censura ignorantem, etiam casu, quo hic det operam rei illicitæ. ibid. 9

Ignorantia inuincibilis circumstantiæ, aut qualitatis culpæ, ob quam imponitur censura, excusat etiam ab incurfione Censuræ. 67.10

Ignorantia vincibilis culpabilis, venialiter, tantum, excusat à tribus speciebus censuræ. 68.14

An ignorantia vincibilis mortaliter culpabilis, quæ

affectedata, crassa, aut supina non est, etiam Censuram excuset? duplex placitum. ibid. 15

Ignorantia affectedata à Censuris non excusat. 69.16

Ignorantia crassa, seu supina, tam facti, quam iuris, non excusat à Censura. 69.17

Ignorantia crassa, excusat à Censura imposita facienti aliquid scienter. ibid. 18

Ignorantia supina excusat, sicut excusat crassa à Censura inflicta contra facientem aliquid scienter. 70.19

Ignorantia crassa, & supina excusant à Censura Canonis lata sub his verbis: *Si quis presumpserit, vel, si quis ausus fuerit, vel ausu temerario fecerit.* ibid. 20

Ignorantia affectedata, vel crassa, vt moraliter censeatur intenta, seu affectedata, non excusat à Censuris, scientiam, temeritatem, aut præsumptionem exigentibus. 71.21

Ignorantia concomitans excusat à Censuris incurendis. ibid. 22

Si quis laborans Ignorantia comitante putans se occidere feram, occideret Clericum inimicum, eliciens actualiter hunc actum; *Vinam quod video esset Clericus, nam adhuc illum occiderem,* excommunicationis Censuram non incurreret. 72.23

*Impedire.*

Impediens causarum spiritualium cursum, prosecutionem, audientiam, necnon personas, Capitula, &c. causas ipsas prosequi volentes, incurrit excommunicationem cœnæ; etiam si non se tanquam Iudicem in earum cognitione interponat. 327.7

Aduocatus, vel Procurator, qui Impedit cursum, seu prosecutionem causarum spiritualium, non incidit in Censuram huius Canonis. ibid. 8

Priuata persona compellens per vim & metum partes actrices & reuocandas citationes, & inhibitiones, vel ad consentiendum absolutioni eorum, contra quos tales inhibitiones & literæ, emanarunt, obstringitur excommunicatione huius Canonis. ibid. 9

Qui verò partes actrices inducit ad curandam absolutionem aduersarij, &c. via iudiciaria, vel precibus, aut pecunia, aut alio modo, excluso vis, & metus, in excommunicationem non incidit. ibid. 10

Non incidit in excommunicationem huius Canonis, qui non partes, sed Iudicem, qui excommunicationem, & alias pœnas pronunciauit, compellit, vt absolutionem impendat, & alias pœnas reuocet. ibidem. 11

Excommunicationem Bullæ Cœnæ non contrahit, qui sine vi & metu, sed precibus, pecunia, præmio, amore, aliâve via, Impedit Iudicem Ecclesiasticum, ne sua iurisdictione vtatur. 336.2

Qui iniuste Impedit Prælatos, ne sua iurisdictione vtantur excommunicationem non incurrit. 337.3

Non solum publicæ personæ, quæ iurisdictionem habent, sed etiam priuatæ Impedientes iudices Ecclesiasticos, ne suam iurisdictionem exercent, huius Canonis excommunicationem incurunt. 337.4

Tribus modis potest Impediri iudex Ecclesiasticus, ne vtatur iurisdictione sua. ibid. 6

Impedientes Abbates, Decanos, Achidiaconos, & Vicarium generalem Episcopi, ne sua iurisdictione vtantur, hanc excommunicationem contrahunt. ibid. 7

Incurrit censuram huius Canonis, qui impedit iudices Ecclesiasticos ordinarios in causis mixti fori. 338.8

Impediens Episcopum ne absolutionem sacramentalem alicui impendat; aut ne potestatem ordinis exercent, censuram huius Canonis non incurrit. ibid. 9

Impediens executionem sententiæ latæ à Sum. Pontifice, in causa punitiois corporalis, aut confiscationis bonorum; Censuram huius Canonis incurrit. 349.6

## Index Rerum.

- Impotentia.*  
 Impotentia moralis faciendi id, quod præcipitur sub Censura, excusat ab illa. 74.29
- Imprimere.*  
 Imprimentes libros hæreticorum excommunicantur in primo Canone Bullæ Cœnæ. 271.81  
 Qui nomine imprimentium libros hæreticorum, comprehendantur in hoc Canone, an omnes, qui ad impressionem eorum proximè cooperantur. 272.82  
 Bullæ excommunicationem non incurrunt illi, qui expensas impressionis faciunt. ibid.84  
 Qui excommunicationem incurrit author libri, qui librum hæreticum imprimendum tradit. Non incurrunt excommunicationem hanc latam contra imprimentes, qui prædictis vendunt literas æneas, papyrum, aramentum, & alia ad impressionem necessariâ. ibid.86  
 Transcribentes libros hæreticos, incurrunt eandem excommunicationem, quam incurrunt imprimentes. ibid.87
- Indulgentia.*  
 Indulgentiæ obtineri possunt ab excommunicato contrito, ante obtentam excommunicationis absolutionem. 95.17  
 Prohibitum est excommunicato denunciato Ecclesiastico, Indulgentias concedere. 157.3
- Infamis.*  
 In casibus, in quibus admittitur infamia in testem, admitti & potest excommunicatus. 171.38  
 Excommunicatus redditur per excommunicationem infamis. 203.10
- Inferior.*  
 Inferiores eiusdem familiæ, ut fratres, sorores, serui, & similes, si vnus horum sit excommunicatus, possunt cæteri communicare cum illo, non directè quidem, sed indirectè. 196.41
- Infidelis.*  
 Infidelis non baptizatus de potestate absoluta Pontificis, eiusque de commissione potest Censuras ferre. 13.32  
 Qui in vna terra hæreticorum aut Infidelium existentes deferunt arma, equos, & alia prohibita, ad aliam terram eorundem, non censentur excommunicati per Canonem Cœnæ. 291.3  
 Non incidunt in excommunicationem huius Canonis, qui arma, vel alia in illo expressa tradunt Saracenis, aut aliis Infidelibus habitantibus in terris Christianorum, vendendo ea, seu permutando. Hæc sententia verior, licet contraria possit aliquando esse ex accidenti vera. 291.4  
 Feritur hac Canonis Censura, qui ab vno Infideli arma capiens donatione, aut emptione, eadem vendit aliis Infidelibus. 292.8  
 Incurrunt hanc excommunicationem, qui arma deferunt Infidelibus etiam non indigentibus; eo quod armis omnis generis ad bellum necessariis, sint optimè muniti. ibid.9  
 Etiam, qui arma, & alia prohibita deferrent Saracenis, aut aliis Infidelibus, tempore pacis, hanc excommunicationem contrahunt. ibid.10  
 Non incurrunt hanc Censuram, qui arma deferunt Infidelibus, ut contra alios Infideles pugnent; secus verò, &c. 293.11  
 Christianus, qui suis armis munitus Principem Saracenum adit, non incidit in hanc Censuram, si ab ipso Principe rogatus, vel munere donatus, in gratiam redonat arma. 293.12  
 In hanc Censuram non incidit, qui absolutè, exiguam, & paruam rem ex prohibitis, ad Infideles refert. 293.13  
 Quanam sit censenda hac in re, grauis, & leuis materia. 293.14
- Qui arma, equos & similia, ad terras Infidelium detulit; pœnitentia tamen ductus, retulit inuentita, excommunicationem non contrahit. 264.15  
 Non incurrunt hanc Censuram, qui tempore belli, deferunt arma, equos, ferrum, & similia Saracenis, pro redimendis captiuis. Lege attentius. 295.19  
 Quid nomine *Armorum* quæ, primo loco, deferri ad Saracenos, & alios Infideles prohibentur, intelligatur. ibid.20  
 Cultelli ad cibos, vel calamos sciendos, nomine armorum non comprehenduntur, nec sunt materia huius Censuræ. ibid.21  
 Ex delatione cuiuscunque instrumenti Bellici ad Infideles, Excommunicatio Cœnæ incurritur. 298.37  
 Non incurreret hanc excommunicationem, qui ligna ad ignem solum fouendum, ad Infideles deferret. ibid.40  
 Quid prohibeat Pontifex per verba hæc: *Canapem & funes, tam ex ipso canape, quam alia quacunque materia, & ipsam materiam.* 299.41  
 Quid item prohibeat Pontifex, per hæc vltima prima clausulæ verba: *Aliaque huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant.* ibid.42  
 In Bulla non prohibetur victualia, & vestimenta ad Infideles deferre. ibid.43  
 Qui certiores facit Infideles & Hæreticos de statu Reipublicæ Christianæ Christianorum perniciem, hanc Bullæ Censuram contrahunt. ibid.44  
 Vt quis hanc Censuram incurrat, non debet certiores facere hostes Christiani nominis, de statu temporali totius Christianæ Religionis, sed sufficit vt partis, &c. ibid.45  
 Qui vi tormentorum reuelat infidelibus res ad statum Reipublicæ concernentes, non incidit in hanc censuram. 301.51  
 Quid prohibeatur per illa verba Canonis: *Illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant.* ibid.53  
 Auxilium, consilium, & fauor, sunt actiones principaliter, non accessorie, in hoc Canone prohibita. ibid.54  
 Consulens infidelibus aliquid in damnum Christianorum incidit in hanc censuram, etiam casu, quo inde nullum damnum Christianis sequatur. ibid.55  
 Incidit in hanc excommunicationem, qui mandat, aut consulit, vt Christianus opem infidelibus ferat, subministrando illis arma, equos, & alia prohibita. 302.57  
 Mandans, aut consulens, vt Christianus opem, aut fauorem infidelibus, subministrando illis arma, & alia, ferat; non manet excommunicatus, nisi secuto effectu. ibid.58  
 Ille, qui ratum habet, quod aliquis infidelibus, aut Hæreticis præstiterit opem, veluti arma, & similia, non obstringitur excommunicatione huius Canonis. 303.61  
 In hanc censuram non incidit Princeps Catholicus, qui bellum gerens cum alio Principe Catholico, ad se defendendum aduocat milites infideles, illisque arma præbet, &c. 305.70  
 Incidit, qui fauorem, auxiliūve, præstat infidelibus contra Principem Christianum; ne ita potens fiat, vt ei aucta potentia resisti nequeat. ibid.71  
 Qui arma, & alia instrumenta bellica ex priuilegio Pontificis, ad infideles defert, non ligatur excommunicatione Bullæ. 306.72  
 Non dantur nunc aliqua priuilegia à Pontifice concessa spectantia ad delationem armorum, & alia instrumenta bellica ad Infideles. ibid.73  
 Licita est consuetudo, quam Toletani ciues cum Africanis obseruant, mittendo ad ipsos, per ciuitatem Orani, pileos rubros. ibid.74  
 Etiam

## Index Rerum.

- Etiam licitum est commercium, quod ciues Orani cum Alarabibus vicinis habent. 306.75
- Infirmus.*
- Tempore Interdicti, quando Eucharistia deferatur ad infirmos licitum est, illam deferre, cum solemnitate consueta. 403.26
- Innocens.*
- Interdicto populo, censentur interdicti Innocentes, qui non dederunt causam culpabilem Interdicto. 383.34
- Inquisitor.*
- Inquisitores sancti Officij habent etiam iurisdictionem ordinariam ferendi Censuras. 9.14
- Inquisitores possunt concedere licentiam legendi libros à se prohibitos. 27.77
- Inquisitores, & Prælati, hanc excommunicationem incurrunt, si causa fauendi hæresi, omittant capere, torquere, aut punire hæreticos, aut fideliter incarcere custodire. 258.26
- Domini Inquisitores à Censura non excusantur, legendo libros hæreticos. 269.73
- Qui ab Inquisitoribus Regni, verbi gratia, Lusitaniæ, habet licentiam legendi libros specialiter ibidem ab ipsis prohibitos nequit eosdem legere in alio Regno, verbi gratia, Castellæ, casu, quo ibi etiam sint prohibiti ab Inquisitoribus. 271.78
- Instrumentum.*
- Instrumenta, acta, seu scripta facta à Notario, siue Scriba publico, vel Tabellione excommunicato non tolerato, sunt inualida, & ideo illis non adhibenda fides, quæ instrumentis authenticis præstatur. 165.15
- Instrumenta, seu scripta, facta à Notario, seu Tabellione excommunicato tolerato sunt valida. ibid.16
- Interdictum.*
- Quid sit Interdictum secundum se? 376.1
- Interdictum in communi, rectè diuiditur in Interdictum Locale, Personale, & Mixtum ex utroque. ibid.2
- Quid sit Interdictum locale. Ibid.3
- Interdictum locale, rectè & adæquatè diuiditur in generale, & speciale. ibid.4
- Interdictum, quo omnes Ecclesiæ alicuius Regni, Prouinciæ, aut Ciuitatis, &c. interdicuntur, potius est Interdictum speciale, quam generale. 377.5
- Interdictum positum in vna Parochia Ciuitatis, vel Oppidi, in quo sunt plures Parochiæ, est dicendum potius, generale quàm speciale. ibid.6
- Si interdicatur hæc Ciuitas, excepta vna, vel altera Ecclesia, est dicendum interdictum generale; non speciale. ibid.7
- Interdicta aliqua Ciuitate, interdicuntur etiam Suburbia, locaque ei contigua. ibid.8
- Casu, quo suburbia, aut loca contigua ciuitatis interdicta pertineant ad alteram diocesim, aut alium Dominum, propter cuius culpam, ciuitas est interdicta; tunc interdicta ciuitate, sunt etiam interdicta suburbia, &c. saltem vi iuris communis. ibid.9
- Interdicta ciuitate, per Interdictum locale generale; intelliguntur etiam interdicta Religiosorum exemptorum Ecclesiæ. 378.10
- Nequit Episcopus interdicere Ecclesias Regularium, Interdicto speciali locali, sicut potest Interdicto generali. ibid.11
- Interdicta Ciuitate, aut Diocesi, Interdicto generali; intelligitur interdicta Ecclesia Cathedralis. ibid.12
- Casu quo speciali Interdicto, sub generali tamen nomine, interdicantur omnes Ecclesiæ Ciuitatis; interdicta etiam censentur Ecclesia Cathedralis. 379.13
- Interdicta tota Diocesi, manet interdicta Ciuitas, quæ est caput eius, & consequenter Ecclesia Cathedralis, vnà cum aliis, quæ sunt in Ciuitate. ibid.14
- Interdicta Ecclesia; intelliguntur interdicta Capellæ, & Cæmeteria contigua Ecclesiæ. ibid.15
- Casu, quo sint duæ Ecclesiæ contiguæ, solo communi pariete intermedio; tunc si vna ex illis Interdicto speciali interdicatur, manet tantum illa Interdicta. ibid.16
- Interdicta Ecclesia; Interdicta est censenda pars illa, quæ postea ei aduenit. ibid.17
- Interdictum generaliter latum, contra Terras alicuius Principis, cadit in omnes Terras, quarum Princeps dominium habet. ibid.18
- Etiam si vendatur Terra Interdicta, aut punetur à Principino; subiacet adhuc Interdicto. 380.19
- Interdictum positum in Terras alicuius Principis; cadit etiam in Terram acquisitam ab ipso, post latum Interdictum. ibid.20
- Qui habet duo domicilia, vnum in loco, vbi totus populus est generaliter Interdictus; alium in loco non Interdicto, censetur Interdictus, sed distinguere. ibid.21
- Quid sit Interdictum personale. ibid.22
- Duplex est Interdictum personale. ibid.23
- Interdicta Familia aliqua; sunt etiam Interdicti Clerici illius Familie. 382.28
- Sed qui post latum Interdictum in familiam, sit de nouo de tal familia; non incurrit Interdictum. ibidem.29
- Interdicta aliqua Ciuitate; non censentur Interdicti, qui in ea ad tempus habitant, studij, vel negotiorum causa. 382.32
- Interdicta aliqua Communitate; non censentur Interdicti amentes aut infantes carentes vsu rationis. 383.33
- Etiam si Interdictum generale, latum sit in locum; possunt adhuc pueri, & amentes ad Missam, & ad alia diuina Officia admitti. ibid.34
- Quando interdicuntur ciues alicuius oppidi manent etiam interdicti Ciues, qui erant absentes, tempore, quo latum fuit Interdictum. ibid.37
- Interdictis Doctoribus alicuius Academiae, censentur etiam interdicti Doctores Clerici. 384.38
- Interdicto personali generaliter lato, non comprehenditur ille, qui illud posuit. ibid.39
- Posito Interdicto locali generali, non censetur positum personale. ibid.41
- Nec è contra, posito Interdicto generali personali; censetur positum Interdictum locale generale, quamuis non exprimat. ibid.42
- Omnes illi, qui excommunicare & suspendere possunt, possunt etiam Censuram Interdicti ferre. 385.1
- Episcopi possunt interdicere Clericum, & Ecclesiam sine consensu Capituli; saltem ratione consuetudinis. ibid.2
- Vniuersa Ecclesia interdici potest, sed à solo Papa, aut sede vacante à Concilio. 386.6
- Potest Episcopus totam Diocesim, suæ iurisdictioni subiectam, interdicere. ibid.7
- Omnes personæ, quæ excommunicari possunt, possunt etiam interdici. ibid.9
- Loca non sacra, seu rebus diuinis non deputata, interdici possunt. ibid.10
- Episcopi non censentur Interdicti per legem generalem, aut sententiam, qua interdicuntur omnes, qui hoc, vel illud delictum commiserint. 387.11
- Ad imponendum Interdictum locale, etiam speciale, requiritur culpa mortalis. ibid.12
- Interdictum locale generale nequit ferri, propter debitum pecuniarium contractum ab aliqua Communitate. ibid.15

## Index Rerum.

- Quatuor sunt præcipuè effectus Interdicti, siue locali, siue personalis. 388.14
- Pro debito pecuniario potest ferri Interdictum locale particulare, siue licentia Pontificis. ibid.16
- Pro debito pecuniario, potest ferri Interdictum generale personale, hoc est, Interdictum Communitatis. ibid.17.
- Quænam sit causa finalis Interdicti. ibid.18
- Forma, sub qua Interdicti sententia fertur, non habet verba determinata. ibid.19
- Interdicti sententia debet ferri in scriptis, cum expressione causæ, monitione præuia, &c. ibid.20
- Tempore Interdicti, vsus campanarum non est simpliciter, & vnlequaue prohibitus. 393.22
- Tempore Interdicti, licitum est pulsare campanas ad ea omnia, quæ Officia diuina non sunt; vt ad concionem, salutationem Angelicam, &c. ibid.24
- Tempore Interdicti non est licitum, pulsare campanas ad notificandum & confirmandum Interdictum. 394.26
- Tempore Interdicti non est licitum Religiosis pulsare paruam Campanellam pro diuinis officiis celebrandis. ibid.27
- In quatuor præcipuis festiuitatibus anni, nempe Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis Mariæ, permissum est tempore Interdicti, Missas, & alia Diuina publicè, & solemniter celebrari. ibid.28
- Hæc suspensio Interdicti, & permissio celebrandi solemniter Diuina, in prædictis quatuor festiuitatibus, non durat per totam Octauam earum. ibid.29
- Suspensio Interdicti, durat per tres, aut quatuor dies Natalis Domini, & tres primos Paschæ, & Pentecostes. 394.30
- Huiusmodi festiuitates incipiunt à primis Vesperis vigilia, & finiuntur in secundis Vesperis; itaut post illas, non liceat dicere Completorium cum solemnitate. 395.31
- Suspensio Interdicti, in festiuitatibus Resurrectionis, & Pentecostes, incipit à Missa vigilia; non verò in Natali Domini. ibid.32
- Præter quatuor illas festiuitates assignatas in cap. Alma dantur alia, quæ suspendunt Interdictum locale generale. 396.33
- In prædictis quatuor festiuitatibus, in quibus per cap. Alma. suspenditur Interdictum; non solum permittitur celebrari Missas, & Officia diuina propria illarum festiuitatum; sed etiam quæcunque alia. ibid.34
- Tempore Interdicti localis generalis, licitum est, recipere aliqua Sacramenta, in præfatis festiuitatibus, in quibus concessum est, Missas, & alia diuina Officia publicè, & solemniter celebrari. ibid.35
- Ad implendum præceptum annuæ communionis, potest quis, & debet, tempore Interdicti, communicare. 397.38
- Benedictiones Nuptiales possunt fieri, tempore Interdicti, in illis diebus, in quibus text. in cap. Alma, permittit Missam, & alia Officia diuina, publicè, & solemniter celebrari, dummodo, &c. ibid.39
- Baptismi Sacramentum administrari potest in Ecclesia specialiter interdicta, et si alia sit Ecclesia non interdicta, vbi absque incommodo celebrari potest. 399.2
- Persona interdicta generaliter, & absque propria culpa, (vt si clerus generaliter interdiceretur) potest licitè ministrare Baptismum. ibid.3
- Tempore cuiuscunque Interdicti, potest licitè administrari Sacramentum Baptismi. ibid.5
- Recommendatio animæ moribundi, potest licitè fieri coram aliis, tempore Interdicti. ibid.6
- Adultus personaliter interdictus, potest licitè Sacramentum Confirmationis recipere. 400.7
- Sed Confessor specialiter & culpabiliter interdictus, nequit licitè ministrare, extra casum necessitatis, hoc Sacramentum Pœnitentiæ. 401.14
- Interdictum priuat Sacramento Eucharistia. 402.18
- Eucharistia ministrari potest, tempore Interdicti, mulieribus prægnantibus, quando partui sunt propinquæ. ibid.21
- Potest dari Eucharistia, tempore Interdicti, inchoanti periculofam nauigationem; aut intranti bellum, aut existenti in alio periculo mortis. 403.22
- Sacramentum Extremæ Vnctionis nequit, tempore Interdicti, ministrari non habenti priuilegium, seu Bullam Cruciatam. 405.35
- Nec potest tempore Interdicti, ministrari Vnctio, in quatuor illis anni festiuitatibus, in cap. Alma, exceptis. ibid.38
- Interdictus personaliter, nequit recipere Extremam Vnctionem, in loco non interdicto. 406.39
- Interdictum priuans ingressu Ecclesiæ, non est effectus cuiuscunque Interdicti personalis; vel nouum genus Interdicti. 409.1
- Interdictus ab ingressu Ecclesiæ, nequit extra Ecclesiam existens, audire diuina, quæ intra Ecclesiam celebrantur. ibid.2
- Personaliter interdictus nominatim, vel specialiter, nequit in loco sacro sepeliri. ibid.3
- Interdictus ab ingressu Ecclesiæ potest illam ingredi, ibique loqui, disputare, aut aliud simile agere. 411.11
- Interdictus ab ingressu Ecclesiæ, potest etiam exercere in ea actus pertinentes ad iurisdictionem Ecclesiasticam fori exterioris, vt sunt eligere, absoluerè à Censuris, & similes. 412.13
- Interdictus ab ingressu Ecclesiæ licitè valet concionem in ea audire. ibid.14
- Si Clericus, seu Religiosus, publicè canat cum aliis in choro Vesperas, aut Completorium, tempore Interdicti, mortaliter peccat. 413.3
- Clerici violantes Interdictum priuantur electione actiua, & passiuà ad dignitates Ecclesiasticas. 415.16
- In septem casibus, Interdictum personale speciale ipso iure incurritur. 416.9
- Clericus violans Interdictum, manet ipso iure suspensus à iurisdictione Ecclesiastica exterioris fori. ibid.17
- Clerici, tam sæculares, quàm regulares, exempti à iurisdictione ordinaria, incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, si celebrent diuina in locis interdictis, aut coram personis interdictis non toleratis, &c. ibid.18
- Etiam Clericus non exemptus, incurrit hanc suspensionem, celebrando diuina eodem modo, hoc est, in loco interdicto, &c. ibid.19
- Interdictum latum ad tempus, vel sub conditione tacita, vel expressa, donec satisfaciatur, vel restituatur, eo tempore elapso, vel adimpleta conditione, ipso facto, siue noua absolutione non cessat. 417.1
- Interdictum locale generale impositum in tota Ciuitate, non tollitur per destructionem ipsiusmet Ciuitatis. ibid.2
- Interdictum locale impositum ob delictum eius Domini, non tollitur alienatione sola, aut venditione talis loci. 418.3
- Interdictum locale speciale, vt alicuius Ecclesiæ, non tollitur sola destructione ipsiusmet Ecclesiæ. ibid.4
- Interdictum deambulatorium, quo interdicitur locus incertus, & indefinitus, v. g. Terra, seu Prouincia, vbi maneat talis persona. v. c. Petrus, tollitur eo ipso, quod Petrus mutet Terram, seu prouinciam, absque alia relaxatione Superioris. ibid.5
- Inter

## Index Rerum.

- Interdictum generale personale, quo Ciuitas, Communitas, seu Collegium, est interdictum; tollitur dissoluta Ciuitate, Communitate, vel Collegio, sine alia absolute Superioris. ibid. 6
- Interdictum omne potest auferri, vel suspendi ab illo, qui illud tulit. ibid. 8
- Episcopus potest absoluere ab omni Interdicto locali, lato à iure absolute, & sine termino. ibid. 9
- Episcopus, non solum tollere, sed etiam suspendere ad tempus, potest dictum locale Interdictum. 419.
- 10
- Non potest Episcopus absoluere ab Interdicto locali, non solum à iure posito, sed etiam lato à Papa tanquam ab homine. ibid. 11
- Episcopus potest absoluere ab Interdicto personali lato à iure. ibid. 12
- Interdictum generale locale, nequit relaxari ad cautelam. 420. 15
- Bene verò Interdictum speciale locale. ibid. 16
- Interdictum personale particulare etiam potest relaxari ad cautelam. ibid. 17
- Interdictum personale generale, puta latum in Vniuersitatem, aut Collegium, potest adhuc relaxari ad cautelam. ibid. 18
- Interdictum censetur sublatum, quando non seruatur ab eo, in cuius fauorem latum est. ibid. 19
- Non censetur tamen sublatum, quando non seruatur ab eo, propter cuius delictum positum est. ibid. 20
- Nec censetur sublatum, quando non seruatur ab eo, qui tulit Interdictum. 421. 21
- Interdictum potest tolli à Papa solo actu interiori. ibid. 22
- Forma obseruanda in relaxando Interdicto assignatur. ibid. 23
- Irregularitas.*
- Irregularitas, nec ratione delicti, est proprie & in rigore Censura. 2. 4. Sed reductiue. 3. 8
- Iudæi.*
- Iudæi, & alij infideles non baptizati, non possunt ab Ecclesia Censuris ligari. 19. 7
- Iudex.*
- Iudex excommunicatus manifestus, toleratus tamen, potest valide Censuras ferre. 15. 38
- Iudex, seu Prelatus, non potest in causa propria Censuram, per modum iudicij, ferre. 16. 41
- Iudex, qui duos homines simul vtraque manu per vim extraheret ab Ecclesia, vel etiam, qui eodem tempore simul cum duobus excommunicatis non toleratis loqueretur, vnicam solum incurrit Censuram. 26. 41
- Iudex, qui Censuram, non præmissa trina monitione vel vna pro tribus, fert; & incurrit suspensionem, & peccat mortaliter. 39. 13
- Ex rationabili causa potest licite Iudex dictam pluralitatem dierum ad vnum etiam diem, imò ad certas horas, restringere. 41. 25
- Quando delictum est publicum, & notorium, non potest licite Iudex Censuræ sententiam ferre, monitione Canonica prætermissa. ibid. 26
- An si vrgeat periculum in mora (veluti, si Sacerdos à Iudice laico ducatur in furcam) possit Iudex Ecclesiasticus, sine monitione aliqua, censuram, ipso facto (in talem scilicet laicum Iudicem) ferre? Duplex placitum. 43. 29
- Iudex non tenetur sententiam Censuræ conscriptam per se ipsum, non per alium, legere, & promulgare. 46. 5
- Iudex excommunicans tenetur tradere reo, si ab hoc intra mensẽ fuerit requisitus, exemplum scripturæ continentis sententiam censuræ. 47. 10
- Iudex tenetur dare exemplum, seu copiam sententiæ, non solum quando pronuntiat censuram contra de-
- terminatas personas, sed etiam quando pronuntiat in generali contra quoscumque, qui hoc, vel illud fecerint. ibid. 12
- Iudex pronuncians sententiam Censuræ, præscripta Iuris forma non seruata, pœnam suspensionis à diuinis officiis per mensẽ, ipso iure incurrit. 48. 13
- Iudex, qui dictum ordinem Iuris in ferendis censuris negligit, peccat mortaliter. ibid. 14
- Iudex, qui ob euitandum periculum instans, aut, ob aliam iustam causam, ferret Censuras, solo verbo, non peccaret mort. nec incurreret suspensionem. 50. 19
- Iudex, qui bona fide, aut ignorantia inculpabili, ferret Censuram solo verbo, excusaretur à dictis pœnis. ibid. 20
- Etiam ille Iudex, qui ex inaduertentia Censuræ, ferret solo verbo Censuras, excusaretur à relatis pœnis. ibid. 21
- Iudex, qui ex ignorantia culpabili, solo verbo Censuras ferret, incurreret dictas pœnas, sed distinguendum. ibid. 22
- Iudex vt incurrat pœnam dictæ suspensionis, satis est, vt in ferenda Censura, vnicam conditionem prætermittat, etiam si alias adhibeat. 51. 26
- Huiusmodi pœna incurritur à Iudice non seruante dictam formam iuris, casu, quo Censura careat effectu. ibid. 27
- Si quis citatus à Iudice ad videndam fieri denunciationem incurset Censuræ ab homine latæ, appellet; tunc potest Iudex adhuc prædictum reum citatum denunciare. 55. 12
- Quando Censura lata est iusta, potest, & tenetur Iudex denunciare. ibid. 15
- Quando sententia Censuræ fuit iniusta, tenetur Iudex, qui illam tulit, ad non denunciandum. ibid. 16
- In imponendis Censuris debent Iudices aliquem ordinem & dispositionem seruare. 62. 13
- Acta à Iudice Ecclesiastico excommunicato non tolerata, non solum sunt illicita, verum etiam inualida. 157. 4
- Excommunicatus non toleratus nequit licite exercere officium Iudicis in foro sæculari. 159. 11
- Nec valide potest exercere officium Iudicis in foro, seu iudicio sæculari, dictus excommunicatus non toleratus, si in excommunicatione per annum inforuerit. ibid. 12
- Etiam si Iudex sæcularis non inforuerit per annum excommunicatus vitandus, actus eius in iudicio exerciti, adhuc inualidi, ac nulli sunt. ibid. 13
- Iudex tam Ecclesiasticus, quam sæcularis, excommunicatus vitandus, peccat mortaliter exercendo officium iudicis. 160. 14
- Acta à Iudice sæculari excommunicato tolerata, & non vitando, sunt valida, & rata. ibid. 15
- Iudex quilibet excommunicatus toleratus, & non vitandus, peccat mortaliter, sicut peccat non toleratus, ferendo sententiam, & exercendo alia officia Iudicis nisi ignorantia, aut functionis breuitas excuset. ibid. 16
- Non solum per se, sed neque per Procuratorem, qui ab eo authoritatem accipiat, potest licite excommunicatus in iudicio agere. 161. 2
- Excommunicatus maior, potest se ipsum defendere in iudicio. ibid. 3
- Iudices, qui potestate ordinaria, hoc est, iure proprio, absoluere à Censuris possunt; sunt Papa, Patriarchæ, &c. 203. 1
- Iudex Ecclesiasticus, qui potestatem habet excommunicandi, & absoluendi, nequit licet Sacerdos non sit, absoluere in articulo mortis à quacunque Censura quemque etiam non subditum, absque speciali commissione. 205. 7
- Excommu

## Index Rerum.

- Excommunicationem non incurrunt Iudices Regij; quando ad tollendam vim, rogant, & iure compellunt Iudicem Ecclesiasticum, vt absoluat excommunicatum ab ipso, ad tempus. 207.14
- Excommunicatus non debet, ob quodcunque crimen, præstare iuramentum, de non committendo amplius illud; sed solum ob maiora & enormia. 251. 118
- Iudices, Magistratus, & aliæ personæ publicæ, qui requisiti ab Episcopis, vel Inquisitoribus, negligunt hæreticos capere, vel captos diligenter custodire, hac Bullæ excommunicatione ligantur. 258. 25
- Non incidunt in excommunicationem Canonis Cœnæ, qui auocant ad se, ab Ecclesiasticis Iudicibus, causas non spirituales, sed temporales. 325.3
- Laici Iudices auocantes causas spirituales à Iudicibus Ecclesiasticis, ex priuilegio Sum. Pontificis; à Censura huius Canonis excusantur. 327.12
- Si Iudex laicus, siue spontè ratione sui Officij, siue ad instantiam partis recurrentis ad eum, trahat aliquam personam Ecclesiasticam ad suum Tribunal, excommunicationem Canonis Cœnæ incurrit. 329. 2
- Iudex sæcularis non feritur excommunicatione huius Canonis, casu quo Clericum sponte accedentem ad suum Tribunal, vt coram eo se purget, admittat purgationem, & sententiam proferat. *ibid.* 3
- Non incurrit hanc excommunicationem Iudex sæcularis qui amicabiliter, & absque vlla coactione, suadet alicui Ecclesiastico, vt ad suum accedat Tribunal, vt sedentur lites. *ibid.* 5
- Iudex sæcularis, qui iniquè vexat Clericum, aut eius Consanguineos, vel famulos, aut Colonos, vt sic cogat illum ad suum Tribunal, est excommunicatus. *ibid.* 6
- Non solum Iudex laicus, sed etiam Ecclesiasticus trahens iurisdictione laica, personas Ecclesiasticas ad suum Tribunal, excommunicationem huius Canonis incurrit. *ibid.* 7
- Iudex laicus incurrit hanc Censuram trahendo Ecclesiasticum ad suum Tribunal, ob grauissima aliqua delicta. 330.8
- Laico Iudici licet trahere ad suum Tribunal, & iudicare Clericum degradatum, seu depositum realiter. *ibid.* 9
- Etiam est licitum Iudici laico trahere ad suum Tribunal Clericum bigamum. *ibid.* 10
- In causa feudi, licitum est Iudici, Domino laico, trahere ad suum Tribunal, Clericum feudum laicum possidentem. *ibid.* 11
- Non est licitum laico, reconuenire Clericum in causis criminalibus, coram Iudice laico. *ibid.* 13
- Ob negligentiam, vel ob defectum Iustitiæ Ecclesiasticæ, nequit Iudex laicus trahere ad suum Tribunal personas Ecclesiasticas. 331.14
- Absque incurfione Censuræ, nequit Iudex laicus eicere è Regno Clericum seditiosum, & perturbatorem Reipublicæ. *ibid.* 15
- Iudex laicus nequit capere, & punire pœna pecuniaria, Ecclesiasticos impediētes, aut resistentes iurisdictioni laicali. *ibid.* 16
- Laicus Iudex nequit punire Ecclesiasticos pœna pecuniaria, casu quo illi signa reuerentiæ non exhibuerint, aut coram illo deliquerint. *ibid.* 17
- Ecclesiastici crimen læsæ Maiestatis committentes, nequeunt puniri à Iudice laico, ab eoque condemnati. 332.18
- Iudex laicus non potest trahere ad suum Tribunal, & punire Ecclesiasticos delinquentes in officio aliquo sæculari, illis, ab ipsomet Iudice, seu Principe, concessio. *ibid.* 19
- Iudex laicus nequit, absque incurfione huius Canonis Censuræ, punire Ecclesiasticum assassinum; hoc est, Ecclesiasticum, qui pretio aliquem occidit, aut occidi mandat; nisi, &c. *ibid.* 20
- Casu, quo Ecclesiasticus sit notorius Sodomita, non potest licitè Iudex sæcularis illum punire, nisi post, &c. *ibid.* 21
- Concessum est Iudici laico, Clericum incorrigibilem ad suum Tribunal trahere, & punire. *ibid.* 22
- Iudex laicus non potest conuenire Ecclesiasticos, & trahere ad suum Tribunal, pro solutione gabelle; in casu, quo teneantur illam soluere. 333. 23
- Iudex laicus nequit trahere ad suum Tribunal, & punire Clericum pro delicto commisso ante Clericatum. *ibid.* 24
- Non potest Iudex laicus liberè punire Clericum, qui post delictum patratum assumpsit habitum Clericalem, intentione se subtrahendi à iurisdictione sæculari. *ibid.* 25
- Iudices Ecclesiastici interponentes se contra personas Ecclesiasticas in causis criminalibus, dum in illis se interponere non possunt, excommunicationem huius Canonis non incurrunt, nisi, &c. 347.3
- Incidit in hanc Censuram Iudex sæcularis, qui in causa criminali facit informationem contra Clericum, non vt pœnam inferat, sed vt facti veritas cognoscatur. *ibid.* 4
- Etiam incidit in hanc Censuram Iudex sæcularis, qui in cursu processus comperit delinquentem esse Ecclesiasticum, & nihilominus processum prosequitur. *ibid.* 5
- Iudex laicus interponens se in causis criminalibus contra Clericum, consentientem contra se processum fieri; huic Censuræ subiicitur. *ibid.* 6
- Dantur plures casus, in quibus laici possunt, sine excommunicatione, aliquas actiones in hoc Canone prohibitas facere. 348.7

### Iuramentum.

- Reus excommunicatus non debet ob quodcunque crimen, præstare Iuramentum de non committendo amplius illud. 250.118
- Huiusmodi Iuramentum est præstandum, ante absolutionem, ab omnibus, tam à fœminis, quam à viris; & etiam à pueris. *ibid.* 119
- Absolutio ab excommunicatione data, absque præstito Iuramento prædicto, non est irrita, sed valida. *ibid.* 120

### Iurisdictione.

- Iurisdictione Ecclesiastica, quid? Et an rectè diuidatur in Iurisdictionem ordinariam, & delegatam. 8. 8
- In quo differant Iurisdictione Ordinaria & Delegata. *ibid.* 9

### L

#### Laicus.

- L** Laici possunt, ex commissione, seu dispensatione Papæ, Censuras ferre. 12.27
- Nec ex antiqua consuetudine potest Laicus acquirere sibi ius ad ferendas Censuras. *ibid.* 29
- Laicus, non tonsuratus, nequit, absque speciali commissione, absolvere à Censuris in articulo mortis, deficiente Sacerdote. 204.5
- In causa reconuentionis in ciuilibus, potest Laicus reconuenire Clericum coram eodem Iudice P p sæculari;



- seculari, apud quem Clericus, vt actor conuenit  
 laicum. Limita. 330.12  
 Laicus non excommunicatus, nec interdictus, potest  
 in necessitate ministrare Sacerdoti Sacrum facien-  
 ti. 392  
 Tempore Interdicti, possunt etiam Laici Eucharis-  
 tiam sumere, in illis diebus, in quibus ex vi cap.  
*Alma*, aut alterius priuilegij, assistere Missæ pos-  
 sunt. 397.37  
 Certum est, quod Laicus peccat mortal. violando In-  
 terdictum locale generale, vel speciale, & in qui-  
 bus casibus. 414.7  
 Peccat mortal. Laicus, qui mentiendo se habere  
 Bullam, aut Ordinem, decipit Sacerdotes, vt il-  
 lum ad diuina admittant. ibid.8  
 Laicus non interdictus peccat etiam mortaliter, au-  
 diens diuina Officia; præcipue Missam, in loco  
 interdicto. ibid.9  
 Laici violantes Interdictum, nullas ipso iure pœnas  
 incurrunt, nisi in 5. casibus. 415.15  

*Lector.*

 Lector excommunicatus vitandus, nequit licite pu-  
 blicas lectiones suis discipulis prælegere. 121.23  
 Lector non excommunicatus, potest licite legere pu-  
 blicam lectionem coram multis, etiam calu, quo  
 vnus ex auditoribus sit excommunicatus vitandus.  
 ibid. 24  

*Legatus.*

 Legatus à latere, Vicarius Papæ, & aliorum Epi-  
 scoporum, & Archiepiscoporum Vicarij, ha-  
 bent potestatem ordinario iure ferendi Censuras.  
 9. 12  

*Legere.*

 Licitum est alicui, Legere pium librum, aut sacram  
 Scripturam, coram excommunicato; vt illum ad sa-  
 lutem animæ conducat. 187.8  
 Non incurrit dictam excommunicationem, qui Legit  
 epistolam missiuam, concionem, aut aliam papyrum  
 hæretici continentem hæresim. 262.44  

*Lex.*

 Per particulam, *Lex* ? intelligitur lex matrimonij.  
 189. 15  

*Liber.*

 Legentes, retinentes, imprimentes, & defendentes  
 Libros infidelium continentem errores contra fi-  
 dem, Bullæ excommunicationem non incur-  
 runt. 261.35  
 Ad incurrendam hanc Bullæ excommunicationem;  
 non sufficit quod Auctor Libri, qui legitur, sit  
 hæreticus. ibid.37  
 Vt legentes Libros hæreticorum, excommunicatio-  
 nem Bullæ Cœnæ incurrant, non requiritur, quod  
 liber, & contineat hæresim, & simul de Religione  
 tractet; sed sufficit alterum. ibid.38  
 Vt incurratur huius Bullæ excommunicatio, necesse  
 non est, vt Liber hæretici, ex professo, & instituto,  
 de hæresi, aut de Religione tractet; sed satis est quod  
 vnâ solam hæresim contineat. ibid.39  
 Casu, quo totus Liber hæretici vnâ hæresim con-  
 tineat, totus liber est prohibitus. 262.40  
 Absque incurfione Censuræ, non potest quis legere  
 dictum Librum, vnâ hæresim continentem;  
 nisi talis hæresis deleatur auctoritate publica. ibi-  
 dem. 41  
 An, quando Liber hæretici in multiplex volumen  
 est diuisus, qui partem libri, in qua, nec hæresis  
 continetur, nec de Religione tractatur, legit, in-  
 currat excommunicationem Bullæ. vide totam  
 quæst. ibid.42  
 Incurrit excommunicationem Bullæ, qui legit Li-  
 brum hæretici continentem hæresim, nondum ta-  
 men typis excussum. ibid.43  
 Incurrit hanc Bullæ excommunicationem, qui indicem  
 Libri Hæretici, continentis hæresim, siue eius præ-  
 fationem, seu proœmium, legit. 263.45  
 Si quis legat, teneat, aut imprimat, Libros Ca-  
 tholici Authoris, in quibus sunt annotationes,  
 & scholia Hæreticorum, hæreses continentem,  
 non incurrit Bullæ Cœnæ excommunicationem.  
 ibid. 46  
 Non incurrit excommunicationem Bullæ, qui Li-  
 brum hominis Catholici, in quo ad verbum sunt  
 inserti errores alicuius hæretici; legit. ibi-  
 dem. 47  
 Nec incurrit, qui Librum hominis Catholici, in  
 quo ipse Author Catholicus, ob ignorantiam, hæ-  
 reses aliquas scripsit, legit. ibid.48  
 Non incurrit excommunicationem Cœnæ, qui Legit  
 Græcorum, & Armenorum libros, qui horum ri-  
 tus continent. 264.49  
 Nec incurrit dictam Bullæ Censuram, qui Li-  
 bros Magicæ artis legit, tenet, seu imprimit.  
 ibid. 50  
 Qui legit Librum hæreticum, in Gallia, Anglia,  
 & aliis Prouincijs, vbi Bulla Cœnæ non est re-  
 cepta, non incidit in excommunicationem Bullæ.  
 ibid. 51  
 Si ipsemet hæreticus legat suum Librum continen-  
 tem hæresim, aut de Religione tractantem, hanc  
 Bullæ excommunicationem incurrit. ibid.52  
 Incurrit excommunicationem Bullæ, qui legit Li-  
 brum hæreticum, non dolo malo, sed solius curio-  
 sitatis causa. ibid.53  
 Etiam dictam excommunicationem incurrunt, qui  
 Librum hæreticum, solum visu percurrendo, & nul-  
 la verba proferendo, legunt. ibid.54  
 Dictam excommunicationem non incurrit, qui legit  
 Librum hæreticum, scriptum lingua, quam non cal-  
 let, scit tamen illam legere. 265.55  
 Hanc Bullæ excommunicationem non incurrit, qui  
 per solam mentis recordationem, quasi mentaliter  
 Librum hæreticum percurrit, aut legit. ibid.56  
 Famulus, qui iussu Domini legit Librum hæreti-  
 cum, vt ipsemet Dominus sciat, quid in illo con-  
 tineatur, excommunicationem Cœnæ incurrit.  
 ibid. 57  
 Dominus, qui, vt audiat, famulo legere præfatum  
 Librum iubet, eandem quoque excommunicatio-  
 nem incurrit. ibid.58  
 Incurrunt eandem Bullæ excommunicationem, qui  
 audiunt aliquem Librum hæreticum legentem,  
 etiam si non iubeant, petant, aut consulant, quod  
 illum legat. 266.59  
 Ab incurrenda excommunicatione Bullæ Cœnæ, in  
 lectione Librorum Hæreticorum, excusat paruitas  
 materiæ. ibid.60  
 Quanam sit paruitas materiæ, quæ legendo Libros  
 hæreticos, à mortali, & excommunicatione excu-  
 set? ibid.61  
 Retinentes scienter Hæreticorum Libros, qui, vel  
 hæresim continent, vel de Religione tractant ex-  
 communicationem Bullæ incurrunt. 267.62  
 Retinens Librum hæreticum, scriptum lingua, quam  
 non intelligit, incurrit Cœnæ excommunicatio-  
 nem. ibid.63  
 Hanc excommunicationem incurrunt, qui retinent  
 Libros hæreticos, non legendi causa, sed curiosita-  
 tis, aut ornatus Bibliothecæ, aut permutandi cum  
 Libris Catholicis. ibid.64  
 Incurrit dictam excommunicationem vir doctus  
 Librum hæreticum apud se retinens, ani-  
 mo errores Hæreticorum confutandi. ibidem.  
 65  
 Dictam Censuram incurrit, qui partem Libri  
 hæretici

## Index Rerum.

hæretici retinet, etiam si pars hæresim non contineat. ibid. 66

Eandem excommunicationem non incurrit, qui vnum dumtaxat folium Libri hæretici apud se retinet. 268. 67

In retentione Librorum hæreticorum datur paruitas materiæ. ibid. 68

Quænam censenda sit parua temporis retentio Libri, quæ à dicta Censura incurrenda excuset. ibid. 69

Incurrit excommunicationem latam à Iulio III. qui habens Librum hæreticum, illum comburit, aut alio modo, propria autoritate, destruit, & non tradit Dominis Inquisitoribus. 269. 71

Licitum est habenti Libros hæreticos, eos propria autoritate comburere, casu, quo, sine graui suo detrimento, aut periculo, nequeat illos Inquisitoribus tradere. ibid. 72

Nec Cardinales possunt Libros hæreticorum legere, absque incurfione Censuræ Bullæ. 270. 74

Etiam Episcopi & Archiepiscopi incurrunt Bullæ excommunicationem, legendo hæreticos Libros. ibid. 75

Nec etiam nunc generales Regularium possunt legere, & purgare Libros Hæreticorum, & alios prohibitos; nec præbere suis subditis licentiam legendi eos, vel purgandi, idque decreto Urbani VII. anno 1631. edito. ibid. 76

Collegium Cardinalium, Sede vacante, potest dare licentiam legendi Libros hæreticos. 271. 80

Hanc Bullæ excommunicationem non incurrunt, Correctores exemplaris impressi. 272. 83

Qui dicit, se velle defendere Libros hæreticorum, v. gr. Lutheri, hanc Bullæ excommunicationem non incurrit, nisi sequatur effectus. 273. 91

Qui solius disputationis gratiâ, Libros hæreticos defenderet, eadem innodaretur Censura. ibid. 92

Defendentes Libros Hæreticorum excommunicantur, etiam in prima clausula Bullæ. ibid. 89

Qui Librum hæreticum, scriptis in occulto defendunt, hanc Censuram Bullæ incurrunt. ibid. 90

Qui, quauis ratione, impedit præfatos Libros, ne ad manus Inquisitorum perueniant, in hanc excommunicationem incidunt. ibid. 93

In eandem excommunicationem non incidunt, qui id quod Catholicum est in Libro hæretico, defendunt. ibid. 94

Qui stylum Libri hæretici, vel ingenium autoris eius, laudarent, excommunicationem non incurrerent. ibid. 95

Incurrerent dictam excommunicationem, qui absolute Librum hæretici laudarent. ibid. 96

Qui Hæreticorum Libros prohibitos legerint, retinuerint, impresserint, vel defenderint, ignorando esse in Bulla Cœnæ prohibitos, hanc Censuram non incurrunt. 274. 97

### Lignamina.

Quid prohibeat Pontifex ad Infideles transferre per hanc vocem, *Lignamina*. 298. 38

Sub hac voce, *Lignamina*, comprehenduntur naues ipsæ, galæ; triremes, antennæ, & similia. ibid. 39

### Litteræ Apostolica, vide, Falsare.

Comburens, aut dilacerans Litteras Apostolicas, incurrit etiam excommunicationem Bullæ. 288. 12

Hanc censuram incurreret, qui antequam has Litteras Apostolicas combureret, aut dilaceraret, eas, mutando sensum, corrigeret. ibid. 13

*R. P. Leand. de Censuris.*

Hanc excommunicationem incurrit, qui ex Litteris Apostolicis, volens eas falsificare, verbum aliquod abrasit, animo addendi aliud; etiam si pœnitentia ductus, non addidit, sed abrasum verbum, iterum apposuit. ibid. 14

Non ligantur huius Canonis Censura, qui retinent apud se Litteras ab aliis falsificatas. 290. 21

### Loqui.

Etiam est prohibitum, cum Excommunicato vitando, loqui, aut confabulari. 174. 7

Nec est licitum fidelibus, Loqui cum excommunicatis, per signa, aut nutus. ibid. 8

Nec est licitum, Loqui cum excommunicato, vitando, per scripturam, aut litteras, vel nuncium. ibid. 9

## M

### Magi.

**M**agi, qui aliàs non sunt Apostata, vel hæretici, non sunt excommunicati per hanc Bullam Cœnæ. 255. 11

### Magistratus.

Vt Magistratus sæcularis incurrat Censuram Cœnæ, auocando causas spirituales ab Auditoribus Sedis Apostolicæ, necesse est, vt hoc faciat auctoritate iudiciaria, & etiam prætextu priuilegiorum & gratiarum, quas præterdit à Sede Apostolica obtinuisse. 326. 4

An Magistratus, seu Consiliarij Regis Hispaniæ, atque Galliæ, siue aliorum Principum, incurrant excommunicationem huius Canonis, detinendo Bullas Apostolicas, aut cognoscendo causas Ecclesiasticas, aut euocando eas à Iudicibus Ecclesiasticis, si id faciant prætextu impediendæ violentiæ, & perturbationis in Republica vitandæ? Videbis varia placita. 328. 14

### Matrimonium.

Matrimonium inter excommunicatos, extra casum necessitatis contractum, est validum. 110. 6

Matrimonium contractum tempore Interdicti, aut in loco interdicto, est validum. 405. 33

Sed licitè nequit Matrimonium celebrari, tempore Interdicti, aut in loco interdicto. 405. 34

### Mensa.

Qui sit prohibitum fidei, confedere, coambulare, simul iter agere, collaborare, seu cooperari cum excommunicato vitando. 179. 25

Per particulam, *Mensa*, prohibetur, comedere & bibere in eadem mensa, cum excommunicato vitando. ibid. 26

Non est licitum, comedere cum excommunicato in vna, & eadem Mensa, etsi id fiat, animo non se communicandi. ibid. 28

Licet iter agenti, sedere in hospicio, in eadem, etiam paruula, Mensa, cum excommunicato vitando. 180. 19

Religiosus, qui scit in suo refectorio adesse aliquem excommunicatum vitandum, tenetur à Mensa surgere, & in alia parte comedere. 181. 31

### Metus.

Metus grauis, mortis, infamiæ, exilij, &c. purè, & simpliciter illatus, excusat à Censuris. 72. 25

Metus grauis excusat etiam à Censura, casu, quo hæc lata sit pro crimine, aliàs lege naturæ prohibito: veluti si lata esset, contra adulterium, Pp 2

*Index Reversum.*

- terium ; aut incestum cum consanguinea patran-  
tes. 74.26
- Metus grauis incussus in contemptum fidei, aut Reli-  
gionis, aut potestatis Ecclesie, non excusat à pecca-  
to, & à Censura. ibid. 27
- Metus leuis, seu non cadens in virum constantem, non  
excusat etiam à Censura. ibid. 27
- Qui per Metum grauem, seu vim, impetrat absolutio-  
nem à Censura, incurrit nouam excommunicationem.  
207.13
- Miles.*
- Milites possunt communicare in bello cum Duce ex-  
communicato vitando. 197.44
- Minister, Ministrare.*
- Ministri Ecclesie, mortaliter, ex vi Censuræ, pec-  
cant ministrando Sacramentum aliquod excom-  
municato euitando, seu non tolerato ab Ecclesia.  
100.14
- Minister peccat mortaliter, administrando aliquod  
Sacramentum excommunicato laboranti ignorantia  
inuincibili, seu obliuione, se esse excommunicatum.  
ibid. 15
- Quoties Excommunicato est licitum, recipere Sacra-  
mentum; licitum est quoque Ministro, illud ei con-  
ferre. ibid. 16
- Ministrans Sacramenta Excommunicato vitando, pec-  
cat mortaliter; & pœnam aliquam, aut censuram  
incurrit. 101.18
- Non peccant mortaliter, ex vi censuræ, Ministri Ec-  
clesie, ministrando Sacramenta excommunicatis  
occultis, seu toleratis ab Ecclesia. ibid. 19
- Non peccat Minister, contra ius naturale, & diui-  
num, conferendo Sacramenta Excommunicatis tol-  
eratis, quamuis non peccet contra prohibitionem  
Ecclesie. ibid. 20
- Non peccant Ministri Ecclesie conferentes Sacra-  
menta excommunicato occulto publicè illa peten-  
ti. 102.21
- Excommunicati non tolerati ( quales sunt, nomina-  
tim denunciati, aut publici Clericorum percussio-  
res ) peccant mortaliter, conficiendo, vel Mini-  
strando Sacramenta. ibid. 1
- Excommunicatus non toleratus, aut vitandus, potest  
Ministrare Sacramenta ob mortis periculum vitan-  
dum. 103.4
- Excommunicatus vitandus potest, vrgente extrema  
necessitate alterius, licitè Ministrare Sacramen-  
tum Baptismi. ibid. 6
- Excommunicatus vitandus, non solum potest, sed  
etiam tenetur sub mortali, Ministrare Baptismum  
paruulo, aut adulto non baptizato, animam agen-  
ti. ibid. 7
- In mortis articulo, licet excommunicato vitando,  
administrare Sacramentum pœnitentiæ, quando  
non est alius Minister præter ipsum. 104.18
- Sed non est licitum Excommunicato non tolerato, ad-  
ministrare infirmo constituto in mortis articulo,  
Sacramentum Extremæ-Vnctionis; casu, quo Sa-  
cramentum Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ recepe-  
rit. ibid. 14
- Licitum est alicui, petere etiam absque necessitate  
Sacramenta à Ministro excommunicato tolerato,  
parato sua sponte administrare. 113.17
- Licet petere Sacramenta à Ministro ( etiam non Pa-  
store ) excommunicato tolerato extra casum ne-  
cessitatis, aut maioris vtilitatis, si alias non sit ad  
administrandum paratus. ibid. 18
- Persona specialiter interdicta directè; vel virtute,  
quæ causam dedit Interdicto generali; nequit li-  
citè Ministrare, adhuc extra necessitatem, Sacra-  
mentum Baptismi. 400.4
- Tempore cuiuscunque Interdicti, potest Ministrari  
Sacramentum Confirmationis; etiam in Ecclesia  
specialiter interdicta. ibid. 5
- Persona interdicta potest Ministrare Sacramentum  
Confirmationis modo sit interdicta, &c. ibi-  
dem. 6
- Tempore Interdicti localis, siue generalis, siue spe-  
cialis, potest Ministrari Eucharistia existentibus  
in probabili periculo mortis. 402.19
- Tempore Interdicti, potest Ministrari Eucharistia  
damnatis ad mortem, præcipuè, si sani sint. ibi-  
dem. 20
- In loco interdicto nequit Ministrari Vnctio personis  
non interdictis. 406.40
- Missæ.*
- Licitè nequit Sacerdos dicere in alijs diebus in Missæ,  
Orationem illam pro Hæreticis & Schismaticis,  
quam pro solo die Veneris sancti, & officio, Ec-  
clesia instituit. 92.8
- Nec fructuosè, nec licitè, potest offerri sacrificium  
Missæ à Sacerdote, nomine Ecclesie, pro Excom-  
municato quolibet, iam contrito; ante obtentam ab-  
solationem ab excommunicatione. 94.14
- Nequit Sacerdos nomine, & persona Christi, appli-  
care fructuosè sacrificium Missæ cuiuscunque Ex-  
communicato, siue existat in peccato, siue per con-  
tritionem in gratia. ibid. 15
- Omni Excommunicato est prohibitum sub mortali,  
interesse Missæ; aut Sacerdoti illam dicenti infer-  
uire. 122.27
- Licitum est excommunicato occulto, seu tolerato,  
inferuire Sacerdoti non excommunicato volenti  
Missam ex necessitate celebrare, casu, quo non sit  
alius Minister, qui inferuiat. ibid. 28
- Non peccat mortaliter excommunicatus, qui non  
procurat absolutionem à Censura, vt Missam in  
festo audiat. 123.30
- Excommunicatus audiens Missam, nullam incurrit  
pœnam. ibid. 31
- Excommunicatus, qui non solum assistit Missæ, sed  
etiam auctor est, & causa, vt Missa coram ipso  
celebretur, incurrit irregularitatem. ibid. 32
- Licitum est Sacerdoti prosequi Missam, si illi adsit  
excommunicatus toleratus, seu non vitandus.  
124.35
- Tenetur Sacerdos relinquere Missam inceptam, ca-  
su, quo Canonem non inchoauerit, si aduertat  
ibi adesse excommunicatum vitandum, & non  
possit illum expellere de Ecclesia sine periculo.  
ibid. 37
- Probabilius est debere Sacerdotem relinquere Mis-  
sam inceptam, si excommunicatus vitandus intret  
in Ecclesiam postquam ipse Sacerdos inchoauit Ca-  
nonem, non tamen Consecrationem. ibid. 38
- Non licet simul cum excommunicato vitando, audire  
eandem Missam. 125.39
- Solum peccat venialiter qui audit simul cum excom-  
municato vitando, eandem Missam. 126.40
- Non excommunicatus non participat cum excommu-  
nicato vitando in diuinis, & consequenter nec  
peccat, nec incurrit excommunicationem mino-  
rem, etiam casu, quo hic in eadem Ecclesia au-  
diat aliam Missam, quam non excommunicatus  
audit. ibid. 41
- Non est licitum non excommunicato, sumere Eucha-  
ristiam in eadem Missa ab eodem Sacerdote, simul  
cum Excommunicato vitando. ibid. 42

## Index Rerum.

- Qui audit Missam Sacerdotis nominatim suspensi à diuinis, non peccat mortaliter. 362.42
- Celebrans Missam & in ea non communicans, manet ipso iure suspensus, per annum à communione. 370.20
- Non solum Sacerdotes loci generaliter interdicti, sed etiam extranei, possunt celebrare Missas in dicto loco, cum illis quatuor conditionibus *d. c.*
- Alma.* 390.10
- Tempore Interdicti, non solum est licitum, dicere Missam diei, sed aliam quamcunque. 392.19
- Persona, quæ priuilegium habet celebrandi, vel audiendi Missam, tempore Interdicti; potest secum in Ecclesiam suos familiares & domesticos adducere. *ibid.* 20
- Non est licitum tempore Interdicti, pulsare in Missa tintinnabulum in signum eleuationis Eucharistiæ. 393.25
- Tenentur audire Missam, diebus festis, tempore Interdicti, qui priuilegium audiendi Officia diuina, dicto tempore habent. 398.42
- Interdictus ab ingressu Ecclesiæ, potest in Cœmeterio Missam dicere, aut illam, & alia diuina, audire, si ibi dicantur. 410.6
- Monere, Monitio.*
- Necessarium est, ante omnem Censuræ sententiam, aliquam Monitionem præmittere. 36.1
- Duplex est monitio. *ibid.* 2
- Ad incurrendam Censuram latam, siue à iure, siue ab homine pro futuris culpis; necessum non est, vt præcedat Monitio Canonica. *ibid.* 3
- Ad incurrendam Censuram latam ab homine, pro culpis præteritis, vel præsentibus, requiritur Monitio Canonica. *ibid.* 4
- Varia causæ mouere Pontifices ad inducendum Monitionis, ante lationem Censurarum, præceptum. *ibidem.* 5
- Monitio debet fieri auctoritate Iudicis, à quo ferenda est Censura. 40.14
- Quando, qui Censura ligandus est, dolo latet, ne personaliter moneatur, aut vi, vel fraude id impedit, satis est, si Monitio fiat in domo suæ habitationis. *ibid.* 17
- Quando quis semel fuit Monitus, aut citatus personaliter, possunt reliquæ Monitiones in domo eius, aut alio in loco publico fieri. *ibid.* 18
- Monitio aliqua facta in domo, quando peruenit sufficienter ad notitiã ipsius Rei; tunc etiam reliquæ Monitiones possunt fieri in eius domo. 41.19
- Quando Censuræ feruntur contra reos incognitos, satis est, quod Monitiones fiant in Ecclesia, aut in alio loco publico coram populo. *ibid.* 21
- Monitio debet fieri Reo, præsentibus idoneis personis. *ibid.* 22
- Inter vnã, & alteram Monitionem debet aliquod tempus mediare. *ibid.* 23
- Pro singulis Monitionibus, siue separatim, siue simul fiant, sunt saltem duo dies constituendi. 42.24
- Quando possit prætermitti secunda & tertia Monitio, si ad primam delinquens incorrigibilis appareat; veluti, dicendo publicè *se non pariturum Monitionibus.* 43.28
- Qui semel censura aliqua à iure ipso facto est ligatus, verbi gratia excommunicatus ob percussionem clericum, nequit iterum à Iudicè alia censura ligari, v. c. excommunicari, propter idem delictum, sine noua Monitione. 44.31
- Quando Prælatus fert Censuram ad defensionem proprii iuris, verbi gratia in spoliatione Ecclesiæ; est etiam necessarium præmittere Monitionem Canonica. *ibid.* 32
- Prælati Regularium tenentur ex vi iuris præmittere canonicam trinam Monitionem in ferendis Censuris, non ex vi consuetudinis. *ibid.* 33
- Quomodo Summus Pontifex teneatur in censuris ferendis Monitionem canonicam præmittere. 45.34
- Nequit subditus cedere iuri Monitionis Canonice, itaut, illa non præuia, possit censuris ligari. *ibid.* 35
- In declaratione, aut denunciatione Censuræ incurse, quàm Iudex facit, non requiritur canonica Monitio. *ibid.* 36
- Moribundus.*
- Moribundus, qui Eucharistiæ, aut Pœnitentiæ Sacramentum non potest recipere, potest inungi Vnctionis Extremæ Sacramento, tempore Interdicti. 405.36
- Mortuus.*
- Mortui non possunt Censura aliqua ligari. 18.4
- Munus.*
- Non est licitum, munera excommunicato vitando, mittere. 175.11
- Nec Munera ab excommunicato vitando recipere. *ibid.* 12
- Munera, quæ quis illicitè ab excommunicato recipit, non tenetur ea excommunicato reddere, vel dare pauperibus. *ibid.* 13
- Non est licitum, ab vxore, filio, vel familia excommunicati, munera accipere. 176.14
- N
- Naufragans, Nauis.*
- N** Aui pereunte non ex tempestate, sed ex vetustate, vel ex imperitia naucleri, aut aliàs, bona Christianorum surripientes, excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrunt. 279.2
- Incurrunt eandem excommunicationem, qui bona Christianorum, ex Naui ab hostibus, bombardis fracta, aut igne cremata, surripiunt. 280.3
- Quid intelligitur in Bulla, nomine, *bonorum Naufragantium.* *ibid.* 4
- Non incurrunt hanc Bullæ Censuram, qui Iudæorum, Turcarum, & aliorum Infidelium, qui Naufragium subiere, bona surripiunt. *ibid.* 5
- Qui prædantur Nauim Naufragatam Infidelium, onustam tamen fidelium bonis, sint hac excommunicatione innodati? Duplex responsio. *ibid.* 6
- Non sunt hac Censura ligati, qui rapiunt bona hæreticorum Naufragantium. *ibid.* 7
- Non incurrunt hanc Bullæ Censuram, qui bona latronum maritimorum, & Pyratarum Naufragantium rapiunt. *ibid.* 8
- Rapientes bona proiecta è Nauibus ad eas alleuandas, sunt hac Censura comprehensi. 281.9
- Casu, quo bona eiecta ad alleuandas Naues, sunt statim peritura, vt sunt saccarum, farina, papyrus, &c. potest quis, absque incursione Censuræ, statim ea sibi samere. *ibid.* 10
- Qui bona Naufragantium, quæ diu in littore maris iacuerunt, rapiunt, hanc Bullæ Censuram non contrahunt. *ibid.* 11
- Qui ex Naui in mari, onusta mercibus, mersa, aliquid accipit, est excommunicatus. Limita, &c. *ibid.* 12
- Casu, quo in enidenti periculo Naufragij, Nauis deferatur ab omnibus, etiam à Domino, & solus Nauta remaneat, & industria conferuet illam, non potest, absque incursione peccati, & Censuræ, sibi Nauim acquirere. *ibid.* 13

## Index Rerum.

- Si quis bona Naufragantium, iam ex mari extracta, & in terra exposita, atque in domo alicuius conseruata, sibi surriperet, in excommunicationem huius Canonis non incideret. 281.14
- Qui huiusmodi Naufragantium bona accipit putans sibi licere, ab excommunicatione hac excusatur. 282.15
- Non verò excusatur ab hac excommunicatione, qui bona Naufragantium accipit, etiam vbi id permiffum est ex consuetudine introducta. ibid.16
- Excusatur ab excommunicatione, qui bona Naufragantium accipit, animo restituendi ea veris dominis. ibid.17
- Etiam excusaretur ob materiae leuitatem. ibid.18
- Item excusaretur ab hac excommunicatione qui bona Naufragantium in flumine, vel lacu, surriperet. ibid.19
- Qui iniuste hæc bona Naufragantium accipit, & etiam iniuste retinet, incurrit vnicam excommunicationem. ibid.21
- Bullæ excommunicatio extenditur ad eos, qui fauent, aut adiuuant Raptores bonorum Naufragantium. 283.22
- Notarius.*
- Excommunicatus, licet nequit officium Notarij, seu Tabellionis, exercere. 164.13
- Graviter peccat excommunicatus, munus Notarij, seu Tabellionis exercendo. ibid.14
- Si quis excommunicatus existens, creetur Notarius, seu Tabellio, valet hæc institutio; & acta ab ipso; post ablata Censuram, facta, valida sunt. 166.17
- O
- Oblivio.*
- Oblivio naturalis, inaduertantia, & inconsideratio, excusant à Censuris. 72.24
- Occultare.*
- Si quis hæreticum occultet, animo ne capiatur, vt sic possit suos errores disseminare; non incurrit hanc Bullæ excommunicationem, si re vera hæreticus captus est, & ideo non disseminarit. 257.21
- Officium Diuinum.*
- Non licet excommunicato, priuatè Officium B. Virginis, vel defunctorum, aut aliud Officium priuatum cum alio recitare. 117.7
- Non peccat mortalit. sed venialiter excommunicatus Officium diuinum, cum socio, vt priuata persona, recitando. ibid.8
- Excusatur à culpa veniali ille, qui antequam excommunicationem incurreret, ratione sui muneris solitus erat recitare Officium cum alio, verbi gratia Canonicus cum suo Capellano; vel famulo. ibid.9
- Non est licitum excommunicatis, quando recitant Officium diuinum, dicere *Dominus vobiscum*. 118.13
- Sacerdos, aut Diaconus excommunicatus, pronuncians in recitatione Officij, *Dominus vobiscum*, non peccat mortaliter, sed venialiter, & non incurrit irregularitatem. 119.14
- Non est licitum Sacerdoti, prosequi Officium diuinum, Benedictionem oliuarum, & similes sacras actiones, dum ibi adest excommunicatus vitandus, & non toleratus, & non vult de Ecclesia exire; nec ab illa sine periculo expelli potest. 124.36
- Peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem maiorem, Clericus, qui scienter, & spontè admittit ad Officia diuina excommunicatum nominatum à Papa. 184.10
- Tempore Interdicti localis generalis, est licitum celebrare quotidie Officia diuina, seruata moderatione cap. *Alma mater*, secretò, videlicet, &c. in Ecclesiis Hospitalium, & Mortalium. 390.6
- Etiam tempore Interdicti localis generalis, licet quotidie celebrare Missas, & alia diuina Officia, in priuatis Oratorijs, quæ solent esse in communibus domibus. ibid.7
- Persona interdicta, nequit celebrare Officia diuina, in Ecclesijs, aut Monasterijs, cum moderatione prædicti cap. *Alma*. ibid.8
- Excommunicati, & personaliter interdicti, excludi debent, Interdicti tempore, à celebratione Missæ, & aliorum diuinorum Officiorum. 392.17
- Tempore Interdicti, debent etiam excludi à celebratione diuinorum Officiorum, omnes laici, qui non sunt excommunicati, nec Interdicti. ibid.18
- Clerici, qui ex vi iuris communis, (scilicet, cap. *Alma*,) tempore Interdicti, diuinis Officijs assistere possunt; possunt consequenter secum ducere suos familiares, iuxta priuilegium concessum, in cap. *Licet*, cit. 393.21
- Licitum est Interdicti tempore, aliquo signo, quod non sit campanæ; conuocare Clerum ad Officia diuina celebranda. ibid.23
- Clerici coniugati possunt interesse diuinis Officijs, dicti Interdicti tempore; casu, &c. 398.41
- Omnes Clerici, saltem non coniugati, possunt interesse diuinis Officijs, tempore Interdicti localis generalis. ibid.40
- Quædam alia diuina Officia, præter Missam, sunt prohibita publicè fieri à Clericis, tempore Interdicti localis generalis. ibid.43
- Officia, quæ non prohibentur fieri, adhuc publicè, tempore Interdicti localis generalis, recensentur. 399.44
- Clerici violantes quodcunque Interdictum circa diuina Officia, peccant mortaliter. 412.1
- Celebrare in Ecclesia interdicta, prætermissa vna tantum circumstantia ex requisitis in cap. *Alma mater*, vt v. gr. celebrare diuina Officia, ianuis apertis, vel non voce submissa, est mort. peccatum. 413.5
- Laici mortaliter peccant, violando Interdictum personale, circa Officia diuina. ibid.6
- Onus, vide, Gabella, Tributum.*
- Onus hospitandi milites, aut Principes, &c. nequit personis Ecclesiasticis imponi. 344.6
- Prælati Ecclesiastici imponentes Onera Ecclesiasticis; Canonis Cœnæ Censuram incurrunt. 346.16
- Excommunicatio contra imponentes Onera Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis etiam extra hanc Bullam, alibi expressa reperitur. ibid.17
- Orare.*
- Orare, & sacrificia offerre pro Excommunicatis publicè toleratis, minimè licet. 93.12
- Non potest quis licetè, & cum fructu, Orare nomine Ecclesiæ, pro dictis Excommunicatis toleratis, si iam sint per contritionem iustificati, ante obtentam absolutionem. 94.13
- Qui liceat Sacerdoti in Memento Missæ Orare pro excommunicatis, etiam non toleratis. 95.16
- Orans publicè pro excommunicandis vitandis peccat mortaliter, & incurrit minorem excommunicationem. 96.18

## Index Rerum.

### Ordinare, Ordo.

- Suspensus ab Ordine Superiori, non censetur suspensus etiam ab Ordine inferiori. 356.14
- Suspensio facta determinatè ab Ordine inferiori, addita particula *solum*, seu *tantum*; non prohibet exercitium Ordinum Superiorum. *ibid.* 15
- Suspensus ab Ordine inferiori, sine vlla restrictione, censetur Suspensus ab Ordine superiori, etiam casu, quo hic non includat actum inferioris, seu usum, nisi aliàs. *ibid.* 16
- Suspensus à iurisdictione simpliciter, non manet suspensus ab Ordine. 358.24
- Suspensus ab Ordine, non est suspensus à iure eligendi. *ibid.* 25
- Qui ordinatur ab Episcopo hæretico, aut schismatico, aut excommunicato nominatim, aut Simoniacò declarato; suspensus ab Ordine suscepto manet. 362.1
- Manet suspensus ab Ordine suscepto, qui Ordinatur ab Episcopo, qui Episcopatu renunciauit. 363.2
- Qui ante legitimam ætatem, aut extra tempora, recipit Ordines sacros, manet ipso iure suspensus ab Ordinibus sic susceptis. *ibid.* 3.
- Qui ob receptionem Ordinis sacri ante ætatem, mala fide suscepti, suspensus manet; nequit, ætate completa, absque vlla Superioris dispensatione, celebrare. *ibid.* 3.
- Qui in Gallia Ordinem sacrum, ante legitimam ætatem; vel facultatem, vel extra tempus legitimum, recipiunt, ipso facto, ab Ordine sic suscepto, suspensi manent. *ibid.* 3.
- Qui ante ætatem, &c. Ordines etiam Minores, accipiunt, non sunt, eo ipso, à susceptis Ordinibus suspensi. *ibid.* 3.
- Si sic bona fide Ordinatus, adueniente mala fide, ante legitimam ætatem celebret, non incurrit irregularitatem, sed peccat mortaliter. *ibid.* 38.
- Non incurrit hanc suspensionem, qui bona fide, ante legitimam ætatem Ordinem sacrum suscipit. *ibid.* 3.
- Sacerdos, qui mala fide, ante legitimam ætatem sacerdotium accepit; solum manet suspensus, non autem fit irregularis, consecrando simul cum Episcopo ordinante. 364.3
- Qui mala fide Ordinem maiorem, v.g. sacerdotium ante legitimam ætatem recepit, solum manet suspensus ab exercitio sacerdotij; non vero ab exercitio aliorum Ordinum, nempe Diaconatus, & Subdiaconatus, &c. ante legitimè susceptorum. *ibid.* 3
- Ordinatus per saltum, recipiendo Ordinem Superiorem, inferiori prætermisso; manet ipso iure suspensus ab Ordine sic suscepto. 364.4
- Qui per saltum Ordinem suscipit, suspensus solum manet ab exercitio Ordinis suscepti; non vero ab exercitio aliorum, quos rite susceperat. *ibid.* 3
- Qui ordinatus est per saltum, nequit Ordinem prætermissum recipere, sine dispensatione. 365.4
- Suspenditur ipso facto, qui ordinatur per saltum in Ordinibus minoribus: aut, qui relictis Ordinibus minoribus; Ordinem Subdiaconatus recipit. *ibid.* 4
- Qui innodati Censura aliqua excommunicationis, maioris, suspensionis, vel interdicti, Ordinem maiorem, suscipiant, suspensi sunt ipso iure. 365.5
- Manet suspensus, qui aliqua Censura innodatus, recipit Ordines minores. *ibid.* 5
- Hanc suspensionem non incurrit excommunicatus, aut suspensus, &c. qui ex probabili ignorantia, vel inaduertentia suæ excommunicationis, aut suspensionis, &c. aliquem Ordinem recipit. 366.5
- Nec incurrit suspensionem hanc, qui existens excommunicatus, vi, & metu cadente in constantem virum, cogitur recipere Ordines. *ibid.* 5
- Qui ficto titulo; (nempe, ficto patrimonio, aut ficto beneficio, aut pensione) ordinatur, suspensionem incurrit. *ibid.* 6
- Suscipiens Ordines, non seruatis interstitiis, suspensionem non incurrit. *ibid.* 7
- Suscipiens duos Ordines factos in vna die, suspensionem ipso facto incurrit. *ibid.* 8
- Non incurrit suspensionem eandem, qui eodem die, minores Ordines cum Subdiaconatu suscipit. 367.9
- Ipsò facto manet suspensus, qui aliquem Ordinem per simoniam realem scienter recipit. *ibid.* 10
- Qui bona fide, & ignoranter, recipit Ordines simoniacè; non manet suspensus ab ordine sic suscepto. *ibid.* 10
- Qui per simoniam realem, scienter ordinatur; suspensionem omnium ordinum, quos habet, incurrit. *ibid.* 10
- Qui furtiuè, hoc est, nesciente Episcopo, nec approbante, nec examinante, Ordines suscipit; est ipso facto, & iure, à susceptis suspensus. *ibid.* 11
- Qui post matrimonium contractum, etiam non consummatum, sacros Ordines suscipit; manet ipso facto suspensus ab ordinibus sic susceptis. *ibid.* 12
- Non manet suspensus, qui ex ignorantia, putans bonâ fide vxorem esse mortuam, ordines sacros suscipit. *ibid.* 12
- Sic Ordinatus non manet suspensus ab ordinibus ante matrimonium susceptis. *ibid.* 12
- Qui ab Episcopo alieno, sine licentia proprii, scienter sacris Ordinibus initiatur, est ipso iure suspensus. 368.14
- Qui minores Ordines, aut etiam primam tonsuram ab alieno Episcopo, recipit, ipso facto suspensionem eorundem incurrit. *ibid.* 14
- Sed à prædicta suspensione excusat bona fides, seu ignorantia moraliter inculpabilis. *ibid.* 14
- Ordinati cum dimissoriis à Capitulo Sede vacante obtentis, infra annum vacationis incidunt in suspensionem, nisi casu, &c. 369.15
- Suspensionem incurrit, qui adhuc à proprio Episcopo ordinatur in aliena diocesi, sine licentia proprii. *ibid.* 16
- Clericus violans Interdictum per exercitium alicuius Ordinis Minoris, peccat mortaliter. 412.2
- Tempore generalis Interdicti, nequeunt Clerici initiati prima Tonsura, aut alio inferiori Ordine, ad Ordines superiores promoueri. 404.29
- Qui non sunt personaliter interdicti, possunt, in loco non interdicto, Ordines recipere. *ibid.* 30
- In loco interdicto, nequeunt ordinari personæ personaliter non interdictæ, ab ipso Episcopo, qui talem locum interdixit. *ibid.* 31
- Imminente necessitate ordinandi Ministros Ecclesiasticos, esset licitum conferre ordines in loco interdicto, si non esset alius locus non interdictus, in quo possent ordines conferri. *ibid.* 32
- Sacramentum Ordinis ministrari nequit tempore Interdicti personalis, aut localis. 404.27
- Tempore Interdicti, non licet ministrare hoc Ordinis Sacramentum, in illis quatuor festiuitatibus, in quibus ex indulto *cap. Alma*, permittitur celebratio solemnium diuinorum officiorum. *ibid.* 28

Ossa.

Ossa communicati vitandi, sunt è loco sacro proiicienda, casu, quo discerni possint ab ossibus aliorum fidelium. 130.6

P

Papa.

**P**apa potest dispensare cum aliquo in actibus ex censura veteris. 7.6  
 Solus Papa potest instituere Censuras. 8.7  
 Potestas ferendi Censuras Iure ordinario, conuenit Papæ, Concilio generali, & Cardinalibus. ibid. 10  
 Papa ligari nequit Censura ab homine, aut à iure latas. 21.17  
 Pontifex incidens in hæresim, posset Concilio compelli per Censuras ad comparendum. ibid. 18  
 Qui possit Papa, seu Episcopus, absque noua collatione, & expeditione literatum, dispensare, vt is, qui absolutus est ab excommunicatione, licitè retineat beneficium, quod ei, tempore excommunicationis, fuit collatum? 139.12  
 Papa in vniuersa Ecclesia, etiam contradicentibus Episcopis, potest absoluere quemcumque ab omni Censura. 203.1  
 Qui ratione articuli mortis, aut alterius impedimenti legitimi, est absolutus per Episcopum, ab excommunicatione Papæ reseruata, tenetur postea, cessante impedimento, se præsentare Pontifici. 22.2.63  
 Qui à sententia, seu mandato iniusto Papæ appellaret ad generale Concilium, in Bullæ Cænæ excommunicationem incidet. 276.2  
 Hac Censura feritur, qui à mandatis Papæ ad Concilium Prouinciale appellat. ibid. 3  
 Non feritur hac Censura, qui ad præsens Concilium generale, iam legitimè congregatum, à mandatis Papæ appellat. ibid. 4  
 Qui auxilium, vel fauorem præbet post appellationem interpositam à sententia Papæ, vt appellans possit tueri appellationem, non incurrit hanc excommunicationem. ibid. 5  
 An qui dat consilium ad appellandum à Papa ad Concilium, hanc Bullæ excommunicationem non incurrit. ibid. 6  
 Incurrunt Censuram Bullæ, qui interficiunt, vel mutilant, &c. eos, qui ad Summum Pontificem veniunt, non tanquam ad Papam, vt Papa est, sed tanquam ad Principem temporalem, vt v.g. ab illo officium temporale consequantur. &c. 310.2  
 Factio inuadens aliquam Ciuitatem Papæ; non intentione illam à potestate eius auferendi; sed animo opprimendi suos aduersarios ibi existentes, excommunicationem contrahit. 348.3  
 Onus se præsentandi Papæ, est imponendum sub iuramento omnibus excommunicatis prædictis. ibid. 64  
 Etiam à mulieribus est exigendum hoc, comparendi Pontifici, iuramentum. ibid. 65  
 Huiusmodi præsentatio, quæ Papæ est faciendâ non est ad obtinendam aliam absolutionem de nouo. ibid. 66  
 Qui tenetur se præsentare Papæ, sufficit id facere per Procuratorem. ibid. 67

Parochus.

Parochi non habent ordinariam iurisdictionem, ad ferendas Censuras. 10.17

Parochus excommunicatus vitandus, validè potest assistere Matrimonio eius, qui in mortis articulo ducit uxorem, quam vsque ad illum, in concubinam habuerat. 107.17

Parochus excommunicatus vitandus non peccat, assistens Matrimonij Sacramento, in casu assignato. ibid. 18

Parochus nominatim excommunicatus potest dare licentiam alicui Sacerdoti ad conferendum Sacramentum Extremæ Vnctionis. 158.7

Parochus excommunicatus vitandus, potest dare licentiam alicui Sacerdoti, vt assistat Matrimonio. ibid. 8

Parochus excommunicatus vitandus, potest validè assistere Matrimonio. ibid. 9

Parochus potest absoluere ab omni censura iuris non reseruata; sicuti alij Prælati, supra recensiti, possunt. 211.33

Parochus specialiter interdictus, nequit licitè ministrare viaticum infirmo; casu, quo extarent alij simplices Sacerdotes, qui ex Parochi commissione possent id efficere. 403.25

Parochus, seu alius Confessor Ordinarius, nequit absoluere, iure ordinario, ab Interdicto generali locali & personali. 419.13

Potest dictus Parochus, aut alius quilibet Confessor ordinarius, absoluere ab Interdicto personali speciali, seu particulari, lato sine reseruatione, & modò detur satisfactio, aut cautio satisfaciendi. ibid. 14.

*Participare, vide Communicare.*

Requiruntur quinque conditiones, vt quis, participans in crimine cum excommunicato, peccet mortaliter, & incurrat excommunicationem maiorem. 183.6

Huiusmodi excommunicatio lata in participantes in crimine criminoso, est iuris; non hominis. ibid. 7

Huiusmodi excommunicatio incurritur toties, quoties quis participat cum excommunicato in crimine criminoso, modò participationes sint moralitè diuersæ. ibid. 8

Etiam excusatur à mortali non veniali, qui participat cum vitando Excommunicato, in officiis diuinis, priuata communicatione. 185.13

*Patriarcha.*

Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi habent, iure Ordinario, ferendi Censuras potestatem. 8.11

Patriarchæ, seu Primates, Archiepiscopi & Episcopi, eorumque Vicarij generales, habentes subditos, possunt absoluere, etiam extra proprias Diceceses. 203.1

*Patrimonium.*

Fructibus patrimonij, in titulum alicui Clerico, assignati, priuatus excommunicatus non priuatur. 148.36

*Patronus.*

Patronus excommunicatus, licitè nequit ad Ecclesiasticum beneficium præsentare aliquem. 153.14

*Peccatum.*

Quodlibet peccatum mortale externum, puniri nequit iuste, ac dignè, Censura maiori. 62.11

Interdictum personale generale, imponi non potest, nisi ob peccatum mortale. 387.13

Ob peccatum suum veniale; non potest quis absolute Interdicto puniri. ibid. 14

*Pecunia.*

Pecunia ex auro, argento, aut ære confecta, prohibetur ad Saracenos deferri. 298.36

Censuram Bullæ Cænæ contraherent, qui inuaderent deferentem pecunias ad Romanam Curiam. 307.9

## Index Rerum.

*Pedagium, vide Gabella.*

*Pensio, vide Beneficium, Fructus.*

Collatio pensionis spiritualis, quæ fundatur in titulo spiritali, & dicitur præstimonium, facta excommunicato maiori, est inualida, ac nulla. 140.15

Collatio pensionis communiter dicta, quæ scilicet, vacat morte pensionarij, datur tamen Clericis, ob munus aliquod spirituale, ut ob dicendum officium B. Mariæ Virginis, facta Excommunicato maiori, nulla est & inualida. 141.16

Similiter & collatio pensionis temporalis, facta Excommunicato maiori. *ibid.* 17

### *Percutere.*

Percutiens Petrum Clericum, credens inuincibiliter illum non esse Petrum, sed Ioannem etiam Clericum, Censuram excommunicationis incurrit. 67.11

Non incideret in Censuram ille, qui proiciens lapidem, quo percuteret Petrum Clericum, fortè casu, & inculpabiliter percuteret alium Clericum, illac transeuntem. *ibid.* 12

Qui percussit lacicum, existimans eum esse Clericum, & quod tonsuram deferreret, non incidit in Censuram. *ibid.* 13

### *Peregrinus.*

Vexans peregrinos proficiscentes ad Sepulchrum Domini; vel ad S. Iacobum Compostellanum; vel ædem Lauretanam, excommunicationi Bullæ Cœnæ non subiacet. 315.7

Peregrinus, qui alium Peregrinum occidit, vel mutilat, &c. hac ligatur Censura. 318.17

### *Pœnitentia.*

Pœnitentiæ Sacramentum, bona fide, vel in necessitate, aut cum inuincibili ignorantia, ab Excommunicato susceptum, est ratum, ac validum. 98.9

Sacramentum Pœnitentiæ receptum ab Excommunicato non est validum, etiam quando hic ad illud accessit volens prius à peccatis quàm ab excommunicatione absolui. 99.10

Sacramentum Pœnitentiæ est inualidum, si suscipiatur ab excommunicato culpabiliter mortaliter ignorante se esse excommunicatum, vel quod est mortale sic accedere. *ibid.* 11

Sacramentum Pœnitentiæ collatum ab Excommunicato Parocho non tolerato, extra articulum necessitatis, & circa materiam necessariam, non est validum. 110.8

Sacramentum Pœnitentiæ collatum ab excommunicato tolerato extra articulum necessitatis, est validum, ac ratum. 112.13

Interdictum non priuat Sacramento Pœnitentiæ. 400.8

Excommunicati omnes, possunt, etiam extra articulum mortis, admitti ad Pœnitentiæ Sacramentum, tempore Interdicti, præter illos, &c. 401.9

Etiam in Ecclesia specialiter interdicta, potest Sacramentum Pœnitentiæ ministrari. *ibid.* 11

Tempore Interdicti localis generalis, potest Pœnitentiæ Sacramentum ministrari in loco Interdicto. *ibid.* 10

Confessor potest, tempore Interdicti localis, validè, ac licitè, Sacramentum Pœnitentiæ administrare. *ibid.* 12

Confessor personaliter interdictus, per Interdictum generale personale, potest etiam licitè Sacramentum Pœnitentiæ ministrare. *ibid.* 13

Si non licitè, validè tamen, ministrat hoc Sacramentum Pœnitentiæ Confessor specialiter, & culpabiliter interdictus. 402.15

Pœnitentiæ Sacramentum, collatum pœnitenti personaliter interdicto, per generale Interdictum, sine

propria culpa contracto, validum est, & licitum *ibid.* 16.

Validum est hoc Sacramentum, collatum pœnitenti interdicto, per Interdictum particulare, & speciale, sua culpa contracto, casu solùm, &c. *ibid.* 17

Qui ligatus Interdicto personali particulari, verè pœnitens moritur, ipso facto non liberatur Interdicto. 418.7

*Pontifex, vide, Papa.*

### *Populus.*

Interdicto Populo, aut Communitate; manent interdicti illi, qui de nouo, post tale Interdictum, fiunt partes illius populi, aut Communitatis. 381.24

Interdicto Populo; manent etiam interdictæ, personæ primariæ, & insignes ipsius populi; ut sunt Nobiles, Duces, Marchiones, & similes, quamuis non sint specialiter nominatæ. 382.30

Interdicto populo; non censetur interdictus Clerus; & è contra. 381.27

Interdicto Populo; sunt interdicti, qui habitant in suburbiis; & continentibus ædificiis. 382.31

### *Postulatio.*

Postulatio solemnis facta ab excommunicato vitando, est nulla & inualida. 156.27

Postulatio simplex facta ab Excommunicato vitando, est inualida; ac rata. 157.28

### *Prelatus.*

Prelati Religionum, ut Generales, Prouinciales, Abbates, Ministri, Priores, Guardiani, & alij, habent iurisdictionem ordinariam ferendi Censuras. 9.15

Prelatus publicè, & nominatim excommunicatus, aut notorius Clerici percussor, aut ab officio, seu iurisdictione suspensus, nequit validè Censuras ferre. 14.33

Prelatus vel iudex occultè excommunicatus, aut impeditus, potest validè, licèt non licitè, Censuras ferre. 15.37

Prelatus, seu Iudex, qui potestatem habet ferendi Censuras, non potest illas ferre contra eum qui antea legitime appellauerat; aut recusationem fecerat. *ibid.* 39

Prelatus nequit in se ipsùm Censuras ferre. *ibid.* 40

Potest Prelatus ferre Censuram in propriam defensionem, ad vitandam iniuriam & violentiam, quam subditus illi irrogare vult. 16.42

Potest item Prelatus ferre Censuram in causa propria, quando hæc est tam manifesta, & publica, ut negati nequeat. *ibid.* 43

Si Prelatus ferat legem, excommunicationem latæ sententiæ continentem, ut nemo de Collegio exeat, aut quidpiam aliud agat, incurrunt excommunicationem quicumque, etiam si omnes, illam legem violent. 23.28

Prelati Regulares tenentur ex vi iuris, censuras ferre in scriptis, in quo contineatur causa, &c. 48.15

Prelati Regulares possunt licitè saltim ex vi consuetudinis, ferre censuras solo verbo, sine scriptura, &c. *ibid.* 16

Quomodo ex vi priuilegij, possint Prelati Regulares absque pœna peccati, & suspensionis, ferre Censuras, verbo tenus, sine expressione causæ, &c. 49.17

Prelatus, qui in ferendis Censuris non seruat formam in d. cap. Cum medicinalis, præscriptam, manet



## Index Rerum.

Manet eo ipso prittatus per mensem ab ingressu Ecclesie, & diuinis Officiis in ea celebrandis. 51.23  
Prælatus, qui, ob non feruatam formam præscriptam in dicto textu, in suspensionem incidit, per mensem, transacto illo, absque alia relaxatione, tollitur suspensio. ibid.27  
Prælatus, si ob non feruatam dictam formam iuris, suspensus, durante mense, celebraret in Ecclesia, aut alia diuina officia exequeretur, eo ipso maneret irregularis. ibid.25  
Prælatus excommunicatus vitandus, potest extra necessitatis casum alteri suas vices ad absolendum committere. 111.9  
Qui communicatus est ad instantiam partis ab vno Prælato; nequit consentiente parte, absolui validè ab alio Prælato. 210.26  
Si prælatus negaret licentiam Religioso, subiiciendi se Episcopo; non posset tunc hic, eum à reseruatis absoluerè. Sed limita. 224.71  
Prælati Regulares possunt absoluerè suos subditos, ab omnibus casibus occultis, etiam Bullæ Cœnæ, Papæ reseruatis, vigore decreti Trident. *sess. 24. c. 6.* ibid.72  
Non solum vigore Tridentini decreti, sed etiam aliorum priuilegiarum, possunt Prælati Regulares absoluerè suos subditos à recensitis casibus occultis Pontifici reseruatis. 225.73  
Probabile est quod Prælati Regulares possint absoluerè suos subditos ab hæresi occulta, tam vigore concilij Tridentini, quàm priuilegij Pij V. 226.74.  
Etiam virtute aliorum priuilegiarum, possunt Prælati Regulares absoluerè ab hæresi occulta, non solum suos Religiosos subditos, verum etiam sæculares, ad eos, causa absolutionis, recurrentes: modè eorum priuilegia non sint reuocata. 227.75  
Præfata priuilegia Prælatorum à Tridentino, Pio V. & ab aliis Pontificibus, pro absolutione à peccatis, & Censuris Papæ reseruatis, Regularibus concessa; non sunt reuocata, pro promulgatione annua Bullæ Cœnæ. ibid.76  
Nec sunt iam reuocata per decretum Urb. VII. latum die 17. Nouembris anno 1628. 229.77  
Præfata Regularium Prælatorum priuilegia, sunt, saltem quoad absolutionem ab hæresi, reuocata, seu suspensa, per aliquod priuilegium sanctæ Inquisitionis Hispaniensis Tribunali concessum. ibid.79  
Sicuti Prælati Religionum, possunt potestate ordinaria, ferre Interdictum personale in sibi subditos: non vero possunt ferre Interdictum locale in suas Ecclesias, & loca. 385.3  
Prælati non possunt ponere Interdictum locale, extra suam Prouinciam, Diocesim, aut Territorium. ibid.4  
Possunt Prælati interdicerè suos subditos existentes in aliena Prouincia, Diocesi, aut Territorio. 386.5

### Præsentare, Præsentatio.

Præsentatio ad beneficium Ecclesie, à Patrono Clerico excommunicato vitando facta non est valida. 153.15  
Præsentatio ad Beneficium facta à Patrono laico excommunicato vitando, valida; ac rata. ibid.16  
Præsentatio huiusmodi à Patrono laico excommunicato vitando facta, non est ita valida, vt teneatur Episcopus eam admittere, si persona præsentata digna sit. 154.17  
Si patronus laicus excommunicatus vitandus, in mora sit præsentandi; potest Episcopus tunc, alteri, cui voluerit, collationem beneficij facere. ibid.18

Casu, quo Patronus laicus sit excommunicatus toleratus non potest obligare Episcopum, vt acceptet præsentationem ab eo factam. ibid.19  
Casu, quo Episcopus acceptet præsentationem factam à Clerico excommunicato vitando, valida est, ac rata collatio, & institutio beneficij. 155.20  
Quale censetur tempus commodum, intra quod reus absolutus se præsentare debeat, ne in Censuram reincidat? 223.68  
Hoc onus se præsentandi, non est iniungendum reo, quando absoluitur virtute Bullæ, aut Iubilæi, vel alterius priuilegij concedentis absolutionem à reseruatis. ibid.69.

### Princeps.

Princeps, seu Governator, qui, pœnis appositis, prohibet, ne quis extrahat à sua dirionetricum, vinum, & huiusmodi, ad porranda ea ad Rom. Curiam vt suæ Prouinciæ consulat, non incidit in Censuram Bullæ Cœnæ. 307.5  
Quando liceat Principi detinere victualia, quæ ex alieno territorio ad Rom. Curiam aduehuntur, si per suum territorium transeant; vt ea in suorum subditorum vsum impendat? ibid.6  
Peste grassante Romæ, vbi nunc est Curia, posset Princeps, aut Governator prohibere suis, ne tali tempore & occasione deferrent victualia ad Curiam. 309.17

### Procurator.

Excommunicatus vitandus nequit in Iudicio licitè officium Procuratoris gerere. 166.18  
In casu necessitatis, potest excommunicatus exercere officium Procuratoris pro reo. ibid.19  
Licitè nequit excommunicatus gerere officium Procuratoris pro socio, & litis consorte. ibid.20  
Peccat mortaliter Excommunicatus vitandus, munus Procuratoris exercendo. ibid.21  
Excommunicatus non vitandus; seu toleratus, peccat mortaliter, officium Procuratoris agendo. 167.22  
Acta à Procuratore excommunicato tam tolerato, quàm non tolerato, facta sunt valida, & rata. ibid.32  
Qui Excommunicatus est, licitè nequit in Procuratorem constitui. ibid.24  
Quamquam illicita constitutio Procuratoris excommunicati, est tamen inualida; itavt ex vi illius, talis persona, reuera accipiat potestatem, ac maneat Procurator constitutus. ibid.25

### Puer.

Pueri impuberes, ratione tamén vrentes, sunt capaces ligari censuris tam à iure, quàm ab homine latis. 20.11  
Non vult Ecclesia ligare pueros impuberes, Censuris à se latis. ibid.12

### Pupillus.

Pupillus potest communicare cum suo Tutore excommunicato vitando. 194.33

### Pyrata.

Quidnam per Pyratas, Curfarios, & latrones maritimos, intelligat Pontifex? 277.2  
Omnes, qui in mari prædantur, si non percurrant mare, intentione speciali furandi, sed ob alium finem licitum; hanc excommunicationem non contrahunt? ibid.3  
Qui animo deprædandi vnam tantum nationem, non omnes indifferenter, percurrunt mare, hanc

## Index Rerum.

hanc excommunicationem incurrunt. ibid. 4  
**Q**ui titulo belli spoliant in mari suos inimicos, non incurrunt hanc Censuram. ibid. 5  
**Q**ui in solis fluminibus, animo principali prædandi, rapinam exercent, non incidunt in hanc excommunicationem. ibid. 6  
**I**nciderent, qui in fluminibus propè mare discurrerent, animo deprædandi nauigantes in mari, & deinde regredendi ad flumina. 278.7  
**I**tem inciderent in eandem excommunicationem, qui discurrerent mare, in fluminibus deprædarentur. ibid. 8  
**P**yratæ nauigantes, si, descendentes in terram, prædentur homines in illa degentes, hanc excommunicationem non incurrunt. ibid. 9  
**P**yrata Christianus, qui alium Christianum Pyratam in mari spoliat, uterque hanc excommunicationem incurrit. ibid. 10  
**P**yratæ, qui non Christianos, sed solùm Turcas, Iudæos, vel alios Infideles in mari spoliant, hanc Censuram non incurrunt. ibid. 11  
**P**yratæ, in quouis mari, etiam extra loca ad dominium Papæ pertinentia, prædantes, hanc excommunicationem non incurrunt. Sed solum discurrerent mare, &c. ibid. 12  
**I**n hanc excommunicationem incidunt Pyratæ, statim ac Mare incipiunt discurrere animo prædandi, etiam si reipsa non sequatur prædatio. 279.13  
**N**autæ, vel Remiges Christiani, qui in Nauibus Infidelium Pyratarum versantur in mare, non sunt excommunicati per hanc clausulam Bullæ. ibid. 14

### R

#### Rapere.

**R**apientes è nauì pereunte non ex tempestate, sed ex verustate, vel ex imperitia naucleri aut aliàs, bona Christianorum, excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrunt. 279.2  
**I**ncurrunt eandem excommunicationem, qui bona Christianorum, ex nauì ab hostibus, bombardis contracta, aut igne cremata, rapiunt. 280.3  
**I**ncurrunt hanc Bullæ Censuram, qui Iudæorum, Turcarum, & aliorum Infidelium, qui naufragium subiere, bona rapiunt. ibid. 5  
**N**on sunt hac Censura ligati, qui rapiunt bona hæreticorum naufragantium. ibid. 7  
**N**on incurrunt hanc Bullæ Censuram, qui bona latronum maritimarum, & Pyratarum naufragantium rapiunt. ibid. 8  
**R**apientes bona proiecta è Nauibus ad eas alleuandas, sunt hac Censura comprehensi. 281.9  
**Q**ui bona naufragantium, quæ diù in littore maris iacuerunt, rapiunt, hanc Bullæ Censuram non contrahunt. ibid. 11  
**S**i quis bona naufragantium, iam ex mari extracta, & in terra exposita, atque in domo alicuius conseruata, sibi surriperet, in excommunicationem huius Canonis non incideret. ibid. 14  
**B**ullæ excommunicatio extenditur ad eos, qui fauent, aut adiuuant Raptores bonorum Naufragantium. 283.22

#### Recipere, Receptor.

**R**ecipiens necessitatis causa hæreticum; aut ignorans probabiliter eum esse talem, excommunicationem non incurrit? 256.15  
**Q**ui semel, aut bis, non sæpius, hæreticum recipit, in excommunicationem hanc incidit. ibid. 16  
**Q**uacunque ratione, quis hæreticum in suam domum recipiat, non est excommunicatione ligatus. ibidem. 17

**N**on est Receptor hæretici, ut hæretici, qui hæreticum amicum, vel consanguineum receptor, ne in Inquisitoris manus deueniat; non quia hæreticus est, aut ratione hæresis, sed quia est amicus, aut consanguineus. ibid. 18

**Q**ui Patrem, Matrem, uxorem, filium, aut fratrem, hæreticum Recipit, aut defendit, ne in manus Inquisitorum deueniat, incidit in hanc excommunicationis pœnam. 257.19

**Q**ui hæreticum Recipit, aut fauet, metu mortis, excommunicationem, & pœnas iuris non incurrit. ibid. 20

**U**t hæc excommunicatio à Receptatore incurratur, non est necesse, ut hæreticus ab illo receptor, sit denunciatus de excommunicatione, ob hæresim incurta. 258.22

#### Recitare.

**N**on licet excommunicato, priuatè Officium B. Virginis, vel defunctorum, aut aliud officium priuatum cum alio recitare. 117.7

**N**on peccat mortaliter, sed venialiter excommunicatus Officium diuinum, cum socio, ut priuata persona, recitando. ibid. 8

**E**xcusatur à culpa veniali, ille, qui antequam excommunicationem incurreret, ratione sui muneris solitus erat recitare Officium cum alio, verbi gratia Canonicus cum suo Capellano; vel famulo. ibidem. 9

**N**on est licitum excommunicatis, quando recitant Officium diuinum, dicere *Dominus vobiscum*. 118.13

**S**acerdos, aut Diaconus excommunicatus, pronuncians in recitatione Officij, *Dominus vobiscum*, non peccat mortaliter, sed venialiter, & non incurrit irregularitatem. 119.14

#### Redimere.

**N**on incurrunt censuram, qui pro Redimendis Captiuis, deferunt Saracenis arma, equos, ferrum, & alia prohibita; eo quod redimentes, nequeant commodè aliis rebus non prohibitis captiuos Redimere; præsertim si tempore pacis. 294.18

#### Regularis, vide Religiosus.

**R**egulares possunt nunc absoluere sæculares, à casibus Episcopo reseruatis. 232.79

**N**equit Episcopus interdicare Ecclesias Regularium, Interdicto speciali locali, sicut potest Interdicto generali. 378.11

#### Religiosus.

**R**eligiosus, qui non est Clericus, non est capax iure ordinario ferendi Censuras. 11.21

**R**eligiosi possunt communicare cum suis Prælati excommunicatis vitandis. 196.43

**S**i quis excommunicatus per sententiam generalem ab aliquo Iudice, ingrediatur Religionem; potest absolui à Prælato Religionis, ex vi iuris communis, seclusoque omni priuilegio Religionis. 210.28

**E**xcommunicatus, per sententiam particularem à suo Iudice, ingrediens Religionem nequit absolui à Superiori dictæ Religionis, secluso priuilegio; sed à dicto Iudice. ibid. 29

**E**x vi priuilegij specialis Religionis, possunt Prælati illius absoluere excommunicatum, ab excommunicatione ab homine per sententiam particularem lata, & contracta ante ingressum Religionis; dummodo satisfacta sit pars. 211.30

**E**piscopus potest absoluere Religiosos, (vel Religiosas) exemptos, ab omnibus casibus reseruatis, qui conceduntur in Trident. *sess. 24. cap. 6.* Episcopis, erga subditos suos: modò Religiosi se subiiciant de licentia prælatorum suorum. 223.70

Offendens

## Index Rerum.

- Offendens Clericum, vel Religiosum, Romam, deuotionis causa euntem, sine licentia tamen sui Superioris; excommunicationem huius Canonis incurrit? 316.10
- Interdicta ciuitate, per Interdictum locale generale; intelliguntur etiam interdicta Religiosorum exemptorum Ecclesiarum. 378.10
- Interdicto Clero; non censentur absolute interdicti Religiosi, ac Religiosæ. 381.25
- Si Censura Interdicti feratur sub nomine Personarum Ecclesiasticarum; comprehenduntur Religiosi. ibid.26
- Nec Clericis, nec Religiosis potest dari Extrema Vnctio, tempore Interdicti. 405.37
- Religiosi, & Moniales non seruantes Interdictum, scientes illud seruari à Matrice Ecclesia, aut à Parochia loci, vbi degunt; excommunicationem, ipso facto incurrunt. 416.20
- Religiosi non incurrunt hanc Censuram, si non seruent Interdictum, quod non omnes Parochiales Ecclesiarum, sed aliquæ solum seruant. ibid.21
- Resalutare.*
- Non est licitum fidelibus, resalutare excommunicatum vitandum, absque verbis, v.g. aperiendo caput; ei assurgendo; dando ei locum in sedili; vel similia signa præbendo in signum vrbauitatis. 177.17
- Non est licitum, resalutare excommunicatum, saluantem prius, verbis etiam honorificis. ibid.18
- Nec est licitum, caput excommunicatis detegere, eis assurgere, &c. si hæc signa non fiant, animo eis honorem præstandi, sed solum ad euirandum scandalum, vel, ob vrbauitatis indicia. ibid.19
- Non ex vi iuris, sed consuetudinis licitum est aperire caput, Prætori, Iudici, aut Magnati, excommunicato vitando. ibid.20
- Rescribere.*
- Non est licitum rescribere excommunicato vitando. 175.10
- Rescriptum.*
- Rescripta quæcunque, à Pontifice, per Excommunicatum maiorem, impetrata; sunt inualida, & nihil ei profunt. 201.1
- Rescripta Episcoporum, & aliorum Prælatorum Papa inferiorum, obtenta per excommunicatum, non sunt inualida. ibid.2
- Sunt valida Rescripta, priuilegia, seu gratiæ, impetrata à supremo Principe sæculari per Excommunicatum. 202.3
- Si excommunicatus est omnino occultus, rescriptum, per eum impetratum à Papa, est nullum. ibid.4
- Clausula absolutionis, quæ in Rescriptis Apostolicis præmittitur ad valorem eorum, est adeo vniuersalis, vt per illam impetrantes ab omnibus Censuris, etiam reseruatis absoluantur. ibid.5
- Rescriptum Pontificis impetratum ab Excommunicato in fauorem tertiæ personæ est etiam nullum. ibid.6
- Reseruata.*
- Episcopus potest absoluere eum, qui in vno loco commisit delictum publicum, & notorium, Papæ reseruatum; sed postea se transtulit ad alium locum, vbi est occultum, & ibi absolutionem à tali delicto petit. 220.57
- Episcopus potest iure ordinatio, absoluere ab excommunicatione publica, etiam reseruata Papæ, quando excommunicatus est impeditus recurrere ad Papam. ibid.58
- Plurima sunt impedimenta legitima, propter quæ nequit quis Papam adire; & consequenter, potest Episcopus, illis interuenientibus, absoluere à censura publica Papæ reseruata. ibid.59
- Virtute Bullæ Cruciatæ, potest quis absolui ab omnibus casibus, & excommunicationibus Episcopis reseruatis; totiesque, & quoties indiguerit. 233.80
- Virtute Bullæ Cruciatæ, potest quis absolui bis, nempe semel in vita, & iterum in articulo mortis, ab excommunicatione reseruata Papæ, etiam in Bulla Cœnæ. ibid.81
- Vigore Bullæ, potest pœnitens absolui ab vnoquoque casu, Pontifici reseruato, quousque absoluitur ab omnibus, ab vnoquoque tamen semel, intra publicationis annum. 234.82
- Virtute Bullarum præteritarum, nequit etiam quis absolui semel, à casibus Papalibus; si Bullis illis, in ordine ad hunc effectum, non sit vsus; quamquam oppositum sit probabile. 235.83
- Confessarius potest absoluere pœnitentem habentem Bullam Cruciatam, à casibus Pontifici reseruatis, non solum semel, sed toties, quoties, dummodo sint occulti. ibid.84
- Resignatio, vide Beneficium.*
- Resignatio beneficij simpliciter facta ab excommunicato quolibet, in manibus Prælati, à quo conferatur beneficium, est valida. 156.23
- Resignatio beneficij ab excommunicato vitando facta, in fauorem tertiæ personæ, hoc est, sub conditione, vt conferatur personæ à se assignatæ non est valida. ibid.24
- Non est inualida beneficij resignatio in fauorem tertiæ personæ, si fiat ab excommunicato occulto, & non vitando. ibid.25
- Respublica Christiana.*
- Qui certiores facit Infideles & Hæreticos de statu Reipublicæ Christianæ in Christianorum perniciem, hanc Bullæ Censuram contrahunt. 299.44
- Qui vi tormentorum reuelat infidelibus res ad statum Reipublicæ concernentes, non incidit in hanc censuram. 301.51
- Restituere.*
- Excommunicatus, ignorans inuincibiliter suam excommunicationem, si fructus percipiat, tenetur postea certior suæ excommunicationis factus, fructus perceptos restituere. 147.34
- Excusatur ab excommunicatione, qui bona Naufragantium accipit, animo restituendi ea veris dominis. 282.17
- Retinere.*
- Qui iniuste bona Naufragantium accipit, & etiam iniuste retinet, incurrit vnicam excommunicationem. 282.21
- Reus.*
- Monitio aliqua facta in domo quando, peruenit sufficienter ad notitiam ipsius Rei; tunc etiam reliquæ monitiones possunt fieri in eius domo. 41.19
- Quando Censuræ feruntur contra reos incognitos, satis est, quod monitiones fiant in Ecclesia, aut in alio loco publico coram populo. ibid.21
- Exemplum scripturæ censuræ, quod reo tradendum est, debet esse integrum. 47.11
- Reus statim ac Censuram latam incurrit, spiritualium rerum vsu priuatur, ante Iudicis sententiam. 75.2
- Reus censura, non publica, sed occulta, innodatus, etiam manet priuatus vsu spiritualium rerum. 76.4

## Index Rerum.

- Reus Censura Constrictus, vbique manet priuatus vsu spiritualium rerum. ibid. 5
- Reus absolutus ab inferiori, (ob aliquod impedimentum) à Censura reseruata Papæ, ad reincidentiam; si ante terminum reincidentiæ satisfaciatur parti, non tenetur adhuc se præsentare Papæ. 81. 20
- Reus excommunicatus non potest esse Reactor, aut Reconuentor sui Auctoris, in iudicio. 162. 4
- Reus excommunicatus vitandus potest ad Iudicium cogi, & vocari. 163. 8
- Reus excommunicatus vitandus, in ius vocatus, potest validè, non per seipsum, sed per Procuratorem à se constitutum, respondere. ibid. 9
- Huiusmodi reus excommunicatus, non solum potest, verum etiam tenetur, respondere in iudicio per suum Procuratorem; itaut, nequeat per seipsum respondere, etiam casu quo inueniat idoneum Procuratorem. ibid. 10
- Reus excommunicatus potest in Iudicio ad suam defensionem, ante absolutionem admitti; casu, quo, si velit, potest illam obtinere. 164. 11
- Reus excommunicatus, si voluntarius sit, non debet audiri in Iudicio. ibid. 12
- Si Reus, ita impeditus, non possit adire Pontificem, possit tamen adire legatum, aut ad alium habentem priuilegium ad absoluendum à censura reseruata; tunc nequit absolui ab Episcopo. 221. 61
- Si Reus, non possit recurrere ad legatum, nec ad Episcopum, nequit tunc absolui à Parocho, aut ab alio legitimo Confessore, à præfatis casibus publicis Papæ reseruatis. ibid. 62
- Rex.*
- Reges possunt à Summis Pontificibus Censuris ligari, ac puniri. 21. 19
- Stando in iure diuino, & etiam in iure communi antiquo, possunt Imperatores, & Reges ligari Censuris, latis non solum à Papa, sed etiam ab Episcopis. ibid. 20
- Etiam stando in iure nouo, aut minus antiquo possunt Imperatores, & Reges à suis Episcopis puniri Censuris. ibid. 21
- Ex priuilegio particulari, sunt Reges & Imperatores exempti à iurisdictione Episcoporum; ita vt non possint Episcopi eos, auctoritate propria, Censuris obstringere. 22. 22
- Augustissimus noster Hispaniarum Rex, & eius Magistatus, ac Consiliarij, gaudent præfato priuilegio, Pontificis in causis prohibendæ violentiæ, iniuriæ, seu damni; itaut virtute illius, licitè auocent causas à Iudicijs Ecclesiasticis 328. 13
- Reges, seu Principes, non contrahunt Censuram Canonis Cœnæ, processando, aut faciendo aliam actionem in eo expressam, contra Ecclesiasticos. 347. 2
- Censuræ Bullæ Cœnæ non subiacet Rex Hispaniarum, exercens supremam iurisdictionem in Sicilia & Sardinia. 349. 8
- Roma, vide Romipeta, Sedes Apostolica, Vistualia.*
- Qui propter aliquod ex ibi prærecensitis impedimentis, non potest Romam adire, non tenetur mittere Procuratorem, aut Epistolam, pro absolutione à casibus publicis Papæ reseruatis. 221. 60
- Incurrunt hanc pœnam, qui mutilant, aut spoliunt, &c. venientes Romam, deuotionis, aut stationis, & Indulgentiarum causa. 310. 3
- Qui interfecit, vel mutilat, &c. quemcumque Romam venientem, Censura decimi Canonis non feritur. 314. 2
- Incurrit Censuram huius Canonis, qui, aliqua ex prohibitis actionibus, vexaret illum, qui Romam venit, principaliter, causa deuotionis, & minus principaliter, ad emendum aliquid, vel quid simile peragendum. 315. 3
- Romipeta*
- Offendens Romipetam volentem solum visitare Ecclesias, extra mœnia Urbis existentes; vt S. Laurentij extra muros, S. Sebastiani, S. Pauli, &c. vinculo huius excommunicationis ligatur. 316. 8
- Occidens, aut mutilans, aut aliis actionibus prohibitis vexans Romipetas, seu Peregrinos, dum in Vrbe versantur deuotè visitando Ecclesias, venerando Reliquias, &c. hanc excommunicationem incurrit; 317. 12
- Per hunc Canonem non est excommunicatus ille qui Romipetas, etiam iniuste, verberat, aut percutit sine vulnere. ibid. 15
- Si quis Romipetam occideret, vel mutilaret, aut vulneraret, &c. non ex proposito, sed ex subito iræ motu, aut alia passione insurgente, incidit in hanc Censuram 318. 16
- S**
- Sacerdos.*
- S**acerdos excommunicatus vitandus, potest casu, quo sit morti vicinus, & non habeat alium, cui possit confiteri, licitè ministrare sibi Eucharistiam, siue celebrando Missam, siue sumendo formam ex præconsecratis. 103. 5
- Si quis Sacerdos sit excommunicatus propter heresim potest licitè administrare pœnitentiam existenti in articulo mortis. 105. 11
- Præsente Sacerdote simplici non excommunicato, possit licitè Sacerdos excommunicatus vitandus, absoluere pœnitentem in articulo mortis. ibid. 12
- Sacerdos excommunicatus, faciens coram se celebrare, incurrit irregularitatem. 123. 33
- Sacerdos non excommunicatus celebrans scienter coram excommunicato vitando, solum peccat mortaliter, & incurrit minorem excommunicationem, non verò irregularitatem. 127. 45
- Non solum Parochi, sed etiam omnes alij Sacerdotes, habentes quocumque modo, facultatem absoluendi à peccatis mortalibus; possunt etiam absoluere ab omni excommunicatione, & alia quauis Censura iuris, non reseruata. 212. 34

- Manet suspensus Sacerdos, qui, etiam intuitu cuiusvis privilegij, aut consuetudinis, sponis benedicit, aut matrimonio coniungit sine proprij illorum Parochi licentia. 370.19
- Sacerdos matrimonio assistens, manet suspensus ab officio sacerdotali, & à beneficio. ibid. 19
- Sacerdos, qui sine graui causa, Missam incompletam omitteret; ipso iure, & facto, suspenditur à corpore, & sanguine Christi. ibid. 21
- Sacerdotes non celebrantes, & alij Clerici, qui tempore Interdicti, Missæ, & aliis officiis diuinis assistere possunt, possunt Eucharistiam sumere, more laïcorum communicando. 396.36
- Omni Sacerdoti non interdicto est licitum, ministrare Eucharistiam, vt viaticum, constitutis in articulo, seu periculo mortis. 403.23
- Sacerdoti personaliter, & specialiter interdicto, directè, vel indirectè, non est licita administratio Eucharistiæ existentibus in articulo mortis. ibidem. 24
- Sacerdote celebrante intra Ecclesiam nequit Subdiaconus, aut Diaconus interdictus ab ingressu Ecclesiæ, existens extra Ecclesiam, canere Epistolam, vel Euangelium. 409.3
- Neque è contra, Sacerdote extra Ecclesiam celebrante, potest Subdiaconus, vel Diaconus interdictus ab ingressu Ecclesiæ, canere Epistolam, aut Euangelium intra Ecclesiam, absque violatione interdicti, & incursione irregularitatis. ibid. 4
- Peccaret mortal. Sacerdos, qui tempore Interdicti, publicè caneret in Officio Orationem, præmissò, *Dominus vobiscum.* 413.4
- Sacramenta.*
- Sacramenta Confirmationis, Eucharistiæ, Ordinis, Matrimonij, & Vnctionis Extremæ, recepta ab Excommunicato, sunt valida. 97.6
- Casu, quo moribundus non possit Sacramentum Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ recipere; potest tunc pastor excommunicatus vitandus, Sacramentum Extremæ Vnctionis, licitè dicto moribundo tribuere. 170.15
- Sacramentum Confirmationis collatum ab Episcopo excommunicato vitando, extra casum necessitatis, est validum, 109.3
- Sacramentum Eucharistiæ est ratum si extra casum necessitatis, conficiatur ab excommunicato vitando. ibid. 4
- Sacramentum Ordinis est validum, si conferatur ab Episcopo excommunicato, hæretico, aut alio quocumque modo, præciso ab Ecclesia, extra casum necessitatis. ibid. 5
- Sacramenta Confirmationis, Ordinis, Eucharistiæ, Matrimonij, & Vnctionis-extremæ, collata ab excommunicato tolerato, (hoc est, non nominatim denunciatio, nec publico percussore Clerici) etiam extra casum necessitatis, sunt valida, ac rata. 112.12
- Non est licitum, Sacramenta ab excommunicato tolerato petere, casu quo sit alius Minister non excommunicatus à quo, æquè vtiliter recipi possint. 114.19
- Nec licitum est, aliquando petere Sacramenta ab excommunicato non tolerato, seu vitando. ibid. 20
- Qui Sacramenta excommunicatis non toleratis largiuntur, incurrunt interdictum ab Ecclesiæ ingressu. 115.23
- Sacramenta collata ab Excommunicato vitando, seu non tolerato ab Ecclesia, sunt valida. 108.1
- Violare Interdictum quodcumque, tam personale, quàm locale, in materia Sacramentorum, est culpa mortalis. 414.10
- Interdictus ab Ecclesia, nequit intra illam Sacramen-
- ta recipere.
- Salutare.*
- Per verbum *Vale*, prohibitum est fidelibus, salutare excommunicatum, verbis honorificis, Hispanè, *Tenga vm buenos dias: Veso a vm su mano*, &c. 176.15
- Licitum est salutare Excommunicatum, verbis deprecatoriis, veluti dicendo: *Deus te illuminet, vel, Deus te conuertat.* ibid. 16
- Si quis admoneat excommunicationem per epistolam, potest in principio eius, ponere solitam salutationem. 182.6
- Vide verb. *resalutare.* 25
- Saracenus, vide, Infidelis, Turca.*
- In hanc excommunicationem non incidunt, qui in terras Saracenorum euntes, deferunt arma ad suituionem. 291.5
- Incideret in hanc excommunicationem, qui permutaret arma cum Saracenis; vel recipiendo ab ipsis arma alterius generis, vt gladium pro arcu; vel eiusdem generis, vt equum pro equo, &c. 292.7
- Incidunt, qui euntes ad terras Saracenorum, extulerunt arma sibi necessaria, sed postea existentes inter illos, ea vendiderunt, lucrandi gratiâ, aut donarunt. 292.6
- Qui opem ferunt Saracenis, pugnando cum illis contra alios Christianos, sunt hac excommunicatione obstricti. 302.56
- Qui pecunias, & alias merces interdictas deferunt ad Saracenos, pro redimendis Captiuis, non incurrunt hanc excommunicationem. 294.17
- Non incurrunt, qui pro redimendis Captiuis, deferunt Saracenis arma, equos, ferrum, & alia prohibita; eo quod redimentes, nequeant commodè aliis rebus non prohibitis captiuos redimere; præsertim si tempore pacis. 294.18
- Incideret in hanc Censuram, qui magnam horum paruorum gladiatorum vim ad Saracenos deferret. 296.22
- Contraheret hanc Censuram, qui secures, falces, rastra, perticas, & alia instrumenta necessaria ad colendos agros, & vineas, ad Saracenos, vel alios Infideles, deferret. 296.23
- Schismaticus.*
- Schismatici in prima clausula Bullæ excommunicantur. 274.98
- Schismaticus, qui in hac Bulla Cœnæ excommunicatur, est ille, qui spontaneè, ab Ecclesiæ vniuersalis vnitatem, eiusque capite Romano Pontifice, se separatur. ibid. 99
- Non est Schismaticus, & excommunicatus per Bullam, qui se ab Episcopo separat, reuens subesse auctoritati Episcopali. ibid. 100
- Vt quis sit Schismaticus, & excommunicatus, non sat est, nolle se subiicere Papæ, vt Domino temporali, sed, &c. ibid. 101
- Hanc Bullæ excommunicationem non incurrunt, qui ab obedientia Papæ recedunt, non tamen sunt verè Schismatici. ibid. 102
- Qui sola mente est Schismaticus, absque aliquo actu externo, hanc Censuram non incurrunt. 275.103
- Incurrunt, qui solo actu externo, non interno, est Schismaticus. ibid. 104
- Schismaticus non hæreticus, absolui potest virtute Bullæ Cruciatæ. ibid. 106
- Sedes Apostolica.*
- Qui deferentem victualia ad Curiam Romanam ob debitum, aut ob patratum crimen in carcerem tradit, in hanc Censuram non incidit. 308.14
- Non incurrunt excommunicationem ille, qui interficit, aut spoliatur, &c. aliquem proficiscentem Romanam, ad Sedem Apostolicam, putantem ibi esse, cum tamen alibi

- alibi sit. 310.14  
 Cum Papa in hoc Canone dicit, *venientes, & recedentes*, intelligit de eisdem, qui ad Sedem Apostolicam venerunt, deinde, expeditis negotiis, reuertuntur ad suos; ita ut velit excommunicare omnes, qui offendunt eos, siue accedendo, siue recedendo 311.5  
 Non incurrit eandem Censuram, qui occidit, & spoliat aliquem discedentem à Sede Apostolica ad quam non venerat in negotia tractanda, sed in Curia morabatur. ibid.6  
 Qui mutilat, aut spoliat, &c. illum, qui venit ad Sedem Apostolicam, eo tempore, quo apud illam commoratur, hac excommunicatione modo obstringitur. ibid.7  
 Qui vnum tantum hominem, accedentem ad Sedem Apostolicam, interficit, aut spoliat, &c. ligatur Censura in hoc Canone expressa. ibid.8  
 Non ligatur dicta Censura, qui debilitat membrum illius, qui ad Sedem Apostolicam accedit, ita ut suum officium exercere nequeat. ibid.9  
 Non incurrit Censuram huius Canonis, qui digitum vel auriculam, vel mamillam, vel dentem, aut similem partem corporis ad Sedem Apostolicam venientis, aut ab illa recedentis, amputauit, aut abscidit. 312.10  
 Clam furripens pecuniam ab accedentibus ad Sedem Apostolicam non afficitur hac excommunicatione, lata contra spoliantes præfatos accedentes. ibid.11  
 Incidunt in hanc Censuram illi, qui accedentes, seu recedentes à Sede Apostolica, spoliant non rebus ipsorum propriis, sed aliorum, ipsis accommodatis, aut in custodiam traditis, &c. ibid.12  
 Rapiens uxorem, filios, aut famulos, quos Accedens, aut Recedens à Sede Apostolica, secum ducebat, excommunicatione huius Canonis ligatur. ibid.13  
 Occidens, spolians, aut mutilans infideles ad Sedem Apostolicam venientes, in hanc incidunt Censuram. ibid.14  
 Qui capiunt, detinent; aut manibus comprehendunt accedentes ad Sedem Apostolicam, aut ab illa recedentes, Censura huius Canonis astringuntur. 313.15  
 Astringeretur hac Censura, qui aliquem venientem ad Sedem Apost. iniuste caperet, etsi paulò post illum liberè dimitteret. ibid.16  
 Non ligatur hac Censura, qui accedentem ad Sedem Apostol. capit, & punit, ob delictum in sua diocesi patratum. ibid.17  
 Capiens aliquem venientem ad Sedem Apostolicam, & in domo includens, ne ab hostibus offendatur, huic excommunicationi non subiicitur. ibid.18  
 Qui sine vlla captura, sed fraude, & dolo detinet proficiscentem ad Sedem Apostol. hac Censura feritur. ibid.19  
 Qui non violenta actione, sed tantum præcepto, aut verbis minatoriis, detinet venientem, ne ad Sedem Apostolicam accedat, incidit in hanc excommunicationem. ibid.20  
 Qui priuata auctoritate, morantes in Curia occideret, mutilaret, aut spoliaret, &c. non incideret in hanc Censuram. 314.22  
 Episcopus, vel alius Prælati, qui præfatas prohibitas actiones præstat, contra sibi subditum in Curia commorantem; contrahit hanc excommunicationem. ibid.23  
 Vt hæc Censura incuratur, necessum non est quod morans in Curia, contra quem aliqua ex relatis actionibus exercetur, sit vnus ex Curialibus, qui Romæ versantur. ibid.24  
 Non incurunt excommunicationem Canonis Cœnæ illi, qui occidunt, seu percutiunt, spoliante recur-  
 rentes ad Curiam super eorum causis; casu, quo, ex aliis motiuis, & occasionibus, eos occidunt, percutiuntve, &c. quamuis non euitent censuram canonis noni. 323.3  
 Recurrens ad Curiam pro suis negotiis, non gaudet priuilegio huius Canonis, casu quo ipsis iam absolutis, & finitis, in suam domum sit reuersus. ibidem 4  
 Gaudet priuilegio huius Canonis recurrens ad Curiam, dum ad suam domum reuertitur. ibid.5  
 Ad incurrendam excommunicationem huius Canonis, non opus est, vt prædictæ actiones, fiant auctoritate iudiciali laica. ibid.6  
 Qui iniuste occidit, seu percutit, aut spoliat illum, qui iniuste recurrit ad Sedem Apostolicam, excommunicationem huius Canonis incurrit. ibid.6  
 Ratas habens actiones in hoc Canone prohibitas, vinculo huius excommunicationis non ligatur. 324.8  
 Non impediens præfata fieri delicta, vinculo huius censuræ non obstringitur. ibid.9  
 Qui aufert à dominio Sedis Apostolicæ aliquam Ciuitatem, non hostiliter, sed pacificè, & sine armis; hanc excommunicationem incurrit. 348.2  
*Sepelire, Sepulchrum, Sepultura.*  
 Sepeliens vno & eodem actu, in loco sacro publico, vsurarium, qui simul sit publicè excommunicatus & nominatim interdictus, excommunicationem incurrit. 29.49  
 Excommunicatus Ecclesiastica Sepultura priuatur. 128.1  
 Non est licitum Excommunicato infirmo, petere, vt in hoc, vel illo loco sacro sepeliatur. ibid.2  
 Qui tempore interdicti sepelit personam nominatim interdictam in loco sacro, duplicem Censuram non incurrit. ibid.3  
 Sepelientes excommunicatum non vitandum, seu toleratum, in loco sacro, nunc ne leuiter peccant. ibid.4  
 Excommunicatus vitandus non solum prohibetur per iura sepeliri in Cœmeterio; sed etiam in Ecclesia, seu in Templo, id est, intra ambitum illorum 129.5  
 Licet sepelire Excommunicatum non toleratum in loco, non sacro, etiamsi sit proximus Ecclesiæ, vel Cœmeterio, aut alteri sacro loco. ibid.6  
 Sepeliens excommunicatum vitandum in loco sacro, non solum peccat mortaliter, verum etiam incurrit excommunicationem maiorem. 130.10  
 Sepeliens excommunicatum vitandum in loco sacro, non solum incurrit excommunicationem maiorem latam in *Clement.* sed etiam minorem latam iure communi, contra communicantes cum excommunicato vitando. 131.11  
 Hanc pœnam maioris excommunicationis non incurunt; qui excommunicatum vitandum, cum solempni pompa sepeliunt in loco omnino prophano. ibid.12  
 Vt sepeliens excommunicatum vitandum incurrat excommunicationem maiorem, latam in *d. Clement. 1. de sepultur.* est necessum, quod id faciat scienter, hoc est, non ignorans mortuum esse excommunicatum. ibid.14  
 Ad incurrendam Clementinæ excommunicationem requiritur quod excommunicatus qui sepelitur, sit excommunicatus vitandus, non toleratus. 132.15  
 An huiusmodi pœnam excommunicationis *Clement. 1. de sepultur.* latam contra sepelientes excommunicatos, solum illi homines, qui propriis manibus cadauer excommunicati in sepulchrum immittant, aut in fossam inferunt, non alij, qui comitantur funus, incurrant; multi multa afferunt. ibid.16  
 Non innodantur excommunicationis *d. Clement. Censura*, illi qui lauant corpus excommunicati; qui induunt

- daunt illud vestibus; & qui pulsant campanas, commonefaciendo populum de precibus pro dicto excommunicato faciendis. *ibid.* 17
- Qui cruces, cereos & alia ad funus excommunicati spectantia ferunt, non incurunt Censuram *d. Clem.* latam contra sepelientes excommunicatos. *ibid.* 18
- Dictam excommunicationem non incurunt, qui deferunt corpus Excommunicati ad sepulchrum, non tamen sepeliunt. 133. 10
- Nec incurunt fodientes, & aperientes sepulchrum; etiam si postea in illud cadaver excommunicati non inferant, nec terra operiant. *ibid.* 21
- Nec Clerici, aut alij Ecclesiarum Ministri, qui (cum teneantur impedire,) corpus excommunicati, sepeliri in suis Ecclesiis permittunt. *ibid.* 22
- Nec consulentes, fautores vel cooperatores ad collocandum cadaver excommunicati in sepultura Ecclesiastica, innodantur vinculo excommunicationis latæ in *d. Clementina.* *ibid.* 23
- Nec tandem qui mandant, aut procurant, vt corpus excommunicati sepulturæ sacræ tradatur, in dictam excommunicationem incidunt. *ibid.* 24
- Sicut tempore Interdicti, possunt paruuli carentes vsu rationis, aut mente capti, admitti ad diuina Officia: non possunt admitti ad Ecclesiasticam sepulturam. 383. 34
- Tempore Interdicti generalis localis, possunt laici sepeliri in loco interdicto; dummodo non sit locus sacer. 406. 3
- Per generale Interdictum, prohibetur d. rectè, & specialiter, ne cadauera fidelium admittantur ad Ecclesiasticam sepulturam. *ibid.* 1
- Per Interdictum generale locale prohibetur, ne quis laicus Ecclesiasticam sepulturam in loco interdicto accipiat. *ibid.* 2
- Laici, qui tempore dicti Interdicti localis, sepulti sunt in campo, aut alio in loco non sacro; debent, sublato Interdicto, exhumari, & in loco sacro sepeliri. *ibid.* 4
- Laicus, qui dicti Interdicti tempore, fuit sepultus illicitè in Ecclesia, aut alio loco sacro interdicto, debet durante Interdicto, exhumari, vt sepeliatur in loco prophano, & non sacro. *ibid.* 5
- Tempore Interdicti localis licitum non est tradere sepulturam Ecclesiasticam in loco sacro interdicto, infantibus baptizatis. 407. 6
- Clerici possunt, interdicti localis tempore sepeliri in loco sacro interdicto dummodo sine solemnitate 407. 7
- Clerici aliarum Ecclesiarum non interdictarum, non possunt, ex vi dicti cap. *Quod in te*, sepeliri in ecclesia interdicta specialiter. *ibid.* 9
- Tempore Interdicti, possunt sepeliri Clerici cum Officio, & Missa defunctorum saltem attento iure nouo. *ibid.* 10
- Non est licitum, dicere huiusmodi officium Defunctorum, vel Palmos, alternis choris, per viam deferendo corpus defuncti Clerici ad sepulturam. 408. 11
- Clericus coniugatus gaudet, tempore Interdicti localis, priuilegio sepulturæ, casu tamen &c. *ibid.* 12
- In illis festiuitatibus, in quibus, iuxta cap. *Alma*, licitum est assistere diuinis Officiis, tempore Interdicti localis: non licet adhuc absque speciali priuilegio, sepelire laicos, in loco sacro. *ibid.* 13
- Laici, qui habent priuilegium particulare, vt tempore Interdicti, possint assistere diuinis Officiis, & recipere Sacramenta; nequeunt ideo sepeliri in loco sacro, quamuis tale priuilegium nullam faciat mentionem sepulturæ. *ibid.* 14
- Personaliter interdictus, per Interdictum generale personale, potest licitè sepeliri in loco sacro. 409. 15
- Interdictus ab ingressu Ecclesiæ, non solum priuatur sepultura in Ecclesia; verum etiam in Cœmeterio. 410. 7
- Interdictus ab ingressu Ecclesiæ; si moriatur cum signis pœnitentiæ, potest intra Ecclesiam sepeliri, sed non absque Interdicti vlla absolutione. *ibid.* 8
- Mortale est violare Interdictum quodcumque, in materia Ecclesiasticæ sepulturæ. 415. 11
- Sequestrare.*
- Personæ, quæ per hunc Canonem prohibentur sequestrare dictos fructus Ecclesiasticos, solum sunt publicæ, non verò priuatæ. 340. 13
- Iudices Ecclesiastici sequestrantes bona ad personas Ecclesiasticas pertinentes, sunt sub hac censura comprehensi. 341. 14
- Non solum iudices, sed etiam eorum Ministri exequentes sequestrum, hanc excommunicationem incurunt. *ibid.* 15
- Qui instat, & procurat apud iudicem præsertim secularem sequestrationem Ecclesiasticorum fructuum sibi concedi modo non incidit in hanc censuram. *ibid.* 16
- Iudex sequestrans fructus Ecclesiasticos, ad tollendas lites, aut ob aliam honestam causam est per hunc Canonem excommunicatus. *ibid.* 17
- Iudices laici, qui fructus Ecclesiasticos sequestrant, sine facultate legitima, incurunt hanc censuram, si id faciant, vt Ecclesiastici, tædio affecti, desistant ab vsurpatione sæcularis iurisdictionis, casu, quo vsurpatam illam habeant. *ibid.* 18
- Non solum Romanus Pontifex, sed & alij Prælati possunt iudicibus sæcularibus facultatem sequestrandifructus Ecclesiasticos concedere. 342. 19
- Seruis.*
- Serui, vel famuli, quocumque titulo tales sint, possunt communicare cum Dominis excommunicatis vitandis. 194. 37
- Vt famuli, serui, &c. possint communicare cum suis Dominis excommunicatis; necessum non est, quod ante excommunicationem Dominorum intrauerint ad seruiendum illis. 195. 38
- Prædicti serui, & famuli, possunt generaliter communicare in omnibus rebus, tam humanis, quàm diuinis, cum suis dominis excommunicatis vitandis. *ibid.* 39
- Tantummodo incidunt in dictam excommunicationem qui propriis manibus cadaver excommunicati in sepulchrum inferunt, & terra cooperiunt. 134. 25
- Sodomita.*
- Clericus, nec publicè, nec occultè sodomita, est ipso iure suspensus. 369. 17
- Sponsa.*
- Sponsa de præsentis potest gaudere priuilegio *d. cap. Quoniam multos*, & ita communicare cum sponso excommunicato vitando. 190. 19
- Statutum.*
- Vt facientes, ordinantes, seu publicantes, statuta, decreta, ordinationes, &c. contra libertatem Ecclesiasticam, excommunicationem incurant; est necessum, vt id ex intentione faciant. 333. 26
- Quid sit statuta, &c. contra Ecclesiasticam libertatem facere, ordinare, & publicare. 334. 27
- Faciens statuta, seu decreta contra libertatem Ecclesiasticam, incidit in hanc excommunicationem, sed non ante promulgationem illorum. *ibid.* 29
- Qui statutum edidit, aut ordinauit, statim afficitur excommunicatione, sequuta publicatione, si statuta nunquam executioni mandentur. *ibid.* 30
- Princeps, qui contra libertatem Ecclesiasticam non fecit statutum, tamen ab alio factum promulgari curat, excommunicationem huius Canonis contrahit. *ibid.* 31
- Præcones

*Index Rerum.*

Præcones, & alij inferiores Ministri, qui statutum contra libertatem Ecclesiæ publicè promulgant, Censuram huius Canonis incurrunt. 334.32

Scriptores statutorum contra libertatem Ecclesiasticam; etiam sub hac excommunicatione comprehenduntur. 335.33

Magistratus, seu Rectores Ciuitatum, scientes seruari statuta contra libertatem Ecclesiasticam, & non impediens, hanc excommunicationem non incurrunt. ibid. 34

Incurrunt hanc Bullæ Censuram, qui statuta facta contra libertatem Ecclesiasticam, non delent è libris publicis, etiam si non faciant ea seruari. ibid. 35

Incurrunt excommunicationem latam *in cap. Non erit, de sent. excomm.* qui dicta statuta omittunt delere à libris Capitularibus; etiam si obseruari non curent. Hæc sententia quidem probabilior, contraria mitior. ibid. 36

Quando statutum aliquod censendum sit contra libertatem Ecclesiasticam, ita vt nec facere, nec ordinare illud quis possit, nec ordinato vti; nisi velit in excommunicationem huius Bullæ incidere. 336.37

Quam statuta in particulari censenda sint contra libertatem Ecclesiasticam. ibid. 58

*Subditus.*

Subditus non renetur obedire mandatis superioris sui excommunicati non tolerari. 158.5

*Suffragium.*

Quam dicantur suffragia communia Ecclesiæ; & quid, suffragium priuatum. 90.1

Ecclesia potest priuare excommunicatum, communibus eiusdem Ecclesiæ suffragiis, & commodis. ibid. 2

Ecclesia de facto priuat Excommunicatum non toleratum communibus Ecclesiæ commodis & suffragiis. ibid. 3

Non priuat Ecclesia Excommunicatum non toleratum, suffragiis priuatis, & particularibus. ibid. 4

Peccat mortaliter, qui suffragia communia Ecclesiæ pro Excommunicatis non toleratis in particulari, offert. 91.5

Peccaret mortaliter, qui suffragia Ecclesiæ offerret pro Excommunicatis quasi in communi, eadem intentione, qua solent offerri pro cæteris peccatoribus non excommunicatis. ibid. 6

Peccaret mortaliter, qui offerret suffragia communia Ecclesiæ, pro Excommunicatis omnibus in vniuersali, tanquam pro exteris, ad impetrandum eis reductionem ad obedientiam Ecclesiæ. 7.3

Potest quis offerre indirectè sacrificium, & alia suffragia communia Ecclesiæ pro Hæreticis, Schismaticis, &c. in communi. 92.9

Non licet offerre suffragia Ecclesiæ pro excommunicatis non toleratis ( hoc est, pro excommunicatis nominatim denunciatis, aut publicis Clericorum percussoribus ) casu quo per contritionem sint iustificati ante obrentam excommunicationis absolutio-nem. ibid. 10

Non licet applicare communia Ecclesiæ suffragia pro excommunicato occulto defuncto in gratia. 93.11

*Superior.*

Superiores non excommunicati, possunt cum suis inferioribus excommunicatis communicare verbi gratia, Pater, vel Mater cum filiis; auus, aut Proauus cum Nepotibus & Pronepotibus, &c. 194.35

Etiam, quando Superiores sunt excommunicati, possunt cum suis inferioribus non excommunicatis communicare. ibid. 36

*Suspensio, suspensus.*

Suspensionis Censura, data in genere, sub iis verbis: *Suspendo te sis suspensus*, &c. non est valida. 31.7

Tribus præcipuè modis accipitur Suspensio. 350.1

Quid sit suspensio propriè, & in rigore accepta. ibid. 2

Multiplex est Suspensio hæc propriè dicta. ibid. 3

Omnis, qui excommunicare potest, potest etiam suspendere. 351.1

Suspensus à iurisdictione, potest alium suspendere. ibid. 2

E contra omnes, qui excommunicari possunt, non possunt etiam suspendi. ibid. 3

Suspensio essentialiter differt à cæteris Censuris & pœnis. ibid. 4

Communitas aliqua potest suspendi. ibid. 5

Suspensio propriè dicta, nequit imponi absque culpa. ibid. 6

An Suspensio huiusmodi, quæ est Censura, imponi possit, pro culpa aliena? duplex responsio. 352.7

Quando suspenditur Communitas, v.g. Capitulum Canonicorum, & aliqui de Capitulo sunt innocentes, hi tali suspensione non comprehenduntur; secus, quando, &c. ibid. 8

Suspensio imponi aliquando potest, pro peccato veniali. ibid. 9

Forma, sub qua sententia Suspensionis fertur, non habet verba determinata. ibid. 10

Suspensio debet ferri in scriptis, post monitionem, &c. ibid. 11

Suspensus ab vno effectu, seu actu; non censetur etiam suspensus ab aliis actibus, seu effectibus. 353.1

Suspensio absolutè, & sine restrictione prolata; non suspendit absolutè ab omnibus, hoc est, ab officio & beneficio. ibid. 2

Suspensio ab officio, simpliciter, & absolutè lata, priuat omni vsu, tam Ordinis, quàm iurisdictionis. ibid. 3

Suspensus, sine limitatione, ab officio; non est censendus suspensus à beneficio. ibid. 4

Suspensus ab officio, potest fructus beneficii, quod habet percipere. 354.5

Suspensio absolutè ab officio, validè potest conferri nouum beneficium. ibid. 6

Suspensus ab officio in perpetuum per Iudicis sententiam, non est à beneficio suspensus. 355.8

Suspensus ab officio, potest Sacramenta, præter Ordinem saltem, recipere, & diuinis Officiis interesse. ibid. 9

Non potest Ordinis Sacramentum recipere, qui ab officio est absolutè suspensus. ibid. 10

Suspensus à beneficio, non est suspensus ab officio. ibid. 11

Suspensio ab Ordine simpliciter lata, prohibet quemcunque, tam maioris, quàm minoris Ordinis, actum. ibid. 12

Suspensus simpliciter à collatione, seu receptione Ordinum; non est suspensus à collatione, & receptione primæ Tonsuræ. ibid. 13

Suspensus ab officio prædicandi, non censetur etiam suspensus à lectione Euangelij, & ab aliis actibus Diaconatus. 356.17

Suspensus à Diaconatu, vel Subdiaconatu diuini, manet ab alio suspensus. 357.18

Suspensus ab ingressu Ecclesiæ, est adhuc Sacramentorum capax. ibid. 19

Suspensus ab Ordine, ab Horarum non liberatur ore. ibid. 20

Episcopus suspensus ab Ordine Pontificali, non manet suspensus ab exercitio suæ iurisdictionis. ib. 21



*Index Rerum.*

- Episcopus suspensus à Pontificalibus, est tantum suspensus ab usu insignium, quæ Episcopis ferre, est in more. 357.22
- Suspensus ab Ordine, non manet suspensus à iurisdictione. ibid.23
- Suspensus à Beneficio, prohibitus est percipere fructus talis beneficij. 358.26
- Suspensus à beneficio sunt denegandi fructus beneficij, antequam à Iudice illis priuatur. ibid.27
- Suspensus à beneficio, nequit licitè percipere fructus beneficij, si præstet officium quod beneficium exigat. ibid.28
- Suspensus à beneficio, etiam si egeat, nequit fructus sui beneficij percipere ad sustentationem sui, & suorum. 359.29
- Suspensus à beneficio, non est suspensus à iure eligendi, confirmandi, & conferendi beneficium, quod ei conuenit ratione beneficij, à quo suspensus est. ibid.30
- Suspensus simpliciter à beneficio, potest validè, non tamen licitè, nouum beneficium dari. ibid.31
- Qui multa habet beneficia, si simpliciter à beneficio suspendatur, ab omnibus manet suspensus. 360.32
- Suspensus simpliciter à beneficio, manet etiam suspensus à iure percipiendi pensiones; sed distingue. ibid.33
- Suspensus à beneficio, priuatus manet etiam distributionibus quotidianis, quæ propter diuinas Horas, & Officium, Clericis assistentibus dari solent. ibid.34
- Episcopus, qui simpliciter suspenditur à beneficio, est etiam suspensus à Pontificatu. ibid.35
- Præter assignatas res, sunt actiones aliquæ, quibus suspensus à beneficio priuatur. ibid.36
- Suspensio lata, absque loci determinatione, extenditur ad omne beneficium, vbicunque illud sit, aut possideatur. 361.37
- Suspensio; lata simpliciter, absque determinatione temporis, semper durat, donec per habentem potestatem auferatur. ibid.38
- Suspensio lata cum temporis determinatione, durat intra tempus determinatum, & tempore elapso, cessat. ibid.39
- Suspensus peccat mortaliter, exercendo actum, à quo est suspensus. ibid.40
- Si suspensus faciat actus, à quibus suspensus est, sunt validi: si sint Ordinis, secus si sint iurisdictionis. 362.43
- Triginta quinque suspensiones ipso iure, contra Clericos latis, vide. 370.22
- Viginti quatuor suspensiones latis in iure, contra Episcopos, & alios Prælatos maiores videbis. 372.23. per tot.
- Quatuordecim suspensiones latis in iure, & in aliis Bullis Pontificum, contra Religiosos, habebis. 373.24. per tot.
- Suspensio latam ad certum tempus, v.g. *per mensem*, vel sub conditione, v.g. *donec satisfeceris*, eo tempore elapso, vel facta satisfactione, non cessat Suspensio, sine noua absolutione. 374.1
- Suspensio hæc si lata sit à iure ad certum tempus, nequit auferri ab Episcopo, ante tempus completum. ibid.2
- Potest Episcopus absoluere à Suspensione lata à iure, etiam si reseruata sit Papæ, si proueniat à delicto occulto. ibid.3
- A Suspensione lata à iure simpliciter, & absoluitè, absque eo quod reseruata sit Papæ, potest Episcopus absoluere. ibid.4
- Suspensus, mortaliter peccat, violando suspensionem. ibid.5
- A Suspensione lata simpliciter in pœnam; potest quis absolui per Bullam Cruciatæ. 375.5
- In absolutione Suspensionis, non requiruntur verba determinata. ibid.6
- In absolutione Suspensionis, non est necessarium, exprimere causam, ob quam contracta est. ibid.7
- T
- Tabellarius.*
- T**Abellarios impediens, ne litteras Romam deferant, afficitur Censura Bullæ Cœnæ. 309.21
- Testamentum.*
- Excommunicatus licitè nequit condere Testamentum, & Codicillum facere. 172.45
- Validum, ac firmum est Testamentum factum ab Excommunicato, dummodo, &c. ibid.46
- Testimonium, Testis.*
- Excommunicatus non toleratus, licitè nequit esse testis in iudicio, & extra. ibid.30
- Excommunicatus non toleratus, peccat mortaliter, ferendo testimonium in iudicio, vel extra. ibid.31
- Excommunicatus toleratus, licitè potest rogatus esse in iudicio testis, aliàs non. ibid.32
- Inualidum est testimonium testis excommunicati non tolerati; etiam casu, quo non repellatur à Iudice. ibid.33
- Testimonium testis excommunicati non tolerari, est inualidum, casu, quo, non solum non repellitur; verum etiam de consensu Iudicis, & vtriusque partis admittitur. 170.34
- Non est inualidum testimonium testis excommunicati tolerati, & non vitandi. ibid.35
- Excommunicatus nequit esse testis in causis fidei. ibid.36
- Potest excommunicatus esse testis in contractu Matrimonij. ibid.37
- Nequit Excommunicatus esse testis, contra Excommunicatum. ibid.39
- Nequit esse testis, qui est excommunicatus, quia non fuit confessus semel in anno, iuxta præceptum cap. *Omnis vtriusque sexus, de Pœnitent.* ibid.40
- Excommunicatus nequit licitè ferre testimonium in contractibus, testamentis, & aliis scripturis extrajudicialibus. 171.41
- Inualidum est testimonium excommunicati denunciati, seu vitandi, in scripturis, contractibus, testamentis, & aliis instrumentis extrajudicialibus. ibid.42
- Tributum.*
- Casu, quo Rex imponat tributum suis subditis ex causa iusta; sed tamen quoad personas, generalius illud imponat, quàm iuste possit, comprehendendo Clericos, vel alias personas exemptas, in hanc Bullæ censuram non incidit. 284.5
- Qui absque auctoritate imponendi tributa, augent vetera, sunt per hunc Canonem excommunicati. ibid.6
- Ad incurrandam excommunicationem Canonis Cœnæ opus est, vt aduocentur ad sæculare Tribunal causæ, quæ iam coram Ecclesiastico Tribunali erant introductæ. 325.4
- Pars, aut eius Procurator, seu quæuis alia priuata persona, qui curat, & instat apud Iudicem sæcularem, vt Ecclesiasticos ad suum trahat Tribunal, non afficitur excommunicatione Canonis Cœnæ. 329.4
- Si quis ad tribunalia sæcularia recurrat, antequam Iudices ordinarij sententias ferant, excommunicationem huius Canonis contrahit. 338.10
- Absque

## Index Rerum.

Abſque incurſione huius Cenſuræ , nequit Princeps imponere tributa , & alia onera Clericis , ſolum prima Tonſura inſignitis. 343.3  
 Licite nequit Princeps imponere tributa, & alia onera, Clericis, qui non ſeruant præſcripta à Concilio Tridentino ſeſſ. 23. cap. 6. ibid. 4  
 Recipiens tributum ab Eccleſiaſtico ſpontè datum hanc excommunicationem incurrit. 344.9  
 Exi gens, aut mandans exigi tributa à Clericis, animo ea reſtituendi in fine anni; excommunicationem huius Canonis contrahit. ibid. 10  
 Princeps imponens tributa ſuper bona patrimonialia, & aliunde acquiſita Clericorum ; hoc Canone eſt excommunicatus. 345.12  
 Licitum eſt laicis, imponere Eccleſiaſticis tributa, & onera, de expreſſa Summi Pontificis licentia. ib. 13  
 Laicis non eſt licitum imponere Clericis onera caſu, quo de hoc habeant immemorabilem conſuetudinem. ibid. 14  
 Princeps laicus nequit abſque incurſione huius cenſuræ, imponere Clericis tributa , & alia onera, pro reparatione pontium, vel murorum Ciuitatis, pro arcendis hoſtibus, vel pro alia ſimili publica cauſa, niſi caſu, &c. ibid. 15

### Turca.

Chriſtiani viuentes in terris Turcarum, Hæreticorum, &c. non ligantur excommunicatione Canonis Cœnæ, ſi vendant bono fine equos, arma, aut alia prohibita Turcis, aut hæreticis, &c. 290.2  
 Si Cuſtodientes urbem , tam acriter à Turcis oppugnentur, vt non poſſint fugere vitæ, aut grauis famis diſcrimen abſque urbis & armorum deditio: poſſint tunc abſque incurſione Cenſuræ tradere Turcis arma, aut urbem. 294.16  
 Hac Cenſura non innodatur , qui Turcas, aliòſve Infideles , certiores facit , de iis , quæ iam nouerant, itaut nil noui ſciant de tali denuntiatione. 300.45  
 Si quis degens Madridi, v. g. certiorè faciat Turcam, aut alium Infidelem, ſeu Hæreticum, de rebus ciuilibus, aut iocoſis, non pertinentibus ad ſtatum, incurrit hanc cenſuram. ibid. 46  
 Si quis certiores faciat hoſtes Chriſti Nominis, de præſatis rebus, per nuntium ; vterque hac Cenſura perſtringitur. ibid. 47  
 Si reuelatio dictarum rerum fiat per Epistolam, incurrit etiam vterque hanc Cenſuram. ibid. 48  
 Etiam incurrit hanc Cenſuram Bullæ , qui alicui proditori narrat conſilia Principis Chriſtiani, ſciens talem proditorem , certiorè faciendum Turcam de ſtatu Regni Principis , in perniciem Chriſtianorum. ibid. 49  
 Narrans alicui fideli ſecreta Principis Chriſtiani, vt ea in damnum Chriſtianorum, detegat Turcis; non ligatur cenſura Bullæ, antequam fidelis detegat. 301.52  
 Hac lege excommunicatus eſt qui defendit alium , vt tutò valeat opem præſtare Turcis contra Chriſtianos. 302.59  
 Incidit in hanc excommunicationem , qui poteſt impedire, ne Chriſtianus opem ferat Turcis, aut Hæreticis, & non impedit. 303.60  
 Captiui Chriſtiani remigantes in triremibus Turcarum, metu mortis, vel verberum, contra Chriſtianos ; non incidunt in hanc excommunicationem. ibid. 62  
 Non peccant mortaliter contra ius naturale, & diuinum, captiui Chriſtiani remigantes in triremibus Turcarum Chriſtianos inuadentium, metu mortis, verberum, &c. ibid. 63  
 Captiui Chriſtiani remigantes in Nauibus Turcarum mortaliter peccant, ſi de mandato Turcarum , ſub comminatione verberum aut mortis Nauim roſtra-

tam ita impellunt , vt ipſa roſtro, Nauim Chriſtianorum infringat. 304.64  
 Licitum eſt captiuis Chriſtianis , metu mortis, aut alterius grauis damni, præſtare in bello Turcis omnia opera, quæ in pace ſerui præſtare poſſunt. ibidem 65  
 Si vrgente bello, cenſeret aliquis captiuus vitandum eſſe, graue damnum Chriſtianæ Reip. ſi ipſe à remigio , à porrectione armorum , & ab aliis ſimilibus actionibus, ceſſaret; non teneretur tunc, ſub mortali & ſub cenſura , id facere ſaltem cum diſcrimine vitæ. ibid. 66  
 Licet Chriſtianis in triremibus Turcarum remigantibus dum deſcendunt in terras Chriſtianorum, illas deuſtare, & bona eorum ſurripere, caſu, quo illis periculum vitæ , aut membri abſciſſio imminet ibid. 67  
 Chriſtiani remigantes in nauigiis Turcarum , non contra Chriſtianos , ſed contra alios infideles, non peccant mortaliter, nec incidunt in hanc cenſuram. ibid. 68  
 Non peccant mortaliter, nec incurrit excommunicationem, Regentes, aut Gubernantes Naues Turcarum contra alios infideles , non contra Chriſtianos. 305.69

### Tutor.

Excommunicatus nequit eſſe Tutor, vel Curator. 171.43

## V

### Vaffallus.

Vaffalli poſſunt communicare cum Domino ſuo excommunicato vitando ; & Dominus cum illis ; in ſolutione tributorum tantum. 195.40

### Vendere.

Qui deferunt , vel vendunt libros hæreticorum in terris fidelium , incurrit excommunicationem Bullæ. 272.88

### Veſtis.

Clericus publice portans veſtes virgatas, vel partitas, Hiſpanè, *Veſtidos bordados, ò texidos de diuerſos colores* , eſt ipſo iure ſuſpenſus. 369.18

### Vicarius.

Vicarius Episcopi publicè & nominatim excommunicati, &c. validè Cenſuras ferre non poteſt. 114.34

Vicarius Episcopi, qui captiuus à Barbaris detinetur, nequit validè Cenſuras ferre. ibid. 36

Vicarius Generalis Episcopi, & Capituli, Sede vacante , poteſt abſoluere ab omni Cenſura iuris, ſicuti poteſt Episcopus, & Capitulū Sede vacante. 211.32

### Viſtualia.

Omnes , qui impediunt, inuadunt , prohibent & perturbant eos , qui viſtualia ad vſum Romanæ Curia adducunt, ſunt cenſura Bullæ innodati. 306.2

Qui non vult res ſuas vendere , vt ad Romanam Curiam deferantur, non comprehenditur ſub hac cenſura. ibid. 3

Comprehenderetur ſub hac Cenſura, qui abſque vlla vi, viſtualia emeret ab eo qui deferret ad Curiam, & ita impediret ne Romam aſportarentur , intentione directa impediendi. 307.4

Incurrunt hanc Cenſuram , qui impediunt eos , qui nondum deferre viſtualia cœperunt, ſed deferre volebant. ibid. 7

Non incurrit , qui deferentem ad Curiam viſtualia ſpouat pecuniis, non ablatis viſtualibus. ibid. 8

Eadem innodatur Cenſura, qui ſpouat aliquè viſtualibus, quæ ab ipſo deferebantur ad vſum determinatæ perſonæ ex Curialibus, ſeu ex officialibus Curia. 308.10

- Etiam tali innodatur Censura, qui spoliat victualibus deferentem illa ad priuatam aliquam personam, quæ licet uiuat in loco, ubi moratur Curia, non tamen est Curialis, aut officialis Curia, nec famulus, aut familiaris ipsorum. *ibid.* 11
- Ligantur Censura huius Canonis, qui deferentem victualia Romanæ, impediunt, casu quo Curiales ea emere non soleant. *ibid.* 12
- Non feritur hac Censura, qui deferentem victualia ad Curiam, compellit ad soluenda pedagia, & alia onera, quæ soluuntur ab aliis iter agentibus. *ibidem* 13
- Inuadens, aut occidens deferentem victualia ad Romanam Curiam, non animo impediendi delationem victualium, sed ob vindictam, non est hac Censura comprehensus. *ibid.* 14
- Qui victualia corrupta, ut pisces putridos ad Curiam Romanam deferri impedit, non incurrit hanc Censuram. *ibid.* 16
- Nomine Victualium intelliguntur omnia quæ ad esum, potum, & vestitum spectant. 309.18
- Quanam intelligantur per illa verba Canonis; seu alia ad usum Romanæ Curia necessaria. 309.19
- Non comprehenderetur sub hac Censura, qui prohiberet, ne ad Romanam Curiam deferantur canes, & accipitres, taxilli etiam, alæ, simiæ, psytaci, & similia, recreationi Curialium inseruientia. *ibidem* 20
- Quid veniat appellatione Romanæ Curia, cuius intuitu, sub excommunicatione prohibetur, ne victualia, & alia ad usum Curia necessaria, deferri impediatur? *ibid.* 22
- Paruitas materiae ab hac excusat Censura; & quanam censeatur materiae paruitas. *ibid.* 23
- Vitare.*
- Nunc, iure nouiori, solum & necessariò, sunt vitandi iuxta Concilium Constantiense, solummodò Excommunicati nominatim denunciati, & notoriè percussores Clericorum. 86.6
- Qui expressè & nominatim est declaratus excommunicatus non est necessariò vitandus, antequam denunciatur, ve excommunicatus publicetur. 87.7
- Qui de hæresi, aut de crimine, cui constat annecti excommunicationem, est denunciatus; non statim est vitandus, tanquam nominatim excommunicatus. *ibid.* 8
- Vt quis teneatur vitare excommunicatum iam denunciatum necessariò requiritur omnino publica fama. *ibid.* 9
- Qui notorietate iuris tantum est notorius percussor Clerici non est excommunicatus vitandus. 88.10
- Vt percussor Clerici sit excommunicatus vitandus est necessum, quod & percussio sit coram multis testibus; & quod nulla possit tergiuersatione celari, aut excusari. *ibid.* 11
- Quot testes requirantur, vt percussor Clerici, dicatur notorius, notorietate facti, percussor; & consequenter sit, vt excommunicatus vitandus; multi multa tenent. *ibid.* 12
- Si quis, coram me, & aliis paucis testibus, non sufficientibus ad faciendum delictum notorium, percutiat Clericum; non teneor illum, nec in occulto, tanquam excommunicatum vitare. 89.13
- Qui dubitat, an alius excommunicatus denunciatus sit, non tenetur tunc illum vitare, potest tamen si velit. *ibid.* 47
- Tenemur vitare illum, qui extrà Confessionem dixit, se esse excommunicatum non toleratum. *ibidem* 49
- Si quis per vnicum testem fide dignum, verbi gratia, Parochum, sciret, Petrum, verbi gratia, esse excommunicatum denunciatum, non teneretur vitare illum. 198.53
- Tenetur quis vitare illum, quem Episcopus, vel Parochus, testificatur esse nominatim denunciatum, ostendendo ei literas denuntiationis. 199.54
- Non tenetur quis vitare illum, quem, fama publica, constat, percussisse Clericum; sed non constat fama publica, quod notoriè percussit. *ibid.* 55
- Si quis sciat, Petrum, verbi gratia, esse excommunicatum nominatim in vna Prouincia, teneatur illum vitare in alia, vbi est occultum? Vtrumque probabile. *ibid.* 56
- Qui semel sciuit, aliquem esse excommunicatum non toleratum; semper tenetur vitare illum, donec ei constet de absolutione. *ibid.* 57
- Non tenentur fideles vitare suspensum, in rebus, à quibus suspensus est. 461.41
- Laici non tenentur vitare interdictos nominatim denunciatos, nisi in Ecclesiastica sepultura. 415.13
- In humanis actibus, non tenetur quis vitare interdictos, imò nec denunciatos nominatim. 415.12
- Tenentur Clerici sub mortali, vitare interdictos nominatim in iis rebus, à quibus sunt interdicti. *ibidem* 14
- Vniuersitas, vide, Collegium, Communitas.*
- Vniuersitas, Collegium, seu Communitas, potest interdici. 386.10
- Vsurpare.*
- Ab eadem Censura excusatur, qui accipit in custodiam bona præfata à surripientibus. 282.20
- Personæ, quæ per Canonem 17. Bullæ Cœnæ, prohibentur iurisdictiones, fructus, redditus, &c. Ecclesiasticorum vsurpare, non sunt solum personæ publicæ, & potestatem habentes; sed etiam priuatæ. 338.2
- Non solum laicæ personæ, verum etiam Ecclesiasticæ, prædicta vsurpantes? sunt hac censura comprehensæ. 339.3
- Fures, seu latrones, qui fructus, seu pronentus Ecclesiasticorum furantur, aut rapiunt, non incidunt in censuram huius Canonis. 339.4
- Qui vsurparet prouentus alicuius Episcopatus, seu beneficij, aut Ecclesiæ vacantis, hanc incurreret censuram. *ibid.* 5
- Vsurpans fructus Sedis Apostolicæ, mortuo Summo Pontifice, huius Canonis censuram incurrit. *ibidem* 6
- Vsurpans fundos, prædia, Ecclesias, vel ipsamet beneficia, censuram hanc etiam incurrit. *ibid.* 7
- Vsurpans iurisdictionem spiritualement Prælatotum, est per hunc Canonem excommunicatus. 340.8
- Qui scienter retinet fructus beneficij, aut Ecclesiæ, ab alijs vsurpatis; in excommunicationem hanc incidit. *ibid.* 9
- Qui vsurpat fructus alicuius Clerici, titulo patrimonij ei competentes; Canonis huius censuram non contrahit. *ibid.* 10
- Creditor, qui non potest alia via suum creditum recuperare; non incurrit hanc censuram, subtrahendo Clerico ex fructibus beneficij, quantum credito correspondet. *ibid.* 11
- Clerici cædentes arbores frugiferas suorum beneficiorum, & eas sibi appropriantes, in hanc excommunicationem non incidunt. *ibid.* 12
- Banniti, aut alij facinorosi homines, qui non animo terras Pontificis occupandi, sed furandi solum, illas deprædantur, hac excommunicatione propriò non ligantur. 349.4
- Vsurpans iurisdictionem supremam, tam spiritualement, quam temporalem, Rom. Eccl. huius Bullæ Censuram incurrit. *ibid.* 5
- Vsurpans, vel perturbans supremam iurisdictionem Ecclesiæ Romanæ, Sede vacante; huic Censuræ subiacet.

## Index Rerum.

- |  |  |
|--|--|
| <p>subiacet.</p> <p>Inuadens, vel destruens bona priuatorum in terris Romanæ Ecclesiæ existentia, Censuram huius Canonis non incurrit. <span style="float: right;">ibid. 7</span></p> <p>Qui Sede vacante, vel Summo Pontifice ægrotante, expoliant Palatium sacrum, excommunicatione huius Bullæ non ligantur. <span style="float: right;">ibid. 9</span></p> <p>Bonorum Ecclesiasticorum vsurpatio non solum in hac Bulla, sed etiam in aliis locis vetita est. 342. 20</p> <p style="text-align: center;"><i>Vtile.</i></p> <p>Per particulam, <i>Vtile</i>, intelligitur vtilitas specialis, tam spiritualis, quàm temporalis; tam ipsius excommunicati vitandi, quàm aliorum participantium cum illo. <span style="float: right;">186. 2</span></p> <p>Ob spiritualement vtilitatem excommunicati vitandi, licitum est Confessori, audire confessionem illius, priusquam eum absoluat à Censura. <span style="float: right;">ibid. 3</span></p> <p>Ob vtilitatem spiritualement excommunicati, possumus illum ad audiendam concionem admittere. <span style="float: right;">ibid. 4</span></p> <p>Ob eandem vtilitatem, potest quis priuatim admone- re excommunicatum, vt respiscat, &amp; ob id, etiam interponere aliqua verba urbana ad captandam be-</p> | <p>neuolentiam. <span style="float: right;">ibid. 5</span></p> <p style="text-align: center;"><i>Vxor.</i></p> <p>Vxor potest communicare cum marito excommunica- to non tolerato, in redditione, &amp; petitione debiti coniugalis. <span style="float: right;">189. 16</span></p> <p>Vxor licet communicare cum marito excommunicato non tolerato, non solum in debito coniugali; sed etiam in colloquiis, mensa, &amp; aliis omnibus, ac si excommunicatus non esset. <span style="float: right;">ibid. 17</span></p> <p>Non est licitum vxori, simul prandere cum suo viro, qui illicitè, ad mensam excommunicatum vitan- dum admittit. <span style="float: right;">190. 20</span></p> <p>Vxor non solum potest, verum etiam tenetur, esse, &amp; communicare cum viro excommunicato, eodem mo- do, quod ad id, ante excommunicationem, astricta erat. <span style="float: right;">ibid. 21</span></p> <p>Licitum est viro non excommunicato, communicare cum vxore nominatim excommunicata, in omnibus, &amp; eodem modo, quo licitum est vxori cum viro no- minatim excommunicato. <span style="float: right;">ibid. 22</span></p> <p>Permissio, quam ius tribuit vxori communicandi cum marito excommunicato, extenditur ad diuina. 191. 24</p> |
|--|--|

F I N I S.

---

### A P P R O B A T I O D O C T O R V M. Facultatis Parisiensis.

**N** I H I L Censura dignum reperimus, Nos infrascripti Doctores Theologi Almæ Facultatis Pari- siensis, in Opere de Sacramentis in genere, & specie, Præceptorum Ecclesiæ obseruatione, ac de Cen- suris Ecclesiasticis, composito à Reuerendo admodum P. Leandro à Sancto Sacramento, ex Ordine Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis. In lucem igitur edatur, quippe quod succinctè & explicatiùs sa- tisfaciat omnibus quæstionibus, quæ in subiecta quaque materia possunt excogitari. Actum in Carmelo no- stro Lugdunensi, die vltima Ianuarij 1654.

Fr. PAVLVS LOMBARD, *Provincialis Prouincia Narbonæ  
Ordinis FFr. B.M. Virg. de Monte-Carmelo.*

Fr. CYRILLVS MOREL, *humilis Prior Conuentus  
Lugdunensis eiusdem Ordinis.*

PRIVILEGE

# PRIVILEGE DV ROY.




NOVIS PAR LA GRACE DE DIEV, ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE, à nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans Nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes Ordinaires de Nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, leurs Lieutenans, & à tous Nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nostre bien-amié JEAN COVRONNEAU, Marchand Libraire de nostre bonne Ville de Bayonne, Nous a exposé qu'il desireroit faire imprimer vn Liure intitulé *Quæstiones Morales de Sacramentis, in quinque Ecclesie præcepta, & de Censuris, Auctore R. P. F. LEANDRO DE SANCTISSIMO SACRAMENTO, Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captiuorum*, s'il auoit sur ce nos Lettres de Priuilege, & Permission necessaires, humblement requerant icelles: A CES CAUSES desirant fauorablement traiter ledit suppliant, Nous luy auons permis, & permettons d'imprimer, ou faire imprimer, vendre, & debiter ledit Liure en tous les lieux de Nostre obeissance, en telle marge & caractere qu'il vouldra durant le temps & espace de neuf ans entiers & accomplis, à compter du iour qu'il sera acheué d'imprimer pour la premiere fois: Et faisons tres-expres Desfences à toutes personnes, de quelque qualité & condition qu'elles soient, de les imprimer, faire imprimer, ny d'en vendre & distribuer en aucun lieu de ce Royaume, autres que de l'impression dudit Exposant, ou ceux qui auront droit de luy, durant ledit temps & espace, sous pretexte d'augmentation, correction, changement de titre, ou autrement, en quelque sorte & maniere que ce soit, à peine de trois mille liures d'amande, payable sans despost par chacun des contreuens: & applicable, vn tiers à Nous, vn tiers à l'Hostel-Dieu de Paris, & l'autre tiers à l'Exposant, confiscation des Exemplaires contrefaits, & de tous despans, dommages & interests, à condition qu'il sera mis deux Exemplaires dudit Liure en nostre Bibliotheque publique, & vn en celle de nostre tres-cher & feal Cheualier Garde des Sceaux de France le Sieur Mollé, auant que de l'exposer en vante, à peine de nullité des Presentes, du contenu desquelles Nous vous mandons que vous faciez iouir plainement & paisiblement ledit Exposant, & ceux qui auront droit de luy, sans qu'il leur soit fait aucun trouble, ny empeschement. VOULONS qu'en mettant au commencement, ou à la fin dudit Liure, Copie, ou Extraict des Presentes, elles soient tenues pour signifiées, & que foy y soit adjoustée, & aux copies collationnées par l'vn de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires, comme à l'original. MANDONS aussi au premier nostre Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'execution des Presentes tous Exploits necessaires, sans demander autre Permission, car tel est Nostre plaisir, nonobstant oppositions ou appellations quelconques, & sans prejudice d'icelles, Clameur de Haro, Chartre Normande, & autres Lettres à ce contraires. Donnè à Paris, le septième iour du mois de Ianuier, l'an de grace mil six cens cinquante-quatre, & de nostre Regne le onzième. Par le Roy en son Conseil, C R A M O I S Y.

*Hæc prima Editio desit excudi die 2. Maij 1654.*











E 4

Handwritten text in a stylized, possibly cursive or shorthand script, written vertically in dark ink on aged, yellowed paper. The text is arranged in a single column and appears to be a list or a series of entries, though the individual characters are difficult to decipher due to the style and fading.

No. *A*  
17-59